NAZIONALE EMANUELE

x Bibliotheca
ori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

C

474

Digitized by Google

Digitized by Google

GOTHICARVM
ET
LANGOBARDICARVM
RERVM
Scriptores aliquot veteres;

Ex Bibliotheca Bon. Vulcanii & aliorum.

BIBLIOTECA MAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Catalogus eorum, quæ hoc volumine continentur, est paginis sequentibus.

Bibliothecæ Coll. Soc. Secr. Rom. Jesu
ex libris Joannis Cocini

LVGDVNI BATAVORVM,
Apud Ioannem Maire.
1618.

Digitized by Google

Digitized by Google

CATALOGVS
eorum quæ hoc volumine continentur.

PARTE I.

IORNANDES *De rebus Geticis. pag.* 1.
Sidonii Apollinaris Epistola de Vita Theoderici Vesogothorum Regis: p. 181.
Excerpta è Conrado Peutingero De inclinatione Rom. Imp. & exterarum gentium migrationibus. p. 187.
Index authorum qui à Iornande citantur. p. 190.
Index rerum & verborum in Iornandem De rebus Geticis. p. 191.
Isidori Chronicon Gothorum. p. 201. *eiusdem Historia Vandalorum p.* 225. *eiusdem Historia Suevorũ.* 231. *Chronica regũ VVisigothorũ.* 235.
De priscis sedibus Gothorum, Hunnorum & Vandalorum, excerpta è Procopii lib. 4. *De bello Gothico, nondum edito. p* 239.
Castigationes in Isidori Chronicon. p. 253.
Notæ & Castigationes in Procopium De sedibus Gothorum. p. 261.

PARTE II.

IORNANDES *De regnorum ac temporum successione. p.* 1.
Excerpta è L. Marineo Siculo, De Gothorum

Digitized by Google

in Hiſpaniam aduentu, & regum ſerie. 152.

Excerpta è Ricobaldi Ferrarienſis Hiſtoria MS. *cui titulus Pomœrium Eccleſiæ Rauennatis. De Theoderico rege Gothorum.* p. 167,

Variæ lectiones & Notæ aliquot in vtrumque Iornandis librum. p. 177.

PAVLI DIACONI *De geſtis Langobardorum libri ſex.*

Annotationes in Hiſtoriam Pauli Diaconi de geſtis Langobardorum.

Variantes lectiones in Paulum Diaconum.

COMMENTARIOLVS *in literas Gothicas.* pag. 1. & p. 17.

Commentariolus in Notas Lombardicas. 16.

Impp. Romanorum nomina notis Lombardicis. 27.

Salutatio Angelica lingua Gothica. 31. *Oratio Dominica.* 33. *Canticum virginis Mariæ.* 36. *Canticum Simeonis.* 41.

Quadruplex Alphabetum Gothicum. 43. 44. 46.

Inſcriptiones veteres Gothicæ. 45. 46. 47.

Specimen linguæ Gothorum qui hodie Tauricam Cherſoneſum incolunt. 49.

Salutatio Angelica, Canticum Mariæ, Zachariæ, & Simeonis vetere lingua Teutonica. 55. 56.

Digitized by Google

56. 57. item Initium Cantici Caticorum. 60.
Rythmus De vita S. Annonis Archiepiſcopi Colonienſis eâdem linguâ. 62.
Vocabula aliquot veteris linguæ Teutonicæ. 65.
Formulæ duæ iuramentorum præſtitorum à Carolo & Ludouico Regibus Francorum, lingua Romana ſiue Gallica veteri, & Teudiſca. 67.
Alfredi Anglorum Regis Præfatio in Paſtorale Gregorii Papæ Rom. veteri Saxonica lingua à ſe verſum, cum verſione Anglica interlineari. 73. eademq; Latina. 81.
Perſica vocabula quæ cum Teutonicis conueniunt. 87. & initium Geneſeos Perſica lingua.
Specimen Cantabricæ .i. veteris Vaſconum linguæ. 89.
Oratio Dominica lingua Friſica. p. 98.
Initium Geneſeos lingua VVallica; & Iſlandica. p. 99.
De Nubianis erronibus, eorúmque lingua, p. 100.
De idiotiſmo aliorum quorundam Erronum. 105.

Digitized by Google

Illustribus Amplissimisque
Viris,

DD:

ORDINIBVS

FRISIÆ,

B. VVLCANIVS *Brugensis*

S. P. D.

DIENNIVM est, & quod excurrit, Illustres Amplissimique Viri, quòd Agathiam historicum insignem, qui grauissima bella à Iustiniano Imp. aduersus Gothos aliasque bellicosissimas nationes (quas Græcis & Latinis Barbaras appellare placuit,) accuratissimè descripsit, Græcè primus edidi, & post alios interpretes atque interpolatores, quamplurimis locis auctiorem, infinitis (absit verbo inuidia) meliorem reddidi. Qui quidem labor meus cùm publica quadam approbatione, summoque doctorum hominum applausu esset exceptus, magnum mihi calcar additum sentiebam

ad

ad idem in Procopio maximi nominis Hiſtorico, qui earundem gentium hiſtoriam ante Agathiam luculentiſſimè deſcripſerat, tentandum, atque adeò præſtandum. Omnibus itaque viribus ad optimi huius authoris, ſed peſſimè ab interpretibus habiti, nouam interpretationem me contuleram, adiutus codice manuſcripto quem Clariſſimus Ampliſſimusque vir, & promouendæ ornandæque rei literariæ natus Iac. Aug. Thuanus, ſupremi ſenatus Pariſienſis præſes, ex Bibliotheca regia tranſcribi curarat, & benignè nobis communicarat. Cùm verò ex accurata huius codicis MS lectione, & veteris verſionis Procopianæ cum Græco textu collatione; quamplurimas in exemplari manu exarato lacunas ſubeſſe animaduerterem, quæ nulla ratione ſuppleri poſsent abſque veteris alicuius ἀντιγράφου ope, cuius quidem nanciſcendi ſpes aliqua mihi affulſerat: operæprecium me facturum putaui, ſi interea dum noua Procopii interpretatio ab hiſtoriarum antiquitatisque ſtudioſis hominibus tam auidè à me exſpectatur quàm neceſſariò differtur, leniendo eorum deſiderio, & longiuſculæ moræ tædio mimuendo, Iornandem Epiſcopum Rauennatem, De origine & rebus geſtis Gothorum, Procopio veluti δαιδοῦχον ſiue facigerum præmitterem; quippe qui magnam illius de Gothis hiſtoriæ lucem eſſet allaturus. Habet enim profectò Iornandes

Digitized by Google

multa insignia loca ad vetustissimæ huius nobilissimæque gentis Gothicæ res gestas illustrandas pertinentia, ex historicis veteribus quorum scripta iamdudum magno rei literariæ malo pericrunt desumta, cognituque dignissima, neque apud alios vllos historiarum scriptores obuia; Dexippo videlicet, Dione, Prisco, aliisque quos de rebus Geticis scripsisse testatur. E quibus vtinam vnus exstaret Dio; constaret sanè omnibus quantopere non bellicæ tantùm artis gloriâ, sed sapientiæ etiam studiis aliis nationibus Gothi antecelluerint; neque temerè aut falsò à Iornande (cuius vt nimium genti suæ fauentis fidem historicam nonnulli eleuare atque labefactare nituntur) hoc elogii ex Dione Gothis tribui, quòd & corpore & animo Romanis fuerint grandiores, & Barbaris penè omnibus sapientiores, Græcisque propè consimiles. Ego verò vt de laudibus gentis Gothicæ, præclaris videlicet ipsorum studiis, moribus atque institutis, eximiaque omnium disciplinarum scientiarumque cognitione, vt etiam de summa artis bellicæ peritia, armorumque gloria quâ floruerunt, nihil dicam; (nam & hæc multorum historicorum scriptis sunt celebrata, & à Iornande pertractata; & nullus est orbis angulus quo non Gothici nominis splendor pariter & terror peruaserit:) hoc tamen silentio prætereire non possum, me vel hoc vno præcipuè nomine

mine nobiliſſimæ huius gentis admiratorem ſemper fuiſse, quòd opinio, imò certa perſuaſio De immortalitate animorum (maximum meo quidem iudicio ad contemnendam mortem resque fortiter gerendas incitamentum) Gothis ab omni æuo ingenita & quodammodo peculiaris ac propria fuiſse videatur. Cùm verò Iornandes omnia quæ ad Gothicæ gentis laudem illuſtrationemque pertinent accuratè perſequatur, neq. Geticæ tantùm ſed & Græcæ Latinæque hiſtoriæ magnam hic author lucem adferre poſſit, eamq. ob cauſam dignus mihi, vt antea dixi, ſit viſus qui Procopii editioni præmitteretur; ego eum, temporum librariorumque iniuria malè habitum, recenſui, multisque locis (omnibus enim quî poſsem codice MS deſtitutus) recognoui & caſtigaui; in certa etiam capita diſtinxi, breuibusque ea periochis ſiue argumentis illuſtraui. Adieci verò etiam alia nonnulla ad res Gothicas pertinentia, quorum Catalogum præcedentes tres pagellæ oſtenderunt.

Quæ quidem omnia Veſtro, Illuſtres Ampliſſimique Viri, nomini inſcripſi; primùm quòd ea iure optimo vobis deberi cenſerem, quibus magnam cum Gothica gente affinitatem intercedere è Clariſſimo Ampliſſimoque p. m. viro D. Ioachimo Hoppero, æterno Friſiorum ornamento, aliquando audire memini; deinde vt exſtaret aliquod etiam erga Vos

Friſiam-

Friſiamque veſtram literata nobilitate florentem ſingularis ſtudii obſeruantiæque meæ teſtimonium; quod quidem vt æqui boniq. conſulatis, meamque operam Gothicæ gentis & linguæ laudi ac gloriæ pariter & rei literariæ impenſam, aduerſus vtilitigatores & obtrectatores quoſcunque, Ampliſſimi nominis veſtri præſidio tueamini, etiam atque etiam rogo.

Deus Opt. Max. Illuſtres Ampliſſimique viri, vos quàm diutiſſimè ſeruet incolumes.

Lugduni Batauorum, Anno cIↃ; IↃ; xcvii. Cal. Auguſti.

DE

Digitized by Google

DE

IORNANDE siue IORDANO

ita Ioannes Tritemius libro De Scriptoribus Ecclesiasticis.

IORDANVS *ex monacho episcopus Gothorum, vir in diuinis Scripturis studiosus, & in secularibus literis competenter eruditus, ingenio mitis, & apertus eloquio, scrutator temporum, & rerum gestarum scriptor insignis. Fertur quædam præclara composuisse volumina, de quibus ad meam notitiam paucissima peruenerunt. Reperi enim tantùm historiarum lib.* II. *In quorum primo recensuit gesta Romanorum, in secundo verò originem & gesta Gothorum, vsque ad finem regni ipsorum. Claruit autem sub Iustiniano imperatore, anno Domini* D. XXX.

Iornandes quæ de parentibus maioribusque suis & de suo vitæ instituto scribat, vide paginam huius editionis 150.

IOR-

IORNANDES

CASTALIO

S. D.

VOLENTEM me paruo ſubuectum nauigio, oram tranquilli litoris attingere & minutos de priſcorum (vt quidam ait) ſtagnis piſciculos legere, in altum, frater Caſtali, laxare vela compellis, relictoque opuſculo quod intra manus habeo, id eſt, De breuiatione chronicorum, ſuades vt noſtris verbis duodecim Senatoris volumina De origine actuque Getarum, ab olim vſque nunc per generationes regesque deſcendente, in vnum & hoc paruo libello coartem. Dura ſatis imperia, & tanquam ab eo qui pondus huius operis ſcire nolit impoſita. Nec illud adſpicis, quòd tenuis mihi eſt ſpiritus ad implendam eius tam magnificam dicendi tubam. Superat nos hoc pondus, quod nec facultas eorumdem librorum nobis datur, quatenus eius ſenſui inſeruiamus. Sed vt non mentiar, ad triduanam lectionem diſpenſatoris eius beneficio libros ipſos antehac relegi. Quorum quamuis verba non recolo, ſenſus tamen & res actas credo me integrè tenere. Ad quos nonnulla ex hiſtoriis Græcis ac Latinis addidi conuenientia; initium finemque & plura in medio mea dictatione permiſcens. Quare ſine contumelia quod exegiſti, ſuſcipe libens, libentiſſimè lege: & ſi quid parum dictum eſt, & tu, vt vicinus genti, commemoras: adde. Ora pro me frater chariſſime.

IOR.

Digitized by Google

IORNANDES Episcopus Rauennas

DE

GETARVM siue GOTHORVM *Origine, & rebus gestis.*

CAP. I.

De totius orbis terrarum diuisione.

MAIORES *nostri, vt refert Orosius, totius terræ circulum Oceani limbo circumseptum triquetrum statuere, eiusque tres partes, Asiam, Europam, & Africam vocauere. De quo tripartito orbis terrarum spacio innumerabiles penè scriptores existunt, qui non solum vrbium locorúmve positiones explanant; verùm etiam, quod est liquidius, passuum miliariumque dimetiuntur quantitatem. Insulas quoque marinis fluctibus intermixtas, tam maiores, quàm etiam minores, quas*

Cycladas, vel Sporadas cognominant, in immenſo maris magni pelago ſitas determinant. Oceani verò intranſmeabilis vlteriores fines non ſolum non deſcribere quis aggreſſus eſt, verùm etiam nec cuiquam licuit tranſfretare: quia reſiſtente vlua, & ventorum ſpiramine quieſcente impermeabiles eſſe ſentiantur, & nulli cogniti, niſi ſoli ei qui eos conſtituit. Citerior verò eius pelagi ripa, quam diximus, totius mundi circulum in modum coronæ ambiens, fines ſuos curioſis hominibus, & qui de hac re ſcribere voluerunt, perquam innotuit, quia & terræ circulus ab incolis poſſidetur. Et nonnullæ inſulæ in eodem mari habitabiles ſunt, vt in Oriẽtali plaga, & Indico oceano, Hippodes, Famneſia, ſole peruſtæ, quamuis inhabitabiles, tamen omnino ſui ſpacio in longum latumque extenſæ. Taprobane quoque, in qua exceptis oppidis, vel poſſeſſionibus, dicunt munitiſſimas vrbes, decoram Sedaliam, omnino gratiſſimam Sileſtantinam, nec non Etheron, licet nõ ab aliquo

quo ſcriptore dilucidas, tamen ſuis poſſeſſoribus affatim refertas. Habet in parte occidua idem Oceanus aliquantas inſulas, & penè cunctas ob frequentiam euntium & redeuntium notas. Et ſunt iuxta fretum Gaditanum haud procul, vna Beata, & alia quæ dicitur Fortunata, quamuis nonnulli & illa gemina Galliciæ & Luſitaniæ promontoria in oceani inſulis ponant. In quorum vno templum Herculis, in alio monumentum adhuc conſpicitur Scipionis. tamen quia extremitatem Galliciæ terræ continent, ad terram magnam Europæ potius, quàm ad Oceani pertinent inſulas. Habet tamen & alias inſulas interius in ſuo æſtu, quæ dicuntur Baleares, habetque & aliam Menaniam: necnon & Orcadas numero xxxiiij. quamuis non omnes excultas. Habet & in vltimo plagæ occidentalis aliam inſulam nomine Thylen, de qua Mantuanus:

—tibi ſeruiat vltima Thyle.

Habet quoque hoc ipſum immenſum pela-

gus in parte arctoa, id est, septentrionali amplam insulam nomine Scanziam, unde nobis sermo, si dominus iuuerit, est assumendus: quia gens, cuius originem flagitas, ab huius insulæ gremio velut examen apum erumpens, in terram Europæ aduenit. Quomodo verò, aut qualiter, in subsequentibus (si Dominus donauerit) explanabimus.

Cap. II.

De Britannia insula.

Nvnc autem de Britannia insula, quæ in sinu Oceani inter Hispanias, Gallias, & Germaniam sita est, vt potuero, paucis absoluam. Cuius licet magnitudinem olim nemo (vt refert Liuius) circumuectus est, multis tamen data est varia opinio de ea loquendi. Quamdiu siquidem armis inaccessam Romanis, Julius Cæsar prælis, ad gloriam tantum quæsitis, aperuit peruiam: deinceps mercimoniis, aliasque ob causas, multis patefacta mortalibus, non indiligenti, quæ secuta est, ætati, cer-

ti, certius ſui prodit ſitum. quam, vt à Græcis Latinisque autoribus accepimus, perſequimur. Triquetram eam plures dixere, cono ſimilem, inter ſeptentrionalem occidentalemque plagam proiectam; vno, qui magnus eſt, angulo in Rheni oſtia ſpectantem: dehinc correpta latitudine obliqua retro abſtractã in duos exire alios: geminoq. latere longiore Galliæ prætendi, atque Germaniæ. In duobus milibus trecentis decem ſtadiis latitudo eius vbi patentior: longitudo non vltra ſeptem milia centum triginta duo ſtadia fertur extendi: modò verò dumoſa, modò ſylueſtri iacere planicie, montibus etiam nonnullis increſcere: mari tardo circumflua, quod nec remis facilè impellentibus cedat, nec ventorum flatibus intumeſcat, quia remotæ longius terræ cauſas motibus negant. quippe illuc latius, quàm vſquam, æquor extenditur. Refert autẽ Strabo, Græcorũ nobilis ſcriptor, tantas illã exhalare nebulas, madefacta humo Oceani crebris excurſibus; vt ſubtectus ſol

per illam penè totam fœdiorem, qui ferenus est, diem negetur aspectui, noctem quoque clariorem. In extrema eius parte Memma, quam Cornelius etiam annalium scriptor narrat, metallis plurimis copiosam, herbis frequentem, & his feraciorem omnibus, quia pecora magis, quàm homines alat. Labi verò per eam & multa quàm maxima rebabíque flumina, gemmas margaritasque voluentia, sylorum colorati vultus, torta plerique crine & nigro nascuntur. Caledoniam verò incolentibus, rutilæ comæ: corpora magna, sed fluida: qui Gallis siue Hispanis à quibusque attenduntur assimiles. Vnde coniectauere nonnulli, quòd ea ex his accolas continuo vocatos acceperit. inculti æquè omnes populi, regesque populorum: cunctis tamen in Caledoniorum metallum concessisse nominandi, autor est Dio celeberrimus scriptor annalium. Virgeas habitant casas, communia tecta cum pecore, siluæque illis sæpè sunt domus. Ob decorem nescio, an aliam ob rem, ferro pingunt

corpora.

corpora. Bellum inter ſe aut imperij cupidine, aut ampliſicandi quæ poſſident, ſæpius gerunt; non tantùm equitatu vel pedite, verùm etiam bigis, curribuſque falcatis: quos more vulgari Eſſedas vocant. Hæc pauca de Britanniæ inſulæ forma dixiſſe ſufficiat.

CAP. III.

De Scanziæ inſulæ ſitu, & nationibus.

AD Scanziæ inſulæ ſitum, quam ſuperius reliquimus, redeamus. De hac enim in ſecundo ſui operis libro Claudius Ptolemæus orbis terræ deſcriptor egregius meminit, dicens: Eſt in oceani arctoo ſalo poſita inſula magna, nomine Scanzia, in modum folij cedri, laterib. pandis poſt longum ductum concludens ſe; eius ripas influit oceanus. Hæc à fronte poſita eſt Viſtulæ fluuij, qui Sarmaticis montibus ortus, in conſpectu Scanziæ ſeptentrionali Oceano triſulcus illabitur, Germaniam Scythiamque diſterminans. Hæc ergo habet

bet ab oriente vastissimum lacum, in orbis terræ gremio: vnde Vagi fluuius velut quodam ventre generatus in oceanum vndosus euoluitur. Ab Occidente namque immenso pelago circundatur: à Septentrione quoque innauigabili eodem vastissimo concluditur Oceano, ex quo quasi quodã brachio exeunte, sinu distento, Germanicum mare efficitur. Hic gentes, quæ carnibus tantùm viuunt: ibi etiam paruæ, sed plures perhibentur insulæ esse dispositæ, ad quas si congelato mari ob nimium frigus lupi transierint, luminibus feruntur orbari. ita non solum inhospitalis hominibus, verùm etiam beluis terra crudelis est. In Scanzia verò insula, vnde nobis sermo est, licet multæ & diuersæ maneant nationes, septem tamen earum nomina memimit Ptolemæus. Apum ibi turba mellifica ob nimium frigus nunquam reperitur. In cuius parte ar Etoa gens Adogit consistit, quæ fertur in æstate media quadraginta diebus & noctibus luces habere continuas: itemque

brumali

brumali tempore, eodem dierum noctium-
que numero lucem claram nescire. Ita al-
ternato mœrore cum gaudio, beneficio aliis
damnoque impar est. & hoc quare? Quia
prolixioribus diebus solem ad Orientem per
axis marginem vident redeuntem: breuio-
ribus verò nõ sic conspicitur apud illos, sed
aliter; quia Austrina signa percurrit, &
qui nobis videtur sol ab imo surgere, illis
per terræ marginem dicitur circuire. Aliæ
verò ibi gentes tres Crefennæ, qui frumen-
torum non quæritant victum, sed carni-
bus ferarum atque auium viuunt: vbi tan-
ta paludibus fœtura ponitur, vt & au-
gmentum præstent generi, & satietatem
ac copiam genti. Alia verò gens ibi moratur
Suethans, quæ velut Thuringi equis vtun-
tur eximiis. Hi quoque sunt, qui in vsus
Romanorum Saphirinas pelles, commercio
interueniente, per alias innumeras gentes
transmittunt, famosi pellium decora nigre-
dine. Hi quum inopes viuunt, ditissimè ve-
stiuntur. Sequuntur deinde diuersarum

Digitized by Google

turba nationum, Theusthes, Vagoth, Bergio, Hallin, Liothida, quorum omnium ſedes ſub humo plana ac fertili, & propterea inibi aliarum gentium incurſionibus infeſtantur. Poſt hos Athelmil, Finnaithæ, Feruir, Gautigoth, acre hominum genus, & ad bella promptiſſimum. Dehinc mixti Euageræ Othingis. Hi omnes exeſis rupibus, quaſi caſtellis inhabitant, ritu beluino. Sunt ex his exteriores Oſtrogothæ, Raumaricæ, Raugnaricij, Finni mitiſſimi, Scanziæ cultoribus omnibus mitiores: nec non & pares eorum Vinoiloth, Suethidi, Cogeni in hac gente reliquis corpore eminentiores, quamuis & Dani ex ipſorum ſtirpe progreſſi, Erulos propriis ſedibus expulerunt: qui inter omnes Scanziæ nationes nomen ſibi ob nimiam procerita-tem affectant præcipuum. Sunt quanquam & illorum poſitura Grannij, Aganziæ, Vnixæ, Ethelrugi, Arochiranni, quibus non ante omnes, ſed ante multos annos Rodulf rex fuit, qui contempto proprio regno,

regno, ad Theoderici Gothorum regis gremium conuolauit, & vt desiderabat, inuenit. Hæ itaque gentes Romanis corpore & animo grandiores, infestæ sæuitia pugnæ.

CAP. IIII.

Gothi vnde primum egressi, quo pacto paulatim sedes suas promouerint in Scythiam Pontico mari vicinam.

EX hac igitur Scanzia insula quasi officina gentium, aut certè velut vagina nationum, cum rege suo nomine Berig, Gothi quondam memorantur egressi: qui vt primùm è nauibus exeuntes, terras attigere, ilico loco nomen dederunt. Nam hodie illic, vt fertur, Gothiscanzia vocatur. Vnde mox promouentes ad sedes Vlmerugorum, qui tunc Oceani ripas insidebant, castrametati sunt, eosque commisso prælio propriis sedibus pepulerunt, eorumque vicinos Vuandalos iam tunc subiugantes, suis applicuere victoriis. Ibi verò magna populi numerositate crescente, etiam

te, etiam penè quinto rege regnante, post Berig, Filimer, Filogud, Arigis consilio sedit, vt exinde cum familiis Gothorum promoueret exercitus, qui aptissimas sedes, locaque dum quæreret congrua, peruenit ad Scythiæ terras, quæ lingua eorum Ouim vocabantur: vbi delectato magna vbertate regionum exercitu, & medietate transposita, pons dicitur, vnde amnem transierat, miserabiliter corruisse, nec vlterius iam cuiquam licuit ire aut redire. Nam is locus, vt fertur, tremulis paludibus voragine circumiecta concluditur: quem vtraque confusione natura reddidit inperuium. Verumtamen hodieque illic & voces armentorum audiri, & indicia hominum deprehendi, commeantium attestatione, quamuis à longe audientium, credere licet. Hæc igitur pars Gothorum, quæ apud Filimer, dicitur in terras Ouim emenso amne transposita, optatum potita solum. Nec mora, ilico ad gentem Spalorum aduenium, consertoque prælio, victoriam adipiscuntur:

tur: exindeque iam velut victores ad extremam Scythiæ partem, quæ Pontico mari vicina est, properant: quemadmodum & in priscis eorum carminibus penè historico ritu in commune recolitur: quod & Ablabius descriptor Gothorũ gentis egregius verissima adtestatur historia. In quam sententiam & nonnulli consensere maiorum. Iosephus quoque Annalium relator verissimus, dum vbique veritatis conseruit regulam, & origines causarum à principio reuoluit; hæc verò, quæ diximus, de gente Gothorum principia cur omiserit, ignoramus. Sed tamen ab hoc loco eorum stirpem commemorans, Scythas & nationē & vocabulo asserit appellatos: cuius soli terminos, antequam aliud ad medium deducamus, necesse est, vti iaceant, dicere.

CAP.

CAP. V.

Scythiæ ſitus & deſcriptio. & variæ Gotthorum in ea ſedes.

SCYTHIA *ſiquidem Germaniæ terræ confinis, eotenus vbi Hiſter oritur amnis, vel ſtagnum dilatatur Myſianum, tendens vſque ad flumina Tyram, Danaſtrum, & Vagoſolam, magnumque illum Danubium, Taurumque montem, non illum Aſiæ, ſed proprium, id eſt Scythicum, per omnem Mæotidis ambitum, vltraque Mæotida per anguſtias Boſpori vſque ad Caucaſum montem, amnemque Araxem, ac deinde in ſiniſtram partem reflexa, poſt mare Caſpium, quæ in extremis Aſiæ finibus ab Oceano Euroboreo in modũ fungi primum tenuis, poſt hæc latiſſima & rotunda forma exoritur, vergens ad Hunnos, Albanos, & Seres vſque digreditur. Hæc inquam patria, id eſt Scythia, longè ſe tendens, lateque aperiens, habet ab oriente Seres, in ipſo ſui principio ad*

littus

littus Caſpij maris commanentes; ab occidente Germanos, & flumen Viſtulæ; ab Arctoo, id eſt Septentrionali, circundatur Oceano, à meridie Perſide, Albania, Iberia, Ponto, atque extremo alueo Hiſtri, qui dicitur Danubius ab oſtio ſuo vſque ad fontem. In eo verò loci latere, quo Ponticum littus attingit, oppidis haud obſcuris inſoluitur, Boriſthenide, Olbia, Callipode, Cherſone, Theodoſia, Pareone, Myrmycione, & Trapezunte, quas indomitæ Scythārum nationes Græcos permiſere condere, ſibimet commercia præſtaturos. In cuius Scythiæ medio eſt locus, qui Aſiam Europamque ab alterutro diuidit, Riphæi ſcilicet montes, qui Tanain vaſtiſſimum fundunt intrantem Mæotida; cuius paludis circuitus paſſuum milia CXLIIII, nuſquam octo vlnis altius ſubſidentis. In qua Scythia prima ab occidente gens ſedit Gepidarum, quæ magnis opinatiſq. ambitur fluminibus. Nam Tiſianus per Aquilonem eius Corumque diſcurrit. Ab africo verò

co verò magnus ipse Danubius, ab Euro fluuius Tausis secat, qui rapidus ac verticosus in Histri fluenta furens deuoluitur. Introrsus illi Dacia est, ad coronæ speciem arduis alpibus emunita, iuxtaq; quorum sinistrum latus, quod in Aquilonē vergit, & ab ortu Vistulæ fluminis per immensa spacia venit, Vuinidarum natio populosa consedit. Quorum nomina licet nunc per varias familias & loca mutentur, principaliter tamen Sclauini & Antes nominantur. Sclauini à Ciuitate noua, & Sclauino Rummense, & lacu qui appellatur Musianus, vsque ad Danastrum, & in Boream Viscla tenus commorantur. hi paludes syluasque pro ciuitatibus habent. Antes verò, qui sunt eorum fortissimi, qui ad Ponticum mare curuantur, à Danastro extenduntur vsque ad Danubium, quæ flumina multis mãsionibus ab inuicem absunt. Ad littus autem Oceani, vbi tribus faucibus fluenta Vistulæ fluminis ebibuntur, Vidioarij residēt, ex diuersis nationibus

bus aggregati, post quos ripam Oceani Itemesti tenent, pacatum hominum genus omnino. Quibus in austro adsedit gens Agazzirorum fortissima, frugum ignara, quæ pecoribus & venationibus victitat. Ultra quos distenduntur supra mare Ponticum Bulgarorum sedes, quos notissimos peccatorum nostrorum mala fecere. Hinc iam Hunni quasi fortissimarum gentium fœcundissimus cespes, in bifariam populorum rabiem pullularunt. Nam alij Aulziagri, alij Auri nuncupantur, qui tamen sedes habent diuersas. Iuxta Chersonem Aulziagri, quò Asiæ bona auidus mercator importat, qui æstate campos peruagantur effusos, sedes habentes, prout armentorum inuitauerint pabula; hyeme supra mare Ponticum se referentes. Hunugari autem hinc sunt noti, quia ab ipsis pellium murinarum venit commercium: quos tantorum virorum formidauit audacia. Quorum mansionem primam esse in Scythiæ solo iuxta paludem Mœotidem, secundò in Mœ-

ſia, Thraciáque, & Dacia, tertiò ſupra mare Ponticum, rurſus in Scythia legimus habitaſſe: nec eorum fabulas alicubi reperimus ſcriptas, qui eos dicunt in Britannia, vel in vna qualibet inſularum in ſeruitutẽ redactos, & vnius caballi precio quondam redemptos. Aut certè ſi quis eos aliter dixerit in noſtro orbe, quàm quod nos diximus, fuiſſe exortos, nobis aliquid obſtrepit. nos enim potius lectioni credimus, quàm fabulis anilibus conſentimus. Vt ergo ad noſtrum propoſitum redeamus, in prima parte Scythiæ, iuxta Mæotidem, commanentes præfati, vnde loquimur, Filimer regem habuiſſe noſcuntur. In ſecundo, id eſt, Daciæ, Thraciæque & Mœſiæ ſolo Zamolxen, quem miræ philoſophicæ eruditionis fuiſſe teſtantur plerique ſcriptores annalium. Nam & Zeutam prius habuerunt eruditum, poſt etiam Diceneum, tertium Zamolxen, de quo ſuperius diximus. Nec defuerunt, qui eos ſapientiam erudirent. Vnde & penè omnibus barbaris

barbaris Gothi ſapientiores ſemper extiterunt, Græcisque penè conſimiles, vt refert Dio: qui hiſtorias eorum annales q. Græco ſtilo compoſuit. Qui dixit primùm Zarabos Tereos, deinde vocitatos Pileatos hos, qui inter eos generoſi extabant: ex quibus eis & reges, & ſacerdotes ordinabantur. Adeo ergo fuere laudati Getæ, vt dudum Martem, quem poëtarum fallacia deum belli pronunciat, apud eos fuiſſe dicant exortum. Vnde & Virgilius,

Gradiuumque patrem Geticis qui præſidet aruis.

Quem Martem Gothi ſemper aſperrima placauere cultura. Nam victimæ eius mortes fuere captorum, opinantes bellorum præſulem aptius humani ſanguinis effuſione placandum. Huic prædæ primordia vouebantur, huic truncis ſuſpendebantur exuuiæ. eratque illis religionis præter cæteros inſinuatus affectus, quum parenti deuotio nominis videretur impendi. Tertia verò ſedes ſupra mare Ponticum. iam humaniores,

maiores, & vt ſuperius diximus, prudentiores effecti, diuiſi per familias populi, Veſegothæ familiæ Balthorum, Oſtrogothæ præclaris Amalis ſeruiebant. Quorum ſtudium fuit primum, inter alias gentes vicinas, arcus intendere neruis, Lucano plus hiſtorico quàm poëta teſtante.

Armeniosq. arcus Geticis intendere neruis.

Ante quos etiam cantu maiorum facta modulationibus citharisque canebant, Ethesſamaræ, Hanalæ, Fridigerni, Vuidiculæ, & aliorum, quorum in hac gente magna opinio eſt, quales vix heroas fuiſſe miranda iactat antiquitas. Tunc, vt fertur, Veſoſis Scythis lachrymabile ſibi potius intulit bellum, eis videlicet, quos Amazonum viros priſca tradit autoritas. De queis feminas bellatrices & Oroſius in primo volumine profeſſa voce teſtatur. Vnde cum Gothis eum dimicaſſe euidenter probamus, quem cum Amazonum viris abſolutè pugnaſſe cognoſcimus, qui tunc à Boriſthene amne,

Digitized by Google

amne, quem accolæ Danubium vocant, vsque ad Tanain fluuium circa sinum paludis Mæotidis considebant. Tanain verò hunc dico, qui ex Ripheis montibus deiectus adeò præceps ruit, vt quum vicina flumina, siue Mæotis, vel Bosporus gelu solidentur, solus amnium confragosis montibus vaporatus, nunquam Scythico durescit algore. Hic inter Asiam Europamque terminus famosus habetur. Nam alter est ille, qui montibus Chrimnorum oriens, in Caspium mare dilabitur. Danubius autem ortus grandi palude, quasi ex mari profunditur. Hic vsque ad medium sui dulcis est & potabilis, pisces que nimij saporis gignit, ossibus carentes, cartilaginem tantum habentes in corporis contimentiam. Sed vbi fit Ponto vicinior, paruum fontem suscipit, cui ex Ampheo cognomen est, adeo amarum, vt cum sit XL. dierum itinere nauigabilis, huius aquis exiguis immutetur, infectusque, ac dissimilis sui, inter Græca oppida Callipidas & Hipanis in mare de-

fluat. Ad cuius ostia insula est in fronte, Achillis nomine. Inter hos terra vastissima, siluis consita, paludibus dubia.

Cap. VI.

Gothi Vesosim Ægyptiorum regem profligant, & Asiam in reditu ex Ægypto subiugant. Item, De Parthorũ origine.

HIC ergo Gothis morantibus, Vesosis Ægyptiorum rex in bellum irruit: quib. tunc Taunasis rex erat. Quo prælio ad Phasim fluuium, à quo Phasides aues exortæ, in toto mundo epulis potentum exuberant, Taunasis Gothorum rex Vesosi Ægyptiorum occurrit, eumque grauiter debellans, in Ægyptum vsque persecutus est: & nisi Nili amnis intransmeabilis obstitisset fluenta, vel munitiones, quas dudum sibi ob incursiones Aethiopum Vesosis fieri præcepisset, ibi in eius eum patria extinxisset. Sed dum eum semper ibi positum non valuisset lædere, reuertens penè omnem Asiam subiugauit, & sibi

ſibi tunc charo amico Sorno rege Medorum ad perſoluendum tributum ſubditum fecit. Ex cuius exercitu victores tunc nonnulli prouincias ſubditas contuentes, & in omni fertilitate pollentes, deſerto ſuorum agmine ſponte in Aſiæ partib. reſederunt. Ex quorum nomine vel genere Trogus Pompeius Parthorum dicit extitiſſe proſapiam. Vnde etiam hodieque lingua Scythica fugaces, quod eſt Parthi, dicuntur: ſuoque generi reſpondentes, inter omnes penè Aſiæ nationes ſoli ſagittarij ſunt, & acerrimi bellatores. De nomine verò, quòd diximus eos Parthos, id eſt fugaces, ita aliquanti etymologiam traxerunt, vt dicerentur Parthi, quia ſuos refugere parentes. Hunc ergo Taunaſim regem Gothorum mortuum inter numina ſui populi coluerunt.

CAP. VII.

Amazones abſentibus in prælio maritis, hoſtium variis incurſibus reſiſtunt, & diuerſas Aſiæ gentes bello ſuperant.

POST *cuius deceſſum exercitu eius cum ſucceſſore ipſius in aliis partib. expeditionem gerente, feminæ Gothorum à quadam vicina gente tentatæ, in prædamque ductæ à viris, fortiter reſtiterunt, hoſtesque ſuper ſe venientes cum magna verecundia abegerunt. Qua parata victoria, fretæque maiori audacia, inuicem ſe cohortantes, arma arripiunt, eligentesque duas audaciores Lampeto & Marpeſiam principatui ſubrogarunt. Quæ dum curam gerunt, vt propria defenderent, & aliena vaſtarent, ſortitò Lampeto reſtitit, fines patrios tuendo: Marpeſia verò ſeminarum agmine ſumpto, nouum genus exercitus duxit in Aſiam, diuerſaſque gentes bello ſuperans, alios verò pace concilians, ad Caucaſum venit: ibique cer-*

tum

tum tempus demorans, loco nomen dedit, Saxum Marpesiæ. Vnde Virgilius:

Ac si dura silex aut stet Marpesia cautes.

In eo loco vbi post hæc Alexander Magnus portas constituens, Pylas Caspias nominauit: quòd nunc Lazorum gens custodit pro munitione Romana. Hic ergo certum temporis Amazones commanentes confortatæ sunt. Vnde egressæ, & Alym fluuium, qui iuxta Garganum ciuitatem præterfluit, transeuntes; Armeniam, Syriam, Ciliciamque, Galatiam, Pisidiam, omniaque Asiæ oppida, æqua felicitate domuerunt: Ionium, Aeoliamque conuersæ, deditas sibi prouincias effecerunt. Vbi diutius dominantes, etiam ciuitates castraque suo nomini dicauerunt. Ephesi quoque templum Dianæ ob sagittandi venandique studium, quibus se artibus tradidissent, effusis opibus, miræ pulchritudinis condiderunt. Tali ergo Scythicæ gentis femine casu Asiæ regno potitæ, per centum

penè annos tenuerunt, & sic demum ad proprias sociat in cautes Marpesias, quas superius diximus, repedarunt, in montem scilicet Caucasum. Cuius montis quia facta iterum mentio est, non ab re arbitror eius tractum, situmque describere, quando maximam partem orbis noscitur circuire iugo continuo. Caucasus ab Indico mari surgens, quà meridiem respicit, sole vaporatus ardescit. Qua septentrioni patet, rigentibus ventis est obnoxius & pruinis. Mox in Syriam curuato angulo reflexus, licet amnium plurimos emittat, in Asianam tamen regionem Eufratem Tigrimque nauigeros ad opinionem maximam perennium fontium copiosis fundit vberibus. Qui amplexantes terras Assyriorum, Mesopotamiam & appellari faciunt, & videri, in sinum maris rubri fluenta deponentes. Tunc in Boream reuertens, Scythias terras, iugum antefatum magnis flexibus peruagatur: atque ibidem opinatissima flumina in Caspium mare profundens,

Digitized by Google

fundens, Araxem, Cyſſum, & Cambyſen continuato iugo ad Ripheos vſque montes extenditur. Indeque Scythicis gentibus dorſo ſuo terminum præbens, ad Pontum vſque deſcendit: conſertisque collibus, Hiſtri quoque fluenta contingit, quo amniſ ciſſus debiſcens, in Scythia quoque Taurus vocatur. Talis ergo, tantusque, & penè omnium montium maximus, excelſas ſuas erigens ſummitates, naturali conſtructione præſtat gentibus inexpugnanda munimina. Nam locatim reciſus, qua diſrupto iugo vallis hiatu pateſcit, nunc Caſpias portas, nunc Armenias, nunc Ciliças, vel ſecundum locum qualis fuerit, facit; vix tamen plauſtro meabilis, lateribus in altitudinem vtrinque directis, qui pro gentium varietate diuerſo vocabulo nuncupatur. Hunc enim Iamnium, mox Propaniſmum Indus appellat: Parthus primum caſtra poſt Niſacen edicit. Syrus & Armenius Taurum, Scythæ Caucaſum ac Ripheum, iterumq. in fine Taurum cognominant:

minant: aliáque complura gentes huic ingo dedere vocabula. Et quia de eius continuatione pauca libauimus, ad Amazones, vnde diuertimus, redeamus.

CAP. VIII.

De Amazonum cum vicinis gentibus concubitu, earumque partubus.

VERITAE *hæ, ne earũ proles raresceret, à vicinis gentibus concubitum petierunt. facta nundina semel in anno, ita vt futuris temporibus eis deinde reuertentibus in idipsum, quicquid partus masculini edidisset, patri redderet: quicquid verò fœminei sexus nasceretur, mater ad arma bellica erudiret. Siue, vt quibusdam placet, editis maribus, nouercali odio infantis miserandi fata rumpebant: ita apud illas detestabile puerperium erat, quod vbique constat esse votiuum. Quæ crudelitas illis terrorem magnum cumulabat, opinione vulgata. Nam quæ, rogo, spes esset capto, vbi ignosci vel filio nefas habebatur?*

tur? Contra has, vt fertur, pugnabat Hercules, & Melanes penè plus dolo quàm virtute subegit. Theseus verò Hippolyten in prædam tulit, de qua genuit & Hippolytum. Hæ quoque Amazones post hæc habuere reginam nomine Pentheſileam, cuius Troiano bello extant clarissima documenta. Nam hæ feminæ vsque ad Alexandrum Magnũ referuntur tenuisse regnum.

CAP. IX.

De viris Amazonum, & eorum rege Telepho. deque eius ortu & rebus gestis.

SED ne dicas, de viris Gothorum sermo adsumptus, cur in feminis tamdiu perseueret: audi & virorum insignem, & laudabilem fortitudinem. Dio historicus, & antiquitatum diligentissimus inquisitor, (qui) operi suo Getica titulum dedit: quos Getas iam superiori loco Gothos esse probauimus, Orosio Paulo dicente: Hic Dio regem illis post tempora multa commemorat, nomine Telephum. Ne verò

Verò quis dicat hoc nomen à lingua Gothica omnino peregrinũ esse; nemo est qui nesciat animaduerti usu pleraque nomina gentes amplecti, vt Romani Macedonum, Græci Romanorum, Sarmatæ Germanorum, Gothi plerunque mutuantur Hunnorum. Is ergo Telephus Herculis filius, natus ex Auge sorore Priami, coniugio copulatus, procerus quidem corpore, sed plus vigore terribilis, paternam fortitudinem propriis virtutibus æquans, Herculis genio formæ quoq. similitudinem referebat. Huius itaque regnum Mœsiam appellauere maiores. Quæ prouincia ab oriente ostia fluminis Danubij, à meridie Macedoniam, ab occasu Histriam, à septentrione Danubium habet. Is ergo antefatus habuit bellum cum Danais, in qua pugna Thessandrum ducem Græciæ interemit: & dum Aiacem infestus inuadit, Vlyssemque persequitur, equo cadente, ipse corruit, Achillisque iaculo fœmore sauciatus, diu mederi nequiuit. Græcos tamen quamuis iam sauciatus,

cius,

Digitized by Google

cius, è ſuis finibus proturbauit. Telepho verò defuncto, Eurypilus filius ſucceſſit in regno, ex Priami Phrygum regis germana progenitus. Qui ob Caſſandræ amorem bello intereſſe Troiano, ac parentibus ſoceroque ferre auxilium cupiens, mox vt venit extinctus eſt.

CAP. X.

De variis Gothorũ aduerſus reges Perſarum, & Macedonum bellis & victoriis.

CYRVS rex Perſarum poſt grande interuallum, & penè poſt ſexcentorum triginta annorum tempora, Pompeio Trogo teſtante, Getarum reginæ Thamiri ſibi exitiale intulit bellum. Qui elatus ex Aſiæ victoria, Getas nititur ſubiugare, in quibus (vt diximus) regnauerat Thamiris. Quæ cum ab Araxe amne Cyri arcere potuiſſet acceſſus, tranſire tamen permiſit, eligens armis eum vincere, quàm locorum beneficio ſubmouere. quod & factum eſt. & veniente Cyro, prima

ceſſit

ceſſit fortuna Parthis tanta, vt & filium Thamiris, & plurimum exercitum trucidarent: ſed iterato Marte, Getæ cum ſua regina Parthos deuictos ſuperant atque proſternunt, opimamque prædam de eis auferunt: ibique primum Gothorum gens ſerica vident tentoria. Tunc Thamiris regina acta victoria, tantaque præda de inimicis potita, in partem Mœſiæ (quæ nunc ex magna Scythia nomen mutuata, minor Scythia eſt appellata) tranſiens, ibi in ponte Mœſiæ colitur, & Thamiris ciuitatem ſuo de nomine ædificauit. Dehinc Darius rex Perſarum Hyſtaſpis filius, Antiregiri regis Gothorum filiam in matrimonium expoſtulauit, rogans pariter atque deterrens, niſi ſuam peragerent voluntatem. Cuius affinitatem Gothi ſpernentes, legationem eius fruſtrarunt. Qui repulſus, furore flammatus eſt, & octoginta milia armatorum contra ipſos produxit exercitum, verecundiam ſuam malo publico vindicare contendens; nauibusque penè à Chalce-

donia

donia vſque ad Byzantium ad inſtar pontium tabulatis æquè conſertis, petit Thraciam & Mœſiam; ponteque rurſus in Danubio pari modo conſtructo, duobus menſibus crebris fatigatus intaphis octo millia perdidit armatorum, timensque ne pons Danubij ab eius aduerſarijs occuparetur, celeri fuga in Thraciam repedauit: nec Mœſiæ ſolum credens ſibi tutum fore aliquantum remorandi. Poſt cuius deceſſum iterum Xerxes filius eius paternas iniurias vlciſci ſe æſtimans, cum ſuis ducentis & auxiliatorum trecentis milibus armatorum, roſtratas naues habens mille ſeptingentas, & onerarias tria milia, ſuper Gothos profectus ad bellum, nec tentata re in conflictu præualuit, animoſitate conſtantiæ ſuperatus. Sic nanque vt venerat, abſque aliquo certamine ſuo cum rubore receſſit. Philippus quoque pater Alexandri magni cum Gothis amicitias copulans, Medopam Gothilæ filiam regis accepit vxorem, vt tali affinitate roboratus,

Macedonum regna firmaret. Qua tempestate, Dione historico dicente, Philippus inopiam pecuniæ passus, Vdisitanam Mœsiæ ciuitatem instructis copiis vastare deliberat, quæ tunc propter viciniam Thamiris, Gothis erat subiecta. Vnde & sacerdotes Gothorum aliqui, illi qui Pij vocabantur, subito patefactis portis, cum citharis & vestibus candidis obuiam sunt egressi, paternis diis, vt sibi propitij Macedones repellerent, voce supplici modulantes. Quos Macedones sic fiducialiter sibi occurrere contuentes stupescunt; & si dici fas est, ab inermibus tenentur armati. Nec mora, arte soluta quam ad bellum construxerunt, non tantùm ab vrbis excidio remouere; verùm etiam & quos foris fuerunt iure belli adepti reddiderunt, fœdereque inito ad sua reuersi sunt. Quem dolum post longum tempus reminiscens egregius Gothorum ductor Sitalcus, CL. virorum milibus congregatis, Athenienſibus intulit bellum, aduersus Perdiccam

Mace-

Digitized by Google

Macedoniæ regem, quem Alexander apud Babyloniam ministri insidiis potans meritum, Athenienſium principatui hæreditario iure reliquerat ſucceſſorem. Magno prælio cum hoc inito, Gothi ſuperiores inuenti ſunt: & ſic pro iniuria, quam illi in Mœſia dudum feciſſent, iſti in Græciam diſcurrentes, cum tota Macedonia, uaſtauere.

CAP. XI.

De Dicenei Boroiſtæ ad Gothos aduentu, qui eos omnem philoſophiam docuit, deque eius ſumma apud Gothos authoritate. Item De Comoſico Diceneï ſucceſſore.

DEHINC regnante in Gothis Sitalco, Boroiſta Diceneus venit in Gothiam, quo tempore Romanorum Sylla potitus eſt principatu, quem Diceneus ſuſcipiens Boroiſta, dedit ei penè regiam poteſtatem: cuius conſilio Gothi Germanorum terras (quas nunc Franci obtinent)

depopulati sunt. Cæsar verò, qui sibi primus omnium Romanum vindicauit imperium, & penè omnem mundum suæ ditioni subegit, omniaque regna perdomuit, adeo vt extra nostrum orbem Oceani sinu repositas insulas occuparet, & qui nec nomen Romanorum auditu quidem nouerant, eos Romanis tributarios faceret; Gothos tamen crebro tentans nequiuit subigere. Gaius Tiberius iam tertius regnat Romanis, Gothi tamen suo regno incolumes perseuerant; quibus hoc erat salubre, aut commodum, aut votiuum, vt quicquid Diceneus eorum consiliarius præcepisset, hoc modis omnibus expetendum, hoc vtile iudicantes, effectui manciparent. Qui cernens eorum animos sibi in omnibus obedire, & naturale eos habere ingenium, omnem penè philosophiam eos instruxit. erat enim huius rei magister. Nam Ethicam eos eruditit, vt barbaricos mores ab eis compesceret: Physicam tradens, naturaliter propriis legibus viuere fecit, quas

vsque

vſque nunc conſcriptas Bellagines nuncupant : Logicam inſtruens, eos rationis ſupra cæteras gentes fecit expertos : Practicen oſtendens, in bonis actibus conuerſari ſuaſit : Theoricen demonſtrans, ſignorum duodecim, & per ea planetarum curſus, omnemque aſtronomiam contemplari edocuit, & quomodo lunaris orbis augmentum ſuſtinet, aut patitur detrimentum, edixit : ſolisque globus igneus quantum terrenum orbem in menſura excedat, oſtendit: aut quibus nominibus, vel quib. ſignis in cæli polo vergentes, aut reuergentes CCCXLIIII *ſtellæ ab ortu in occaſum præcipites ruant, expoſuit. Qualis erat, rogo, volũtas, vt viri fortiſſimi quando ab armis quatriduum vſque vacaſſent, doctrinis philoſophicis imbuebantur? videres vnum cæli poſitionem, alium herbarum frugumque explorare naturas; iſtum lunæ commoda incommodaque, illum ſolis laborem attendere, & quomodo rotatu cæli raptus, retro reduci ad partem occi-*

 duam,

diam, qui ad orientalem plagam ire festinarit, ratione accepta quiescere. Hac & alia multa Diceneus Gothis sua peritia tradens, mirabilis apud eos inuenitur; vt non solum mediocribus, imò & regibus imperaret. Elegit nanque ex eis tunc nobilissimos prudentiores viros, quos Theologiam instruens, numina quædam & sacella venerari suasit, fecitque sacerdotes, nomen illis Pileatorum contradens, vt reor, quia opertis capitibus tiaris, quos pileos alio nomine nuncupamus, litabant: reliquam verò gentem Capillatos dicere iussit, quod nomen Gothi pro magno suscipientes, adhuc hodie suis cantionibus reminiscuntur. Decedente verò Diceneo, penè pari veneratione habuere Comoficum, quia nec impar erat solertia. Hic etenim & rex illis, & pontifex ob suam peritiam habebatur, & in sua iustitia populos iudicabat.

CAP.

CAP. XII.

De Corillo Gothorum rege. Item Descriptio Daciæ antiquæ. Item Descriptio Danubij.

ET hoc rebus excedente humanis, Corillus rex Gothorum in regnum conscendit, & per XL *annos in Dacia suis gentibus imperauit. Daciam dico antiquam, quam nunc Gepidarum populi possidere noscuntur. Quæ patria in conspectu Mœsiæ trans Danubium corona montium cingitur, duos tantum habens accessus, vnum per Bontas, alterum per Tabas. Hanc Gothicam, quam Daciam appellauere maiores, (quæ nunc, vt diximus, Gepidia dicitur) tunc ab oriente Roxolani, ab occasu Tamazites, à septentrione Sarmatæ & Bastarnæ, à Meridie amnis Danubij fluenta terminant. Tamazites à Roxolanis alueo tantum fluuij segregantur. Sed quia Danubij mentio facta est, non ab re iudico pauca de tali amne egregia indicare.*

Nam hic in Almanicis aruis exoriens, LX *habet à fonte suo flumina vsque ad ostia in Pontum vergentia, per mille ducentorum passuum milia hinc inde suscipiens flumina in modum spinæ, quæ costas vt cratem intexunt. omnino amplissimus est, qui in lingua Bessorum Hister vocatur, ducentis tantum pedibus in altum aquam alueo habet profundam. Hic etenim amnis inter cætera flumina immanis, omnes superat, præter Nilum. Hæc de Danubio dixisse sufficiat. Ad propositum verò, vnde nos digressi sumus, adiuuante domino, redeamus.*

CAP. XIII.

De Dorpaneo Gothorum rege, & variis eorum contra Romanos sub Domitiano Imp. prælijs & victoriis.

LONGVM post interuallum, Domitiano Imperatore regnante, eius auaritiam metuentes, fœdus quod dudum cum aliis principibus pepigerant Gothi soluentes; ripam Danubij iam longè possessam

Digitized by Google

ſam ab imperio Romano, deiectis militibus cum eorum ducibus vaſtauerunt, cui prouinciæ tunc poſt Agrippam Poppæus præerat Sabinus. Gothis autem Dorpaneus principatum agebat, quando bello commiſſo Gothi Romanis deuictis, Poppæi Sabini capite abſciſſo, multa caſtella & ciuitates inuadentes de parte Imperatoris publicè deprædarunt: qua neceſsitate ſuorum Domitianus cum omni virtute ſua in Illyricum properauit, & totius penè reipublicæ militibus ductore Fuſco prælato cum electiſſimis viris amnem Danubium confertis nauibus ad inſtar pontis tranſmeare coëgit, ſuper exercitum Dorpanei. Tum Gothi haud ſegnes reperti, arma capeſſunt, primoque armati conflictu, mox Romanos demouent, Fuſcoque duce extincto, diuitias de caſtris militum deſpoliant, magnaque potiti per loca victoria, tam proceres ſuos quaſi qui fortuna vincebant, non puros homines, ſed ſemideos, id eſt Anſes vocauere. Quorum genealogiam vt pau-

cis percurram, vt quo quis parente genitus est, aut vnde origo accepta, vbi finem efficit, absque inuidia qui legis vera dicentem ausculta.

Cap. XIV.

Genealogia Procerum Gothorum, quos illi Anses, id est semideos vocabant. déque eorum origine & fine.

Horum ergo (vt ipsi suis fabulis ferunt) primus fuit Gapt, qui genuit Halmal, Halmal verò genuit Augis, Augis genuit eum, qui dictus est Amala, à quo & origo Amalorum decurrit. Et Amala genuit Isarna, Isarna autem genuit Ostrogotha, Ostrogotha genuit Vnilt, Vnilt genuit Athal, Athal genuit Achiulf, Achiulf genuit Ansilam & Ediulf, Vuldulf & Hermerich; Vuldulf verò genuit Valerauans; Valerauans autem genuit Vuinitharium, Vuinitharius quoque genuit Theodemir & Vualemir & Vuidemir: Theodemir genuit Theodericum,

Theode-

Theodericus genuit Amalaſuentam, Amalaſuenta genuit Athalaricum & Mathaſuentam, de Vtherico viro ſuo, cuius affinitati generis ſic ad eam coniunctus eſt. Nam ſupradictus Hermericus filius Achiulfi genuit Hunnimundum, Hunnimundus autem genuit Thoriſmundum, Thoriſmundus verò genuit Berimund, Berimund genuit Vuidericum, Vuidericus genuit Eutharicum, qui coniunctus Amalaſuentæ genuit Athalaricum & Mathaſuentam; mortuoque in puerilibus annis Athalarico, Mathaſuentæ Vuitichis eſt ſociatus, de quo non ſuſcepit liberum, adductique ſimul à Beliſario in Conſtantinopolim, & Vuitichi rebus excedente humanis, Germanus patricius fratruelis domini Iuſtiniani Imperatoris eandem in coniugio ſumens, patriciam ordinariam fecit; de qua filium genuit item Germanum nomine. Germano verò deſuncto ipſa vidua perſeuerare diſponit. Qualiter autem, aut quomodo Amalorum regnum deſtru-

ctum

Etum eſt, loco ſuo (ſi dominus voluerit) edocebimus. Nunc autem ad id, unde digreſſum fecimus, redeamus, doceamusque quando ordo gentis, unde agimus, curſus ſui metam expleuerit. Ablauius enim hiſtoricus refert, quia ibi ſuper limbum Ponti, vbi eos diximus in Scythia commanere, pars eorum, qui orientalem plagam tenebant, eisque præerat Oſtrogotha (incertum utrum ab ipſius nomine, an à loco orientali) dicti ſunt Oſtrogothæ, reſidui verò Veſegothæ in parte occidua. Et quidem iam diximus, eos tranſito Danubio aliquantum temporis apud Mœſiam, Thraciamque vixiſſe.

CAP. XV.

De Maximini Imp. è gente Gothica orti mira fortitudine, & quopacto ad Imperium peruenerit, fragmentum ſumtum ex Symmachi hiſtoriarum lib. v.

Ex eorum reliquiis fuit & Maximinus Imperator, poſt Alexandrum

drum Mammeæ, vt dicit Symmachus in quinto ſuæ hiſtoriæ libro. Alexandro, inquit, Cæſare mortuo, Maximinus ab exercitu factus eſt Imperator, ex infimis parentibus in Thracia natus, à patre Gotho nomine Mecca, matre Alana, quæ Ababa dicebatur. Is triennium regnans, dum in Chriſtianos arma commoueret, imperium ſimul & vitam amiſit. Nam hic Seuero Imperatore regnante, & natalem filij diem celebrante, poſt primam ætatem & ruſticam vitam, de paſcuis in militiam venit. Princeps Seuerus quidem militares dederat ludos; quod cernens Maximinus, qui erat ſemibarbarus adoleſcens, poſitis præmiis, barbara lingua petit ab Imperatore, vt ſibi luctandi cum militibus licentiam daret. Seuerus admodum miratus magnitudinem formæ, (erat enim, vt fertur, ſtatura eius procera vltra octo pedes) iuſſit eum cum lixis corporeo nexu contendere, ne quid à rudi homine militaribus viris veniret iniuriæ. Tunc Maximinus ſedecim

lixas

luxas tanta felicitate prostrauit, vt vincendo singulos nullam sibi requiem intercapedine temporum daret. Hic captis premiis, iussus est in militiam mitti, primáque ei stipendia equestria fuere. Tertiam post diem, cum Imperator prodierat in campum, vidit eum exsultantem more barbarico, iussitque tribuno vt eum coërcitum ad Romanam imbueret disciplinam. Ille verò vbi de se intellexit principem loqui, accessit ad eum, equitantemque præire pedibus cœpit. Tum Imperator equo adacto in cursum calcaribus incitatum, multos orbes huc atque illuc vsque ad suam fatigationem variis inflexibus interpedauit, ac deinde ait illi: Numquid vis post tursum Thraciſce luctari? respondit, Quantum libet, Imperator. Ita Seuerus ex equo desiliens, recentissimos militum cum eodem certare iussit. At ille septem valentissimos milites ad terram elisit, ita vt antea nihil per interualla respiraret. Solus à Cæsare & argenteis præmiis, & aureo torque donatus

tus est, iussus deinde inter stipatores degere corporis principalis. Post hæc sub Antonino Caracalla ordines duxit, ac sæpè famam factis extendens, inter plures militiæ gradus centuriasque strenuitatis suæ pretium tulit. Macrino tamen postea in regnum ingresso, recusauit militiam penè triennium, tribunatusque habens honorem, nunquam se oculis obtulit Macrini, indignum ducens eius imperium, quod perpetratum facinus erat quæsitum ab Heliogabalo. Dehinc quasi ad Antonini filium reuertens, tribunatum suum adiit, & post hunc sub Alexandro Mammeæ contra Parthos mirabiliter dimicauit. Eoque Mogontiaco militari tumultu occiso, ipse exercitus electione absque Senatus consultu effectus est imperator, qui cuncta bona sua in Christianorum persecutione malo voto fœdauit, occisusque Aquileiæ à Pupione, regnum reliquit Philippo. Quod nos idcirco huic opusculo de Symmachi historia mutuauimus, quatenus gentem, unde agimus, ad regni

Romani

Romani faſtigium vſq. veniſſe doceamus. Cæterùm cauſa exigit vt ad id vnde digreſſi ſumus redeamus.

Cap. XVI.

Gothi antea Romanorũ fœderati, ob diſtracta ſibi ſtipendia hoſtes facti, Mœſiam Thraciamque vaſtant, ductu Oſtrogothæ regis.

NAM gens iſta mirum in modum in ea parte, qua verſabatur, id eſt Ponti in littore Scythiæ ſoli innotuit, ſine dubio tanta ſpacia tenens terrarum, tot ſinus maris, tot fluminum curſus, ſub cuius ſæpè dextra Vuandalus iacuit, ſtetit ſub precio Marcomannus, Quadorum principes in ſeruitutem redacti ſunt. Philippo nanque antedicto regnante Romanis, qui ſolus ante Conſtantinum Chriſtianus cum Philippo, id eſt filio fuit, cuius & ſecundo anno regni Roma milleſimum annum expleuit, Gothi, vt aſſolet, diſtracta ſibi ſtipendia ſua ferentes ægrè, de amicis facti

facti sunt inimici. Nam quamuis remoti sub regibus viuerent suis, Reipublicæ tamen Romanæ fœderati erant, & annua munera percipiebant. Quid multa? Transiens tunc Ostrogotha cum suis Danubium, Mœsiam Thraciamque vastauit. ad quem repellendum Decius senator à Philippo dirigitur; qui veniens dum genti nihil praualet, milites proprios exemptos à militia fecit vita priuata degere, quasi eorum neglectu Gothi Danubium transissent, factaque vt puta in suis vindicta, ad Philippum reuertitur. Milites verò videntes, se esse post hos labores militia pulsos, indignati ad Ostrogothæ regis Gothorum auxilium confugerunt. Qui excipiens eos, eorumque verbis accensus, mox triginta millia virorum armata produxit ad prælium, adhibitis sibi Thaphilis & Astringis nonnullis. Sed & Carporum tria millia, genus hominum ad bella nimis expeditum, qui sæpe Romanis infesti sunt; quos tamen post hæc imperante Diocletiano, Galerius

Digitized by Google

Maximinus Cæsar de ciuitate Reipublicæ Romanæ subiecit. Is ergo habens Gothos & Peucenos, ab insula Peuce, quæ ostio Danubij Ponto mergenti adiacet, Argaitum & Gunthericum nobilissimos suæ gentis præfecit ductores. Qui mox Danubium vadati, & secundò Mœsiam populati, Marcianopolim eiusdem patriæ urbem famosam metropolim aggrediuntur, diuq; obsessam, accepta pecunia ab his, qui inerant, reliquere. Et quia Marcianopolim nominauimus, libet aliqua de eius situ breuiter intimare. Nam hanc urbem Traianus Imperator hac re ædificauit, ut fertur, eò quòd Marciæ sororis suæ puella, dum lauat in flumine illo, quod nimiæ limpiditatis saporisque in media urbe oritur, Potami cognomento, exindeque vellet aquam haurire, casa vas aureum, quod ferebatur, in profundum cecidit, metalli pondere grauatum, & longè pòst emersit, quod certè non erat vsitatum, aut vacuũ sorberi, aut certè semel voratum vndis respuen-

tibus renatare. His Traianas ſub admiratione compertis, fontiſque numinis quiddam ineſſe credens, conditam ciuitatem germanæ ſuæ in nomine Marcianopolim nominauit.

CAP. XVII.

Faſtida Gepidarum rex, Oſtrogothæ Gothorum regi bellum infert, Gothi victores euadunt. Item de cognatione inter ſe Gothorum & Gepidarum.

AB hinc ergo, vt dicebamus, poſt longam obſidionem accepto præmio ditatus Geta, receſſit ad patriã: quem Gepidarum cernens natio ſubitò vbique vincentem, prædiſq. ditatum, inuidia ductus, arma in parentes mouet. Quomodo verò Getæ Gepidæque ſint parentes ſi quæris, paucis abſoluam. Meminiſſe debes, me initiò de Scanziæ inſulæ gremio Gothos dixiſſe egreſſos cum Berich ſuo rege, tribus tantùm nauibus vectos ad citerioris Oceani ripam; quarum trium vna nauis, vt aſſo-

let, tardius vecta, nomen genti fertur dedisse. nam lingua eorum pigra Gepanta dicitur. Hinc factum est, vt paulatim & corruptè nomen eis ex conuitio nasceretur. Gepidæ nanque sine dubio ex Gothorum prosapia ducunt originem. sed quia, vt dixi, Gepanta pigrum aliquid tardumque signat, pro gratuito conuicio Gepidarum nomen exortum est, quod nec ipsum credo falsissimum. Sunt enim tardioris ingenij, grauiores corporum velocitate. Hi ergo Gepidæ tacti inuidia, dudum spreta prouincia, commanebant in insula Viscla amnis vadis circumacta, quam pro patrio sermone dicebant Gepidos. Nunc eam, vt fertur, insulam gens Viuidaria incolit, ipsis ad meliores terras meantibus. Qui Viuidarij ex diuersis nationibus ac si in vnum asylum collecti sunt, & gentem fecisse noscuntur. Ergo (vt dicebamus) Gepidarum rex Fastida, qui etiam gentem excitans patrios fines per arma dilatauit, Burgundiones pæne vsque ad internecionem deleuit,

deleuit, aliasque nonnullas gentes perdomuit. Gothos quoque malè prouocans, consanguinitatis fœdus prius importuna concertatione violauit: superbaque admodum elatione iactatus, crescenti populo dum terras cœpit addere, incolas patrios reddidit rariores. Is ergo misit legatos ad Ostrogotham, cuius adhuc imperio tam Ostrogothæ quàm Vesegothæ, id est eiusdem gentis populi, subiacebant; inclusum se montium queritans asperitate, siluarumque densitate constrictum; vnum poscens è duobus, vt aut bellum sibi, aut locorum suorum spatia præpararet. Tunc Ostrogotha rex Gothorum (vt erat solidi animi) respõdit legatis, bellum se quidem tale horrere, durumque fore & omnino scelestum armis confligere cum propinquis; loca verò non cedere. Quid multa? Gepidæ in bella irruunt, contra quos ne nimij iudicarentur mouit & Ostrogotha procinctum, conueniuntque ad oppidum Galtis, iuxta quod currit fluuius Aucha, ibique magna

partium virtute certatum est: quippe quos in se & armorum, & pugnæ similitudo commouerat. sed causa melior, viuaxque ingenium iuuat Gothos. inclinata denique parte Gepidarum, prælium nox diremit. Tunc relicta suorum strage, Fastida rex Gepidarum properauit ad patriam, tã pudendis opprobriis humiliatus, quàm fuerat elatione erectus: Redeunt victores Gothi, Gepidarum discessione contenti, suaque in patria nostri in pace versantur, vsque dum eorum præuius existeret Ostrogotha.

CAP. XVIII.

Gniua rex Gothorum post obitum Ostrogothæ exercitum in Mœsiam ducit, & varijs prælijs Romanos infestat. in quibus Decius cæditur.

POST cuius decessum Cniua exercitum diuidens in duas partes, nonnullos ad vastandum Mœsiam dirigit, sciens eam negligentibus principibus defensoribus

fensoribus destitutam. Ipse verò cum septuaginta milibus ad Eustesium, id est Nouas conscendit: vnde à Gallo duce remotus, Nicopolim accedit, quæ iuxta Iatrum fluuium est constituta notissima; quoniam deuictis Sarmatis Traianus eam fabricauit, & appellauit Victoriæ ciuitatem: vbi Decio superueniente Imperatore, tandem Cniua in Hæmoniæ partes, quæ non longè aberant, recessit: inde apparatu disposito Philippopolim re festinans. Cuius secessum Decius Imperator cognoscens, & ipsius vrbi ferrè subsidium gestiens, iugo montis transacto, ad Berræam venit. Ibíque dum equos exercitumque lassum refoueret, ilicò Cniua cum Gothis in modum fulminis ruit, vastatoque Romano exercitu, Imperatorem cum paucis qui fugere quiuerant ad Thusciam rursus trans Alpes in Mœsiam proturbauit, vbi tunc Gallus dux limitis cum plurima manu bellantium morabatur; collecto que tam exinde quàm de hoste exercitu, futuri belli re-

parat aciem. Cniua verò diu obsessam inuadit Philippolim, prædaque potitus, Priscum ducem, qui inerat, sibi fœderauit, quasi cum Decio pugnaturum. Venientesque ad conflictum, ilicò Decij filium sagitta saucium crudeli vulnere confodiunt. Quod pater animaduertens, licet ad confortandos animos militum dixisse fertur; Nemo tristetur, perditio vnius militis non est reipublicæ diminutio: tamen paternum affectum non ferens hostes inuadit, aut mortem aut vltionem filij exposcens, veniensque abrupto Mœsiæ ciuitatem, circumseptus à Gothis & ipse extinguitur, imperij finem vitæque terminum faciens. Qui locus hodieque Decij ara dicitur, eò quòd ibi ante pugnam miserabiliter idolis immolaret.

CAP.

CAP. XIX.

Quo pacto Gallus & Volusianus fœdus cum Gothis inierint; & Æmylianus Mœsiam infestarit.

DEFVNCTO *tunc Decio, Gallus & Volusianus regno potiti sunt Romanorum, quando & pestilens morbus pænè istius necessitatis consimilis, vt nos ante hos nouem annos experti sumus, faciem totius orbis fœdauit, supra modum quoque Alexandriam totiusque Ægypti loca deuastans, Dionysio historico super hanc cladem lachrymabiliter exponente, quam & noster conscripsit venerabilis martyr Christi episcopus Cyprianus in libro cuius titulus est de Mortalitate. Tunc & Æmylianus quidam, Gothis sæpe ob principum negligentiam Mœsiam deuastantibus, vt vidit licere, nec à quoquam sine magno reipublicæ dispendio remoueri, similiter suæ fortunæ arbitratus posse euenire; tyrannidem in Mœsiam arripuit, omnique manu militari ascita, cœpit vrbes &*

populos deuaſtare. Contra quem intra paucos menſes multitudo apparatus accreſcens, non minimum incommodum reipublicæ parturiuit, qui tamen in ipſo pænè nefario conatus ſui initio extinctus, & vitam & imperium, quod inuadebat, amiſit. Supradicti verò Gallus & Voluſianus Imperatores, quamuis vix biennio in imperio perſeuerantes, ab hac luce migrarint; tamen ipſo biennio, quo affuere, vbique pacati, vbique regnauere gratioſi, præterquam quòd vnum eorum fortunæ reputatum eſt, id eſt generalis morbus: ſed hoc ab imperitis & calumniatoribus, qui vitam ſolent aliorum dente maledico lacerare. Hi ergo mox vt imperium adepti ſunt, fœdus cum gente Gothorum pepigere, & nec longo interuallo vtriuſque regibus occumbentibus Gallienus arripuit principatum.

CAP.

CAP. XX.

Gothi regnante Gallieno in Asiam inuolant. Dianæ Ephesinæ templum incendunt. Chalcedoniam subuertunt. Troiam vastant. Thraciam infestant.

HOC in omni lasciuia resoluto, Respa & Veduco, Thuro Varoq. duces Gothorũ sumptis nauibus Asiam transiere, fretũ Hellesponticum transuecti, vbi multis eius prouinciæ ciuitatibus populatis, opinatissimũ illud Ephesi Dianæ templum, quod dudum dixeramus Amazonas condidisse, igne succendunt: partibus Bithyniæ delati, Chalcedoniam subuertêre, quam pòst Cornelius Auitus aliqua parte reparauit. Quæ hodieque quamuis regiæ vrbis ciuitate congaudeat, signa tamen suarum ruinarum aliquanta ad indicia retinet posteritatis. Hac ergo felicitate Gothi qua intrauere partibus Asiæ præda spolioque potiti, Hellespontícum fretum retransmeant, vastantes in itinere suo Troiam Iliumque, quæ vix à bello illo Agamemnoniaco aliquantulum

quantulum reſpirantes, rurſus hoſtili mucrone deletæ ſunt. Poſt Aſiæ ergo tale excidium, Thraciæ eorum experta eſt feritatem. Nam ibi ad radices Hæmi montis mari vicinam Anchialos ciuitatem aggreſſi mox adeunt, vrbem quam dudum Sardanapalus rex Parthorum inter limbum maris & Hæmi radices locaſſet. Ibi enim multis feruntur manſiſſe diebus, calidarum aquarum delectati lauacris, quæ à quintodecimo miliario Anchialitanæ ciuitatis ſunt ſitæ, ab imo ſui fontis igni ſcaturientes, & inter reliqua totius mundi thermarum innumerabilium loca omnino præcipuè ad ſanitatem infirmorum efficaciſſimæ. Exinde ergo ad proprias ſedes regreſſi.

CAP. XXI.

Maximianus Imp. Gothorum auxilio maximas victorias de Parthis & Perſis reportauit. Conſtantinus etiam eorum auxilio multa præclarè geſſit.

POST *hæc à Maximiano Imperatore ducuntur in auxilia Romano-*

rum

rum contra Parthos rogati, vbi datis auxiliariis, fideliter decertati sunt. Sed postquam Cæsar Maximianus pænè cum eorum solatio Narsem regem Persarum Saporis Magui nepotem fugasset, eiusq. omnes opes, simulque vxores & filios deprædasset, Achillemque in Alexandria cum Diocletiano superasset, & Maximianus Herculius in Africa Quinquegentianos adtriuisset, pacem reipublicæ nacti, cœpere quasi Gothos negligere. Nam sine ipsis dudum contra quasuis gentes Romanus exercitus difficile decertatus est. Apparet namque frequenter, quomodo inuitabantur, sicut & sub Constantino rogati sunt, & contra cognatum eius Licinium arma tulere, eumque deuictum & in Thessalonica clausum, priuatum imperio, Constantini victoris gladio trucidarunt. Nam & dum famosissimam & Romæ æmulam in suo nomine conderet ciuitatem, Gothorum interfuit operatio, qui fœdere inito cum Imperatore, XL suorum millia illi in sola-

tia

tia contra gentes varias obtulere; quorum & numerus, & millia vsque ad præsens in republica nominantur, id est Fœderati. Tunc etenim sub Ararici & Aorici regum soorum florebant imperio. Post quorum decessum successor regni extitit Geberich, virtutis & nobilitatis eximiæ.

CAP. XXLI.

Geberichus Gothorum rex Visumaro Wandalorum regi bellum infert, & vincit. Pauci Wandali è clade superstites Pannoniam à Constantino inhabitandam petunt & obtinent.

GEBERICHVS *Helderich patre natus, auo Ouida, proauo Cniuida, gloriam generis sui factis illustribus exæquauit, primitias regni sui mox in Wandalica gente extendere cupiens contra Visumar eorum regem Asdingorum è stirpe, quæ inter eos eminet, genusque indicat bellicosissimum, Dexippo historico referente, qui eos ab Oceano ad nostrum limitem vix*

in anni

in anni ſpatio peruenisſe teſtatur præ nimia terrarum immenſitate. Quo tempore erant in eo loco manentes, vbi Gepidæ ſedent, iuxta flumina Mariſia, Miliare, & Gilfil., & Griſſia, qui amnes ſupradictos excedit. Erant nanque illis tunc ab oriente Gothi, ab occidente Marcomanni, à ſeptentrione Hermunduri, à meridie Hiſter, qui & Danubius dicitur. Hîc ergo Vuandalis commorantibus, bellum indictum eſt à Geberich rege Gothorum, ad littus prædicti amnis Mariſiæ, vbi tunc diu certatum eſt ex æquali. Sed mox ipſe rex Vuandalorum Vuiſimar magna cum parte gentis ſuæ proſternitur. Geberich verò dux Gothorum eximius ſuperatis deprædatisque Vuandalis, ad propria loca vnde exierat remeauit. Tunc perpauci Vuandali qui euaſiſſent, collecta imbellium ſuorum manu, infortunatam patriam relinquentes, Pannoniam ſibi à Conſtantino principe petiere, ibique per XL *annos plus minus ſedibus locatis, Imperatorum*

decretis

decretis vt incolæ famularunt. Vnde etiam post longum ab Stilicone magistro militum & exconsule ac patricio inuitati, Gallias occupauere, vbi finitimos depræ dantes non adeò fixas sedes habuere.

CAP. XXIII.

De Ermanarici regis Gothorum, qui Alexandro Magno ob multas gentes quas perdomuit comparatus fuit, in Erulos, Venetos & Æstrogotos expeditionibus & victoriis.

GOTHORVM *rege Geberich rebus excedente humanis, post temporis aliquod Ermanaricus nobilissimus Amalorum in regno successit, qui multas & belicosissimas Arctoas gẽtes perdomuit, suisque parere legibus fecit. Quem meritò nonnulli Alexandro magno comparauere maiores. Habebat siquidem quos domuerat, Gothos, Scythas, Thuidos in Aunxis, Vasinabroncas, Merens, Mordensimnis, Caris, Rocas, Tadzans, Athual, Nauego, Bubegentas,*

begenitas, Coldas; & cum tantorum ſeruitio carus haberetur, non paſſus eſt niſi & gentem Erulorum quibus præerat Alaricus magna ex parte trucidatam reliquam ſuæ ſubigeret ditioni. Nam prædicta gens (Ablauio hiſtorico referente) iuxta Mæotidas paludes habitans in locis ſtagnantibus, quas Græci Ele vocant, Eruli nominati ſunt gens quanto velox, eo amplius ſuperbiſſima. Nulla ſiquidem erat tunc gens, quæ non leuem armaturam in acie ſua ex ipſis elegerint. Sed quamuis velocitas eorum ab aliis ſæpe bellantibus non euacuaretur, Gothorum tamen ſtabilitati ſubiacuit & tarditati, fecitque cauſa fortunæ, vt & ipſi inter reliquas gentes Getarum regi Ermanarico ſeruiuerint. Poſt Erulorum cædem idem Ermanaricus in Venetos arma commouit, qui quamuis armis diſperiti, ſed numeroſitate pollentes, primò reſiſtere conabantur. Sed nihil valet multitudo in bello, præſertim vbi & multitudo armata aduenerit. nam hi, vt

initio expositionis, vel catalogo gentis dicere cœpimus, ab vna stirpe exorti, tria nunc nomina reddidere, id est Veneti, Antes, Sclaui: qui quamuis nunc ita facientibus peccatis nostris vbique desæuiunt, tamen tunc omnes Ermanarici imperiis seruiere. Æstrorum quoque similiter nationem, qui longissima ripa Oceani Germanici insident, idem ipse prudentiæ virtute subegit, omnibusque Scythiæ & Germaniæ nationibus ac si propriis laboribus imperauit.

CAP. XXIIII.

De Hunnorum execranda origine: veneficarum scilicet cum immundis spiritibus congressu. Et de Hunnorum in Ostro-Gothos Scythicos expeditione: vbi & de immani & terribili Hunnorum vultu.

POST *autem non longi temporis interuallum, vt refert Orosius, Hunnorum gens omni ferocitate atrocior exarsit in Gothos. Nam hos, vt refert antiquitas, ita extitisse comperimus. Filimer rex*

rex Gothorum, & Gandarici magni filius, post egressum Scanziæ insulæ iam quinto loco tenens principatum Getarum, qui & terras Scythicas cum sua gente introisset, sicut à nobis dictum est, repperit in populo suo quasdam magas mulieres, quas patrio sermone Aliorumnas is ipse cognominat, easque habens suspectas de medio sui proturbat, longeque ab exercitu suo fugatas in solitudinem coëgit terræ. Quas spiritus immundi per eremum vagantes dum vidissent, & earum se complexibus in coitu miscuissent, genus hoc ferocissimum edidere; quod fuit primùm inter paludes minutum, tetrum atque exile, quasi hominum genus, nec alia voce notum, nisi quæ humani sermonis imaginem assignabat. Tali ergo Hunni stirpe creati, Gothorum finibus aduenere. Quorum natio sæua, vt Priscus historicus refert, in Mæotide palude vlteriorem ripam insedit, venatione tantùm, nec alio labore experta, nisi quòd postquam creuisset in populos,

fraudibus & rapinis vicinam gentem conturbauit. Huius ergo (vt assolent) venatores, dum in vlteriori Mæotidis ripa venationes inquirunt, animaduertunt quomodo ex improuiso cerua se illis obtulit, ingressáque palude nunc progrediens, nunc subsistens, indicem se viæ tribuit. Quam secuti venatores, paludem Mæotidem, quam imperuiam vt pelagus existimabant, pedibus transiere. Mox quoque vt Scythica terra ignotis apparuit, cerua disparuit. Quod credo spiritus illi, vnde progeniem trahunt, ad Scytharum inuidiam egere. Illi verò, qui præter Mæotidem paludem alium mundum esse penitus ignorabant, admiratione inducti terræ Scythiæ, & vt sunt solertes, iter illud nulli ante hanc ætatem notissimum, diuinitùs sibi ostensum rati; ad suos redeunt, rei gestum edicunt, Scythiam laudant, persuasáque gente sua, via quam cerua indice didicere ad Scythiam properant, & quantoscunque prius in ingressu Scytharum habuere,

huere, lit auere Victoriæ, reliquos perdomitos subegere. Nam mox ingentem illam paludem transiere, ilico Alipzuros, Alcidzuros, Itamaros, Tuncassos, & Boiscos, qui ripæ istius Scythiæ insidebant, quasi quidam turbo gentium rapuere. Alanos quoque pugna sibi pares, sed humanitatis victu formaque dissimiles, frequenti certamine fatigantes subiugauere. Nam & quos bello forsitan minimè superabant, vultus sui terrore nimium pauorem ingerentes terribilitate fugabant, eò quòd erat eis species pauenda nigredine, sed velut quædam (si dici fas est) deformis offa, non facies, habensque magis puncta quàm lumina. Quorum animi fiduciam toruus prodit aspectus, qui etiam in pignora sua primo die nata desæuiunt. Nam maribus ferro genas secant, vt antequam lactis nutrimenta percipiant, vulneris cogantur subire tolerantiam. Hinc imberbes senescunt, & sine venustate ephebi sunt, quia facies ferro sulcata, tempestiuam pilorum gra-

tiam per cicatrices absumit. Exigui quidem forma, sed arguti, motibus expediti, & ad equitandum promptissimi: scapulis latis, & ad arcus sagittasque parati: firmis ceruicibus, & in superbia semper erecti. Hi uerò sub hominum figura uiuunt beluina sauitia. Quod genus expeditissimum, multarumque nationum grassatorem Getæ vt viderunt, expauescunt: suoque cum rege deliberant qualiter se à tali hoste subducant. Nam Ermanaricus rex Gothorum, licet (vt superius retulimus) multarum gentium extiterit triumphator, de Hunnorum tamen aduentu dum cogitat, Roxolanorum gens infida, quæ tunc inter alias illi famulatum exhibebat, tali eum nanciscitur occasione decipere. Dum enim quandam mulierem Sanielh nomine ex gente memorata, pro mariti fraudulento discessu, rex furore commotus, equis ferocibus illigatam, incitatisque cursibus, per diuersa diuelli præcepisset: fratres eius Sarus & Ammius germanæ obitum uindicantes,

cantes, Ermanarici latus ferro petierunt: quo vulnere saucius, ægram vitam corporis imbecillitate contraxit. Quam aduersam eius valetudinem captans Balamir rex Hunnorum, in Ostrogothas mouit procinctum: à quorum societate iam Vesegothæ discessere, quam dudum inter se iuncti habebant. Inter hæc Ermanaricus tam vulneris dolorem, quàm etiam incursiones Hunnorum non ferens, grandæuus & plenus dierum, centesimodecimo anno vitæ suæ defunctus est. Cuius mortis occasio dedit Hunnis prævalere in Gothis illis, quos dixeramus orientali plaga sedere, & Ostrogothas nuncupari.

CAP. XXV.

Vesegothæ Ostrogothis à Vandalis victis à Valente Imp. Mœsiam habitandam appetunt & obtinent; & quum Christiani fieri cuperent, Valens vt Arianus, prædicatores Arianos ad eos mittit, & perfidiæ suæ veneno inficit.

VESEGOTHAE, *id est, alij eorum socij, & occidui soli cultores, meræ parentum exterriti, quidnam de se propter gentem Hunnorum deliberarent, ambigebant, diuíque cogitantes, tandem communi placito legatos ad Romaniam direxere, ad Valentem Imperatorem fratrem Valentiniani Imperatoris senioris, vt partem Thraciæ siue Mœsiæ si illis traderet ad colendum, eius legibus viuerent, eius que imperiis subderentur. Et vt fides vberior illis haberetur, promittunt se, si doctores linguæ suæ donauerit, fieri Christianos. Quo Valens comperto, mox gratulabundus annuit, quod vltrò petere voluisset; susceptosque in Mœsiæ partibus Getas quasi*

quasi murum regni sui contra cæteras gentes statuit. Et quia tunc Valens Imperator Arianorum perfidia saucius, nostrarum partium omnes ecclesias obturasset, suæ partis fautores ad illos dirigit prædicatores, qui venientibus rudibus & ignaris, illicò perfidiæ suæ virus defundunt. Sic quoque Vesegothæ à Valente Imperatore Ariani potius quàm Christiani effecta. De cætero tam Ostrogothis quàm Gepidis parentibus suis per affectionis gratiam euangelizantes, huius perfidiæ culturam edocentes, omnem vbique linguæ huius nationem ad culturam huius sectæ inuitauere. Ipsi quoque (vt dictum est) Danubium transmeantes, Daciam Ripensem, Mœsiam, Thraciasque permissu principis insedere.

CAP. XXVI.

Vesegothi Romanorum subditi, ingenti fame pressi, & à ducibus Romanis pessimè habiti, sese in libertatem vendicant, & Thracias, Daciamque Ripensem occupant. Valens Imp. qui eos Arriana perfidia infici curarat, diuina vindicta ab ipsis comburitur.

EVENIT *his vt adsolet gentibus nec-dũ bene loco fundatis, penuria famis. Cœpere autem primates eorum & duces, qui regũ vice illis præerant, id est Fridigernus, Alatheus, & Safrach exercitus inopiam condolere, negociationemque à Lupicino Maximoque Romanorum ducibus expetere. Verùm quid non auri sacra fames compellit adquiescere? Cœperunt duces (auaritia compellente) non solùm ouium, boumque carnes, verumetiam canum, & immundorum animalium morticina eis pro magno contradere: adeo, vt quodlibet mancipium in vnum panem aut decem libras in vnam carnem mercarentur. Sed iam*

by Google

iam mancipiis & ſupellectili deficientibus, filios eorum auarus mercator victus neceſſitate expoſcit. Haud enim ſecus parentes faciunt, ſalutem ſuorum pignorum prouidentes, ſatius deliberant ingenuitatem perire, quàm vitam; dum miſericorditer alendus quis venditur, quàm moriturus ſeruatur. Contigit enim illo ſub tempore ærumnoſo Lupicino & ductori Romanorum, vt Fridigernum Gothorum regulum ad conuiuium inuitaret, dolumque ei, vt poſt exitus docuit, moliretur. Sed Fridigernus dolis neſcius, cum paucorum comitatu ad conuiuium veniens, dum intus in prætorio epulatus eſt, clamorem miſerorum morientium audiret, iamque alia in parte ſocios eius recluſos, dum milites ducis ſui iuſſu trucidare conarentur, & vox morientium duriter emiſſa iam ſuſpectis auribus intonaret; ilicò apertos ipſos dolos cognoſcens Fridigernus, euaginato gladio in conuiuio, non ſine magna temeritate velocitateque egreditur, ſuosque ſocios ab imminenti

Digitized by Google

minenti morte ereptos ad necem Romanorum insligat. Qui nacta occasione votiua elegerunt viri fortissimi in bello magis quàm in fame deficere, & ilicò in ducum Lupicini & Maximi armantur occisionem. Illa namque dies Gothorum famem, Romanorumque securitatem ademit: cœperuntque Gothi iam non vt aduenæ & peregrini, sed vt ciues & domini possessoribus imperare, totasque partes septentrionales vsque ad Danubium suo iure tenere. Quod comperiens in Antiochia Valens imperator, mox armato exercitu, in Thraciarum partes digreditur, vbi lachrymabili bello commisso, vincentibus Gothis, in quodam prædio iuxta Hadrianopolim saucius ipse refugiens, ignorantibus quoq. quòd imperator in tam vili casula delitesceret Gothis, igneque (vt assolet) sauiente ab inimico suppositio, cum regali pompa crematus est, haud secus quàm dei prorsus iudicio, vt ab ipsis igne combureretur, quos ipse veram fidem petentes in perfidiam declinasset,

declinasset, & ignem charitatis ad gehennæ ignem detorsisset. Quo tempore Vesegothæ Thraciæs Daciamque Ripensem post tanti gloriam trophæi, tanquam solo genitali potiti, cæperunt incolere.

CAP. XXVII.

Vesegothæ Theodosio Imp. eis internecionē moliente, eo ægrotāte ad Thessaliam Epiros & Achaiam & Pannoniam prædandas digrediuntur. Gratianus Imp. fœdus cum iis init, quod & Theodosius sanxit.

SED Theodosium ab Hispania Gratianus imperator electum in orientali principatu loco Valentis patrui subrogat, militarique disciplina mox in meliori statu reposita, ignauiam priorum principum & desidiam exclusam Gothus vt sensit, pertimuit. Nam imperator acri oxmino ingenio, virtuteque & consilio clarus, cum præceptorum seueritate, & liberalitate, blandicieque sua remissum exercitum ad

fortia

Digitized by Google

fortia prouocaret. At verò vbi milites principe meliore mutato fiduciam accepe-runt, Gothos impetere tentant, eosque Thraciæ finibus pellunt: sed Theodosio principe pænè tunc vsque ad desperatio-nem ægrotante, datur iterum Gothis au-dacia, diuisóque exercitu, Fridigernus ad Thessaliam prædandam, Epiros, & Achaiam digressus est: Alatheus verò & Safrach cum residuis copiis Panno-niam petierunt. Quod quum Gratia-nus imperator, qui tunc Romæ in Gal-lias ob incursionem Vuandalorum reces-serat, comperisset; quia Theodosio fatali desperatione succumbenti, Gothi magis sæuirent, mox ad eos collecto venit ex-ercitu, nec tamen fretus in armis, sed gratia eos muneribusque victurus, pa-cemque & victualia illis concedens, cum ipsis inito fœdere fecit. Vbi verò post hæc Theodosius consalutit imperator, reperit-que Gratianum cum Gothis & Roma-nis pepegisse fœdus, quod ipse optauerat,

admo-

Digitized by Google

admodum grato animo ferens, & ipse in hac pace consistit.

CAP. XXVIII.

Atanaricus Vesegothorum rex, Fridigerni successor, à Theodosio Imp. Constantinopolim euocatus, magnis honoribus ab eo afficitur, ibique moritur. vbi & de Fœderatis, & de Theodosij aduersus Eugenium tyrannum, qui Gallias occuparat, auxilio Visegothorum victoria.

ATANARICVM *quoque regem, qui tunc Fridigerno successerat, datis sibi muneribus sociauit moribus suis benignissimis, & ad se eum in Constantinopolim accedere inuitauit. Qui omnino libenter acquiescens, regiam vrbem ingressus est, miransque: En, inquit, cerno quod sæpe incredulus audiebam, famam videlicet tantæ vrbis: & huc illuc oculos voluens, nunc situm vrbis, commeatumque nauium, nunc mœnia clara prospectans miratur, populosque diuersarum gentium*

quasi

quaſi fonte in vno, è diuerſis partibus ſcaturiente vnda, ſic quoque militem ordinatum aſpiciens; Deus, inquit, ſine dubio terrenus eſt Imperator, & quiſquis aduerſus eum manum mouerit, ipſe ſui ſanguinis reus exiſtit. In tali ergo admiratione, maioreque à principe honore ſuffultus, paucis menſibus interiectis ab hac luce migrauit. Quem princeps affectionis gratia pænè plus mortuum quàm viuum honorans, dignæ tradidit ſepulturæ; ipſe quoque in exequiis feretro eius præiens. Defuncto ergo Atanarico, cunctus exercitus in ſeruitio Theodoſii imperatoris perdurans, Romano ſe imperio ſubdens, cum milite velut vnũ corpus efficit, milliáq. illa dudum ſub Conſtantino principe fœderatorum renouata, & ipſi dicti ſunt Fœderati. E quibus Imperator contra Eugeniũ tyrannũ, qui occiſo Gratiano Gallias occupaſſet, plus quàm xx millia armatorũ fideles ſibi & amicos intelligens ſecum duxit, victoriáq. de prædicto tyranno potitus, vltionem exegit.

CAP.

CAP. XXIX.

Vesogothæ subtractis sibi à Theodosij filiis consuetis donis, pertæsi otij, Alaricum sibi regem eligunt, & Italiam inuadunt.

POSTQVAM verò Theodosius amator pacis generisque Gothorum rebus excessit humanis; cœperunt eius filij vtramque Rempub. luxuriosè viuentes adnihilare, auxiliariisque suis id est Gothis consueta dona subtrahere. Mox Gothis fastidium eorum increuit, verentesque ne longa pace eorum resolueretur fortitudo, ordinant super se regem Alaricum, cui erat post Amalos secunda nobilitas, Baltharumq. ex genere origo mirifica, qui dudum ob audaciam virtutis Baltha id est audax nomen inter suos acceperat. Mox vt ergo antefatus Alaricus creatus est rex, cum suis deliberans suasit suo labore quærere regna, quàm alienis per ocium subiacere: & sumpto exercitu, per Pannonias, Stilicone & Aureliano consulibus, & per

Firmium dextro latere quasi viris vacuam intrauit Italiam. Nullo penitùs obsistente ad pontem applicuit Condiniani, qui tertio miliario ab urbe erat regia Rauennate. Quæ urbs inter paludes, & pelagus, interque Padi fluenta vni tantum patet accessui, cuius dudum (vt tradunt maiores) possessores Eneti id est laudabiles dicebantur. Hæc in sinu regni Romani super mare Ionium constituta, in modum influentium aquarum redundatione concluditur. Habet ab oriente mare, ad quod qui recto cursu de Corcyra atq. Helladis partibus nauigat dextrum latus, primùm Epirum, dein Dalmatiam, Liburniam, Histriamque, & sic Venetias radens palmula nauigat. Ab occidente verò habet paludes, per quas vno angustissimo introitu vt porta relicta est. A septentrionali quoque plaga ramus illi ex Pado est, qui Fossa vocatur Asconis. A meridie idem ipse Padus, quem solum fluuiorum regem dicunt, cognomento Eridanus, ab Augusto imperatore altissima

fossa

fossa demissus, qui septima sui aluei parte mediam influit ciuitatem, ad ostia sua amœnissimum portum præbens, classem CCL *nauium, Dione referente, tutissima dudum credebatur recipere statione. Qui nunc, vt Fabius ait, quòd aliquando portus fuerat, spacioſissimos hortos ostendit, arboribus plenos: verùm de quibus non pendeant vela, sed poma. Trino siquidem vrbs ipsa vocabulo gloriatur, trigeminaque positione exultat, id est, prima Rauenna, vltima Classis, media Cæsarea, inter vrbem & mare, plena mollitie, arenaque munita, vectationibus apta.*

CAP. XXX.

Alaricus Stiliconem Gothos inopinatò bello adorsum, cædit; Italiã vastat, Romam spoliat. Inde, in Africam cogitans cum spoliis moritur. Vesegothæ Alaricum in aluco fluminis Busentini mira ratione sepeliunt.

VERVM *enimuero quũ in eâ ciuitate Vesegotharum applicuisset exer-*

citus, & ad Honoriũ imperatorem (qui intus residebat) legationẽ misisset, quatenus si permitteret, vt Gothi pacati in Italia residerent, sic eos cum Romanorum populo viuere, vt vna gens vtraque credi possit: sin autem aliter, bellando quis quem valeret expelleret; etiam securus qui victor existeret imperaret. Honorius imp. vtramque pollicitationem formidans, suóque cum senatu insto consilio, quomodo eos extra fines Italos expelleret deliberabat. Cui ad postremum sententia sedit, quatenus prouincias longè positas, id est Gallias Hispaniasque, quas iam pænè perdidisset, & Gizerichi eas Vandalorum regis vastaret irruptio; si valeret Alaricus sua cum gente sibi tanquam lares proprios vendicaret, donatione sacro oraculo confirmata. Consentiunt Gothi, hac ordinatione, & ad traditam sibi patriam proficiscuntur. Post quorum discessum nec quicquam mali in Italia perpetratum, Stilico patricius & socer Honorij imperatoris, (nam vtramque eius

eius filiam, id est Mariam & Ermantiam quas sibi princeps vnam post vnam sociauit, vtramque virginem & intactam deus ab hac luce migrare præcepit) hic ergo Stilico ad Polentiam ciuitatem in alpibus Cottiis locatam dolosè accedens, nihilque mali suspicantibus Gothis, ad necem totius Italiæ suamque deformitatem ruit in bellum. Quem ex improuiso Gothi cernentes, primò perterriti sunt, sed mox recollectis animis, et (vt solebant) hortatibus excitati, omnem pænè exercitum Stiliconis in fugam conuersum, vsque ad internecionem deiiciunt, furibundoque animo arreptum iter deserunt, & in Liguriam post se, vnde iam transierant, reuertuntur, eiusque prædis spoliisque potiti, Æmyliam pari tenore deuastant, Flaminiæque aggerem inter Picenum et Thusciam, vsque ad vrbem Romam discurrentes, quicquid inter vtrumque latus fuit in prædam diripiunt, ad postremum Romam ingressi, [illegible]ico iubente spoliant tantùm: non autem, vt solent gen-

tes, ignem ſupponunt, nec locis ſanctorum in aliquo penitùs iniuriam irrogari patiuntur. Exindeque egreſſi, per Campaniam & Lucaniam ſimili clade peracta, Brutios acceſſerunt: vbi diu reſidentes, ad Siciliam, exinde ad Africam tranſire deliberant. Brutiorum ſiquidem regio in extremis Italiæ finibus interiacens, parte angulorum eius Apennini montis initium facit, Adriæque pelagus vt lingua porrecta à Tyrreno æſtu ſeiungens, nomen quondam à Brutia ſortitur regina. Ibi ergo veniens Alaricus rex Veſegotharum, cum opibus totius Italiæ quas in præda diripuerat, exinde (vt dictum eſt) per Siciliam in Africam quietam patriam tranſire diſponit. Cuius, quia non eſt liberum quodcunque homo ſine natu dei diſpoſuerit, fretum illud horribile aliquantas naues ſubmerſit, plurimas conturbauit. Qua aduerſitate repulſus Alaricus dum ſecum quid ageret deliberaret; ſubitò immatura morte præuentus rebus exceſſit humanis. Quem nimia dilectione

lugentes,

lugentes, Barentinum ammem iuxta Conſentinam ciuitatem de alueo ſuo deriuant. Nam hic fluuius à pede montis iuxta vrbem dilapſus, fluit vnda ſalutifera. Huius ergo in medio alueo collecto captiuorum agmine ſepulturæ locum effodiunt, in cuius foueæ gremio Alaricum cum multis opibus obruunt, rurſuſq. aquas in ſuum alueum reducentes, ne à quoquam quandoque locus cognoſceretur, foſſores omnes interemerunt.

CAP. XXXI.

Athaulphus Alarici ſucceſſor Italiam ſpoliat. Placidiam Theodoſij Imp. germanam vxorem ducit. Ex Italia in Gallias, ad exigendos inde Wandalos & Alanos tranſit. Inde in Hiſpaniam. ibi interficitur. Item Regericus III. Veſegotharum rex interficitur.

MORTVO Alarico Veſegotha, Athaulfo eius conſanguineo & forma & mente conſpicuo tradunt. Nam erat quamuis non adeo proceritate ſtaturæ

formatus, quantum pulchritudine corporis vultúque decorus. Qui ſuſcepto regno reuertens item ad Romam, ſi quid primùm remanſerat, more locuſtarum eraſit: nec tantùm priuatis diuitiis Italiam ſpoliauit, imò & publicis, imperatore Honorio nihil reſiſtere præualente; cuius & germanam Placidiam, Theodoſij Imperatoris ex altera vxore filiam, vrbe captiuam abduxit. Quam tamen ob generis nobilitatem, formæque pulchritudinem, & integritatem caſtitatis attendens, in Foroliuij Æmyliæ ciuitate ſuo matrimonio copulauit, vt gentes, hac ſocietate comperta, quaſi adunata Gothis Republica efficacius terrerentur, Honoriumque Auguſtum quamuis opibus exhauſtum, tamen quaſi cognatum grato animo derelinquens, Gallias tendit: vbi cùm aduenisſet, vicinæ gentes perterritæ in ſuis ſe finibus cœperunt continere, quæ dudum crudeliter Gallias infeſtaſſent, tam Franci, quàm Burgundiones. Nam Vuandali & Alani, quos ſuprà diximus, permiſſu

by Google

missu principum Romanorum vtraque Pannonia resedere, nec ibi sibi ob metum Gothorum arbitrantes tutum fore, si reuerterentur, ad Gallias transiere. Sed mox à Gallis, quas ante non multum tempus occupassent, fugientes, Hispania se recluse-re, adhuc memores ex relatione maiorum suorum, quid dudum Geberich rex Gothorum genti suæ præstitisset incommodi, vel quomodo eos virtute sua patrio solo expulisset. Tali ergo casu Galliæ Athaulfo patuere venienti. Confirmato ergo Gothis regno in Gallis, Hispanorum casu cœpit dolere, eosque deliberans à Vuandalorum incursibus eripere, per suas opes Barcilonam cum certis fidelibus delectis plebeque imbelli, interiores Hispanias introiuit, vbi sæpe cum Vuandalis decertans, tertio anno postquam Gallias Hispaniasque domuisset occubuit; gladio ilio perforato Vernulfi, de cuius solitus erat ridere statura. Post cuius mortem Regericus rex constituitur. sed & ipse suo-

rum fraude peremptus, ocyus vitam cum regno reliquit.

CAP. XXXII.

Valia IIII. Veſegoth. rex pace cum Honorio Imp. inita, Placidiam Romanis reddit. Item, de Conſtantino, Conſtante, Iouino & Sebaſtiano Galliæ inuaſoribus.

DEHINC iam quartus ab Alarico rex conſtituitur Valia, nimis deſtrictus & prudens: contra quem Honorius Imperator Conſtantinum virum induſtria militari pollentem multisque præliis glorioſum cum exercitu dirigit, veritus ne fœdus dudum cum Athaulfo initum ipſe turbaret, & aliquas rurſus in Repub. inſidias moliretur, vicinis ſibi gentibus repulſis; ſimulque deſiderans germanam ſuam Placidiam ſubiectionis opprobrio liberare, paciſcens cum Conſtantino, vt aut bello, aut pace, vel quoquo modo ſi eam potuiſſet, ad ſuum regnum reuocaret, eique eam

eam in matrimonium ſociaret. Quo placito Conſtantinus ouans cum copia armatorum, & pænè iam regio apparatu Hiſpanias petit. Cui Valia rex Gothorum non minori procinctu ad clauſtra Pirenæi occurrit: vbi ab vtraque parte legatione directa, ita conuenit paciſci, vt Placidiam ſororem principis redderet, ſuáque ſolatia Romanæ reipublicæ, vbi vſus exigeret, non denegaret. Eo namque tempore Conſtantinus quidam apud Gallias inuadens imperium, filium ſuum Conſtantem ex monacho fecerat Cæſarem; ſed non diu tenens regnum præſumptum, mox fœderatis Gothis Romanisque, ipſe occiditur Arelati, filius verò eius Viennæ. Poſt quos item Iouinus ac Sebaſtianus pari temeritate Rempub. occupandam exiſtimantes, pari exitio periere. Nam duodecimo anno regni Valiæ, quando & Hunni poſt pænè quinquaginta annos inuaſa Pannonia à Romanis & Gothis expulſi ſunt, videns Valia Vuandalos in ſuis finibus, id eſt Hiſpaniæ ſolo,

ſolo, audaci temeritate ab interioribus partibus Galliæ (vbi eos fugauerat dudum Athaulfus) egreſſos cuncta in prædis vaſtare, eo tempore quo Hierius & Ardaburius conſules extitiſſent; nec mora, mox contra eos mouit exercitum.

CAP. XXXIII.

De Wandalorum regum ſerie in Africa per annos fere centum. vtq. Beliſarius de Gilimere Conſtantinopolim adducto triumpharit, & Africa rurſum Imperio Romano adiecta fuerit. Item de Valiæ morte.

SED Gizericus rex Vuandalorum iam à Bonifacio in Africam inuitatur, qui Valentiniano principi veniens in offenſam, non aliter quàm ſe malo Reipub. potuit vindicare. Is ergo ſuis precibus eos inuitans, per tractum angustum, quod dicitur fretum Gaditanum, & vix ſeptem millibus Africam ab Hiſpaniis diuidit, oſtioq. maris Tyrrheni Oceani æſtum egerit, tranſpoſuit. Erat nanque Gizericus iam

iam Romanorum clade in urbe notissimus, statura mediocris, & equi casu claudicans, animo profundus, sermone ratus, luxuriæ contemptor, ira turbidus, habendi cupidus, ad sollicitandas gentes prouidentissimus, semina contentionum iacere, odia miscere paratus. Talis Africæ Rempub. precibus Bonifacij, vt diximus, inuitatus intrauit, vbi ad diuinitatem (vt fertur) accepta autoritate diu regnans, ante obitum suum filiorum agmen accitum ordinauit, ne inter ipsos de regni ambitione esset dissensio; sed ordine quisque & gradu suo, qui alius superuiueret, id est, seniori suo fieret sequens successor, & rursus ei posterior eius. Quod obseruantes per annorum multorum spatia, regnum feliciter possedere, nec, quod in reliquis gētibus adsolet, intestino bello fœdati sunt, suoque ordine vnus post vnum suscipiens regnum, in pace populis imperarunt. Quorum ordo iste ac successio fuit. Primum Gizericus, qui pater & dominus, sequens Hunneri-

cus,

cus, tertius Gundamundus, quartus Transamundus, quintus Hilderich. Quo, malo gentis suæ, Gelimer, immemor atauis præceptorum, de regno eiecto & interempto, tyrannidem præsumpsit. sed non excessit impunè quod fecerat. Nam Iustiniani Imperatoris vltio in eo apparuit, & cum omni genere suo, opibusque quibus more prædonis incubabat, Constantinopolim delatus per virum glorioſissimum Belisarium, magistrum militum orientalem, & consulem ordinarium atque patricium, magnum in Circo populo spectaculum fuit, seramque sui pœnitudinem gerens, quum se videret de fastigio regali deiectum, priuatæ vitæ, cui noluit famulari, redactus occubuit. Sic Africa, quæ in diuisione orbis terrarum tertia pars mundi describitur, centesimo ferè anno Vuandalico iugo erepta in libertatem reuocata est regni Romani: & quam dudum ignauis dominis, ducibus infidelibus, à Reip. Romanæ corpore gentilis manus abstulerat, solerti domino &

fideli

fideli ductore tunc reuocata, hodieque congaudet. Quanuis & post hæc aliquantum inteſtino prælio, Maurorumque infidelitate adtritã ſe lamentauerit; tamen triumphus Iuſtiniani Imperatoris à deo ſibi donatus, quod inchoauerat ad finem vſque perduxit. Sed nobis quid opus eſt vnde res non exigit dicere? Ad propoſitum redeamus. Valia ſiquidem rex Gothorum adeo cum ſuis in Vuandalos ſæuiebat, vt voluiſſet eos etiam in Africa perſequi, niſi eum caſus, qui dudum Alarico ad Africam tendenti contigerat, reuocaſſet. Nobilitatus nanque intra Hiſpanias, incruentaque victoria potitus, Toloſam reuertitur; Romano imperio, fugatis hoſtibus, aliquantas prouincias (quod promiſerat) derelinquens, ſibique aduerſa poſt longum valetudine ſuperueniente, rebus humanis exceſſit, eo videlicet tempore, quo Berimundus Toriſmundo patre genitus, de quo in catalogo Amalorum familiæ ſuperius diximus, cum filio Vuitiricho ab Oſtrogothis, qui adhuc

Digitized by Google

in Scythiæ terra Hunnorum oppressionibus subiacebant, ad Vesegotharum regnum migrauit. Conscius enim erat virtutis & generis nobilitatis; facilius sibi credens principatum à parentibus deferri, quem heredem regum constabat esse multorum. Quis namque de Amalo dubitaret, si vacasset eligere? sed nec ipse adeo voluit quis esset ostendere. Et illi iam post mortem Valiæ Theodericum ei dedere successorem, ad quem veniens Berimund, animi pondere quo valebat eximiam generis sui amplitudinem commoda taciturnitate suppressit, sciens regnantib. semper de regali stirpe genitos esse suspectos. Passus est ergo ignorari, ne faceret ordinanda confundi. Susceptusque est cum filio suo à rege Theoderico honorificè nimis, adeo ut nec consilio suo expertem, nec commuuio faceret alienum; non tantum pro generis nobilitate, quam ignorabat, sed pro animi fortudine & robore gentis, quam non poterat occultare.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXIIII.

Theodericus v. Vesogothorum rex. In hunc Romani cum auxiliaribus Hunnis rupta pace exercitum ducunt. Fœdera firmantur. Attila pacatur. Item de Attilæ aula.

DEFVNCTO *Valia, vt superius quod diximus repetamus, qui parum fuerat felix Gallis, prosperrimus feliciorque Theodericus successit in regno, homo summa moderatione compositus, animi corporisque virilitate abundans. Contra quem Theodosio & Festo consulibus, pace rupta Romani Hunnis auxiliaribus secum iunctis, in Gallias arma mouerunt. Turbauerat nanque eos Gothorum fœderatorum manus, quæ cum Cama comite Constantinopolim se fœderasset. Aëtius ergo patricius tunc præerat militibus, fortissimorum Mæsiorum stirpe progenitus, in Dorostena ciuitate, à patre Gaudentio, labores bellicos tolerans, Reipub. Romanæ singulariter natus, qui superbiam Suewo-*

rum, Francorumque barbariem immensis cædibus seruire Romano imperio coëgisset: Hunnis quoque auxiliariis Litorio ductante, contra Gothos Romanus exercitus mouit procinctum, diuque ex utraque parte acie ordinata, quum utrique fortes, & neuter firmior esset, datis dextris, in pristinam concordiam redierunt, fœdereque firmato, ab alterutro fida pace peracta, recessit vterque. Qua pacatur Attila Hunnorum omnium dominus, & pænè totius Scythiæ gentium solus in mundo regnator, qui erat famosa inter omnes gentes claritate mirabilis. Ad quem in legationem remissus à Theodosio iuniore Priscus, tali voce inter alia refert. Ingentia siquidem flumina, id est Tysiam, Tibisiamque, & Driccam transeuntes, venimus in locum illum vbi dudum Vidicula Gothorum fortissimus Sarmatum dolo occubuit. Indeque non longè ad vicum in quo rex Attila morabatur accessimus: vicum inquam, ad instar ciuitatis amplissimæ, in quo lignea

mœnia

mœnia ex tabulis nitentibus fabricata reperimus, quarum compago ita solidum mentiebatur, vt vix ab intento posset iunctura tabularum comprehendi. Videres triclinia ambitu prolixiore distenta, porticusque in omni decore dispositas. Area verò curtis ingenti ambitu cingebatur, vt amplitudo ipsa regiam aulam ostenderet. Hæ sedes erant Attilæ regis barbariam totam tenentis: hæc captis ciuitatibus habitacula præponebat.

CAP. XXXV.

De Attilæ regis Hunnorum patre, fratribus. deque ipsius, statura, forma & moribus. Item de gladio Martis quem ipse vsurpauit. locus insignis è Prisco historico.

IS namq. Attila patre genitus Mundzucco, cuius fuere germani Octar & Roas, qui ante Attilam regnum Hunnorum tenuisse narrantur, quamuis non omnino cum eorum. Eorum ipse post obitum, cum Bleda germano Hunnorum successit

Digitized by Google

in regnum, & vt antè expeditioni quam parabat par foret: augmentum virium parricidio quærit, tendens ad discrimen omnium nece suorum. Sed librante iustitia detestabili remedio crescens, deformes exitus suæ crudelitatis inuenit. Bleta enim fratre fraudibus peremptο, qui magnæ parti regnabat Hunnorum, vniuersum sibi populum subiugauit, aliarumque gentium quas tunc in ditione tenebat numerositate collecta, primas mundi gentes, Romanos Vesegothasque subdere peroptabat. Cuius exercitus quingentorum millium esse numerus ferebatur. Vir in concussionem gentis natus in mundo, terrarum omnium metus: qui nescio qua sorte terrebat cuncta, formidabili de se opinione vulgata. Erat namque superbus incessu, huc atque illuc circumferens oculos, vt elati potentia ipso quoque motu corporis appareret. Bellorum quidem amator, sed ipse manu temperans, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propitius in fide

semel

ſemel receptis. Forma breuis, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis, rarus barba, canis aſperſus, ſimo naſo, teter colore, originis ſuæ ſigna reſtituens. Qui quamuis huius eſſet naturæ vt ſemper magna confideret, addebat ei tamen confidentiam gladius Martis inuentus, apud Scytharum reges ſemper habitus. Quem Priſcus hiſtoricus tali refert occaſione detectum. Quum paſtor, *inquiens*, quidam gregis vnam buculam conſpiceret claudicantem, nec cauſam tanti vulneris inueniret, ſollicitus veſtigia cruoris inſequitur: tandemque venit ad gladium, quem depaſcens herbas buculla incautè calcauerat, effoſſumq. protinus ad Attilam defert. Quo ille munere gratulatus, vt erat magnanimus, arbitratur ſe totius mundi principem conſtitutum, & per Martis gladium poteſtatem ſibi conceſſam eſſe bellorum.

Cap. xxxvi.

Attila, ſuapte natura ad vaſtandum orbem paratus, à Gizerico Wandalorum rege multis muneribus ad id inſtigatur. Is, omni ratione diſcordiam inter Romanos & Gothos ſerere conatur. ſed fruſtra. Epiſtola Valentiniani Imp. ad Veſogothos. eorumque reſponſum.

HVIVS ergo mentem ad vaſtationem orbis paratam comperiens Gizericus rex Vuandalorum, quem paulo antè memorauimus, multis muneribus ad Veſegotharum bella præcipitat, metuens ne Thvodericus Veſegotharum rex filiæ vlciſceretur iniuriam, quæ Hunericho Gizerici filio iuncta, prius quidem tanto coniugio lætaretur: ſed poſtea, vt erat ille & in ſua pignora truculentus, ob ſuſpicionem tantummodo veneni ab ea parati, eam putatis naribus ſpolians decore naturali, patri ſuo ad Gallias remiſerat, vt turpe ſemus miſeranda ſemper offerret, & crudelitas, qua etiam mouerentur externi,

vindictam

vindictam patris efficacius impetraret. Attila igitur dudum bella concepta Gizerici redemptione parturiens, legatos in Italiam ad Valentinianum principem misit, serens Gothorum Romanorumque discordiam, vt quos prælio non poterat concutere, odiis internis eliderer, adsereus se Reipub. eius amicitias in nullo violare, sed contra Theodericum Vesegothorum regem sibi esse certamen, vnde eum excipi libenter optaret. Cætera epistolæ vsitatis salutationum blandimentis oppleuerat, studens fidem adhibere mendacio. Pari etiam modo ad regem Vesegothorum Theodericum erigit scriptum, hortans vt à Romanorum societate discederet, recolereq. prælia, quæ paulo antè contra eum fuerant concitata sub nimia feritate. Homo subtilis antequam bella gereret, arte pugnabat. Tunc Valentinianus imperator ad Vesegothas eorumque regem Theodericum in his verbis legationem direxit. Prudentiæ vestræ est, fortissime gentium, aduersus vrbis

conſpirare tyrannum, qui optat mundi generale habere ſeruitium, qui cauſas prælij non requirit, ſed quicquid commiſerit hoc putat eſſe legitimum. Ambitum ſuum brachio metitur, ſuperbia licentiam ſatiat, qui ius fasque contemnens, hoſtem ſe exhibet naturæ cunctorum. Etenim meretur hic odium, qui in commune omnium ſe approbat inimicum. Recordamini quaſo, quod certè non poteſt obliuiſci. Ab Hunnis caſus eſt ſuſus, ſed quod grauiter agit, inſidijs agit appetitum. Vnde vt de nobis taceamus, poteſtis hanc inulti ferre ſuperbiam? Armorum potentes, fauete propriis doloribus, & communes iungite manus. Auxiliamini etiam Reipub. cuius membrum tenetis. Quàm ſit autem nobis expetenda vel amplexanda ſocietas, hoſtes interrogate conſilia. His & ſimilibus legati Valentiniani regem permouere Theodericum. Quibus ille reſpondit, Habetis, inquit, Romani, deſiderium veſtrum, feciſtis Attilam & nobis hoſtem. Sequimur

illum quocunque vocauerit, & quamuis infletur de diuersis superbarum gentium victoriis, norunt tamen Gothi confligere cum superbis. Nullum bellum dixerim graue, nisi quod causa debilitat, quando nil triste pauet, cui maiestas arriserit. Acclamant responso comites ducis, lætum sequitur vulgus. Fit omnibus ambitus pugnæ, hostes iam Hunni desiderantur. Producitur itaque à rege Theoderico Uesegotharum innumerabilis multitudo: qui quatuor filiis domi dimissis, id est Friderico & Turico, Rotemero & Himmerit, secum tantùm Thorismund & Theodericum maiores natu participes laboris assumit. Felix procinctus, auxiliantium suaue collegium habere, & solatia illorum, quos delectat ipsa etiam simul subire discrimina. A parte verò Romanorum tanta patricij Aëtij prouidentia fuit, cui tunc inniteba-tur Respub. Hesperiæ plagæ, vt vndique bellatoribus congregatis, aduersus ferocem & infinitam multitudinem non impar oc-

Digitized by Google

curreret. His enim adfuere auxiliares Franci, Sarmatæ, Armoritiani, Litiani, Burgundiones, Saxones, Riparioli, Ibriones, quondam milites Romani, tunc verò ium in numero auxiliariorum exquisiti, aliæque nonnullæ Celticæ vel Germanicæ nationes: Conuenitur itaque in campos Catalaunicos, qui & Mauricij nominantur, C. leugas, vt Galli vocant, in longum tenentes, & LXX in latum. Leuga autem Gallica mille & quingentorum passuum quantitate metitur. Fit ergo area innumerabilium populorum pars illa terrarũ. Conferuntur acies vtræque fortissimæ; nihil subreptionibus agitur, sed apertum Martem testantur. Quæ potest digna causa tantorum motibus inueniri? aut quod odium in se cunctos animauit armari? Probatum est, humanum genus regibus viuere, quando vnius mentis insano impetu strages sit facta populorum, & arbitrio superbi regis momento deiicitur, quod tot seculis natura progenuit.

CAP.

CAP. XXXVII.

De iis rebus quæ in ipsorum bellorum motibus priùs quàm prælium inter Romanos & Hunnos committeretur acciderunt.

SED *antequam pugnæ ipsius ordinem referamus, necessarium videretur edicere, quæ in ipsis bellorum motibus accidêre, quia sicut famosum prælium, ita multiplex atque perplexum. Sangibanus namque rex Alanorum metu futurorum perterritus, Attilæ se tradere pollicetur, & Aurelianam ciuitatem Galliæ, vbi tunc consistebat, in eius iura transducere. Quod vbi Theodericus & Aëtius agnouere, magnis aggeribus eandem vrbem ante aduentum Attilæ destruunt, suspectumq. custodiunt Sangibanum, & inter suos auxiliares medium statuunt cum propria gente. Igitur Attila rex Hunnorum tali perculsus euentu, diffidens suis copiis, metuens inire conflictum, intusque fugam reuoluens ipso funere tristiorem, statuit per haruspices*

Digitized by Google

haruſpices futura inquirere. Qui more ſolito nunc pecorum fibras, nunc quaſdam venas in abraſis oſſibus intuentes, Hunnis infausta denuntiant. Hoc tamen quantulum prædixere ſolatij, quod ſummus hoſtium ductor de parte aduerſa occumberet, relictáque victoria, ſua morte triumphum fœdaret. Quumque Attila necem Aetij, quòd eius motib. obuiabat, vel cum ſua perditione duceret expetendam, tali præſagio ſollicitus, vt erat conſiliorum in rebus bellicis exquiſitor, circa nonam diei horam prælium ſub trepidatione commitit, vt ſi non ſecus cederet, nox imminens ſubueniret, conuerteret partes, vt diximus, in campos Catalaunicos.

CAP. XXXVIII.

Poſitio loci, quo in Catalaunicis campis prælium inter Romanos & Hunnos eſt commiſſum: & Deſcriptio vtriuſque acici.

ERAT autem poſitio loci declui tumore, in modum collis excreſcens.

Quem

Quem vterque cupiens exercitus obtine-re, quia loci opportunitas non paruum be-neficium conferret: dextram partem Hun-ni cum ſuis, ſiniſtram Romani & Veſe-gothæ cum auxiliariis occuparunt. Relicto-que de cacuminis eius iugo certamine, de-xtrum cornu cum Veſegothis Theodericus tenebat, ſiniſtrum Aëtius cum Romanis, collocantes in medio Sangibanum, quem ſuperius retulimus præfuiſſe Alanis, pro-uidentes cautione militari, vt eum, de cu-ius animo minus præſumebant, fidelium turba concluderent. Facilè namque ad-ſumit pugnandi neceſſitatem, cui fugien-di imponitur difficultas. E diuerſo verò fuit Hunnorum acies ordinata, vt in me-dio Attila cum ſuis fortiſſimis locaretur; ſi-bi potius rex hac ordinatione proſpiciens, quatènus inter gentis ſuæ robur poſitus, ab imminenti periculo redderetur exce-ptus. Cornua verò eius multiplices populi & diuerſæ nationes quas ditioni ſuæ ſub-diderat ambiebant. Inter quos Oſtrogo-

thorum

tharum præeminebat exercitus, Vualamire & Theodemire & Vuidemire germanis ductantibus, ipso etiam rege, cui tunc seruiebant, nobilioribus; quia Amalorum generis eos potentia illustrabat; eratque & Gepidarum agmine innumerabili rex ille famosissimus Ardaricus, qui ob nimiam suam fidelitatem erga Attilam eius consiliis intererat. Nam perpendens Attila sagacitatem suam, eum & Vualamirem Ostrogotharum regem super cæteros regulos diligebat. Erat namque Vualamir secreti tenax, blandus alloquio, doli ignarus. Ardarich fide & consilio, vt diximus, clarus. Quibus non immeritò contra parentes Vesegothas debuit credere pugnatoribus. Reliqua autem si dici fas est, turba regum, diuersarumque nationum ductores, ac si satellites, nutibus Attilæ attendebant, & vbi oculo annuisset absque aliqua murmuratione cum timore & tremore vnusquisque adstabat, aut certè quod iussus fuerat exsequebatur. Sed solus Attila rex

omnium

Digitized by Google

omnium regum, ſuper omnes & pro omnibus ſolicitus erat. Fit ergo de loci, quem diximus, opportunitate certamen. Attila ſuos dirigit qui cacumen montis inuaderent, ſed à Thoriſmundo & Aëtio præuentus eſt, qui eluctati collis excelſa vt conſcenderent, ſuperiores effecti ſunt, vementesque Hunnos montis beneficio facilè turbauere.

CAP. XXXIX.

Attilæ oratio ad Hunnos, qua eos ad prelium aduerſus Romanos ineundum exhortatur.

TVNC Attila, quum videret exercitum cauſa præcedente turbatum, eum tali extempore credit alloquio confirmandum. Poſt victorias tantarum gentium, poſt orbem ſi conſiſtatis edomitum, ineptum iudicauerim, tanquam ignaros rei verbis acuere. Quærat hoc aut nouus ductor, aut inexpertus exercitus. Nec mihi fas eſt aliquid vulgare dicere, nec

Digitized by Google

nec vos oportet audire. Quid autem aliud vos quàm bellare consueti? aut quid fortiſsimus, quàm vindictam manu quærere? Magnum munus à naturâ, animum vltione ſatiare. Aggrediamur ergo hoſtem alacres. audaciores ſunt ſemper, qui inferunt bellum. Adunatas deſpicite diſſonas gentes. Indicium pauoris eſt, ſocietate defendi. En ante impetum terroribus iam feruntur, excelſa quærunt, tumulos capiunt, & ſera pœnitudine in campis munitiones efflagitant. Nota nobis ſunt, quàm ſint leuia Romanorum arma; primo etiam non dico vulnere, ſed ipſo puluere grauantur. Dum inordinatè coëunt, & acies teſtudinemque connectunt, vos confligite præſtantibus animis, vt ſoletis, deſpicientesque eorum acies, Alanos inuadite, in Veſegothas incumbite. Inde nobis eſt citam victoriam quærere, vnde ſe continet bellum. Abſciſa autem neruis mox membra relabuntur; nec poteſt ſtare corpus, cui oſſa ſubtraxeris. Conſurgant animi, furor ſolitus

Digitized by Google

litus intumescat. Nunc consilia Hunni, nunc arma depromite; aut vulneratus quis aduersarij mortem deposcat, aut illæsus hostium clade satietur. Victuros nulla tela conuenient, morituros & in ocio fata præcipitant. Postremò cur fortuna Hunnos tot gentium victores adsereret, nisi ad certaminis huius gaudia præparasset? Quis denique Mæotidarum iter aperiret maioribus nostris tot seculis clausum ac secretum? Quis adhuc inermibus cedere faciebat armatos? Faciem Hunnorum non poterit ferre adunata collectio. Non fallar euentu, hic campus est quem nobis tot prospera promiserant. Primus in hostes tela conniciam. Si quis potuerit Attila pugnante ocium ferre, sepultus est. His verbis accensi, in pugnam cuncti præcipitantur.

Cap. xl.

Succeſſus prælij commiſſi inter Romanos & Veſegothos aduerſus Hunnos. Theoderici regis mors. Attila ſe plauſtris vallat.

Et quamuis haberent res ipſæ formidinem, præſentia tamen regis cunctationem hærentibus auferebat. Manu manibus congrediuntur; bellum atrox, multiplex, immane, pertinax, cui ſimile nulla vſquam narrat antiquitas, vbi talia geſta referuntur, vt nihil eſſet, quod in vita ſua conſpicere potuiſſet egregius, qui huius miraculi priuaretur aſpectu. Nam ſi ſenioribus credere fas eſt, riuulus memorati campi humili ripa prolabens, peremptorum vulneribus ſanguine multo prouectus, nõ auctus imbribus, vt ſolebat, ſed liquore concitatus inſolito, torrens factus eſt cruoris augmento. Et quos illic coëgit in aridam ſitim vulnus inflictum, fluenta mixta clade traxerunt: ita conſtricti ſorte miſerabili ſordebant, potantes ſanguinem

ſanguinem quem fudere ſauciati. Hic Theodericus rex dum adhortans diſcurreret exercitum, equo depulſus, pedibuſque ſuorum conculcatus, vitam matura ſenectute concluſit. Alij verò dicunt eum interfectum telo Andagis de parte Oſtrogotharum, qui tunc Attilanum ſequebantur regimen. Hoc fuit quod Attilæ præſagio haruſpices prius dixerant, quamquam ille de Aëtio ſuſpicaretur. Tunc Veſegothæ diuidentes ſe ab Alanis, inuadunt Hunnorum cateruas, & penè Attilam trucidaſſent; niſi prius prouidus fugiſſet, & ſe ſuoſque ilico intra ſepta caſtrorum, quæ plauſtris vallata habebat, recluſiſſet. Quamuis fragile munimentum, tamen quæſierunt ſubſidium vitæ, quibus paulo antè nullus poterat muralis agger obſiſtere. Thoriſmund autem regis Theoderici filius, qui cum Aëtio collem anticipans, hoſtes de ſuperiori loco proturbauerat; credens ſe ad agmina propria peruenire, nocte cæca ad hoſtium carpenta ignarus incurrit. Quem fortiter dimican-

tem quidam capite vulnerato equo deiecit, ſuorumque prouidentia liberatus, à prœliandi intentione deſiit. Aëtius verò ſimiliter noctis confuſione diuiſus, quum inter hoſtes medios vagaretur, trepidus ne quid inciduſſet aduerſi Gothis, inquirens, tandemque ad ſocia caſtra perueniens, reliquum noctis ſcutorum defenſione tranſegit. Poſtera die luce orta, quum cadaueribus plenos campos aſpicerent, nec audere Hunnos erumpere; ſuam arbitrantur eſſe victoriam, ſcientesque Attilam non niſi magna clade confuſum, bello confugiſſe: quum tamen nil ageret vel proſtratus abiectum, ſed ſtrepens armis tubis canebat, incuſſionemque minabatur: velut leo venabulis preſſus, ſpelunceæ aditus obambulans, nec audet inſurgere, nec deſinit fremitibus vicina terrere. ſic bellicoſiſſimus rex victores ſuos turbabat incluſus. Conueniunt itaque Gothi Romanique, & quid agerent de ſuperato Attila deliberant. Placet eum obſidione fatigari, qui annonæ copiam

piam non habebat, quando ab ipſius ſagittariis intra ſepta caſtrorum locatis, crebris ictibus arceretur acceſſus. Fertur autem deſperatis in rebus prædictum regem adhuc & in ſupremo magnanimem, equinis ſellis conſtruxiſſe piram, ſeſéque, ſi aduerſarij irrumperent, flammis inïcere voluiſſe, ne aut aliquis eius vulnere lætaretur, aut in poteſtatem hoſtium, tantorum hoſtium gentium dominus, peruéniret.

CAP. XLI.

Thoriſmund Theoderico regi patri ſuo exequias parat, & conſilio Aëtij patricij, qui Hunnis funditus interẽptis, male à Gothis metuebat Imperio Romano, ſe recipit & patri ſuccedit. Franci & Gepidæ mutua clade ſe atterunt. Numerus cæſorum prælio inter Rom. & Attilam.

VERVM *inter has obſidionum moras Veſegothæ regem, filij patrem requirunt, admirantes eius abſentiam, dum felicitas fuerit ſubſequuta.*

Quumque diutius exploratum, vt viris fortibus mos est, inter denſiſſima cadauera reperiſſent, cantibus honoratum, inimicis ſpectantibus abſtulerunt. Videres Gothorum globos diſſonis vocibus confragoſos, adhuc inter bella furentia funeri reddidiſſe culturam. Fundebantur lachrymæ, ſed quæ viris fortibus impendi ſolent. noſtra mors erat, ſed Hunno teſte glorioſa, vnde hoſtium putaretur inclinata fore ſuperbia, quando regis efferre cadauer cum ſuis inſignibus inſpiciebant. At Gothi Theoderico adhuc iuſta ſoluentes, armis inſonantibus regiam deferunt maieſtatem, fortiſſimusque Thoriſmund bene glorioſus, ad manes cariſſimi patris, vt decebat filium, exequias eſt proſequutus. Quod poſtquam peractum eſt, orbitatis dolore commotus, & virtutis impetu qua valebat, dum inter reliquias Hunnorum mortem patris vindicare contendit, Aëtium patricium, ac ſi ſeniorem, prudentiaque maturum, de hac parte conſuluit, quid ſibi

eſſet

esset in tempore faciendum. Ille verò metuens, ne Hunnis funditus interemptis, à Gothis Romanorũ premeretur imperium, præbet hac suasione consilium, vt ad sedes proprias remearet, regnumque quod pater reliquerat arriperet; ne germani eius, opibus sumptis paternis, Vesegotharum regnum peruaderent, grauiterque deinc cum suis, & quod peius est, miserabiliter pugnaret. Quo responso non ambiguè, vt datum est, sed pro sua potius vtilitate suscepto, relictis Hunnis, redit ad Gallias. Sic humana fragilitas dum suspicionibus occurrit, magna rerum agendarum occasione intercipitur. In hoc enim famosissimo & fortissimarum gentium bello ab vtrisque partibus CLXII *millia cæsa referuntur, exceptis* XC *millibus Gepidarum & Francorum, qui ante congressionem publicam noctu sibi occurrentes, mutuis concidere vulneribus, Francis pro Romanorum, Gepidis pro Hunnorum parte pugnantibus. Attila igitur discessione cognita*

gnita Gothorum, quòd de inordinatis colligi solet, & inimicorum magis æstimans dolum, diutius se intra castra continuit. Sed vbi hostium absentia sunt longa silentia consecuta, erigitur mens ad victoriam, gaudia præsumuntur, atque potentis regis animus in antiqua fata reuertitur. Thoris mundergo patre mortuo, in campis statim Catalaunicis, vbi & pugnauerat, regia maiestate subuectus, Tolosam ingreditur. Hic licet fratrum & fortium turba gauderet, ipse tamen sic sua initia moderatus est, vt nullius reperiret de regni successione certamen.

CAP.

CAP. XLII.

Attila de Vesegotharum recessu à Romanis certior factus, ad oppressionem Romanorum omnibus viribus se confert. Aquileiam, Mediolanum, Ticinum, vastat. Leo Papa ad eum accedit & pacem Italiæ certis conditionibus impetrat. Attila ad suas sedes vltra Danubium remeat.

ATTILA *verò nacta occasione de recessu Vesegotharum, & quod sæpè optauerat, cernens hostium solutionem per partes, mox iam securus ad oppressionem Romanorum mouit procinctum, primáque aggressione Aquileiensem obsedit ciuitatem, quæ est metropolis Venetiarum, in mucrone vel lingua Adriatici posita sinus. Cuius ab oriente muros Natissa amnis fluens, à monte Picis elambit, ibique quum diu multoque tempore obsidens nihil penitus præualeret, fortissimis intrinsecus Romanorum militibus resistentibus; exercitu iam murmurante & discedere cupiente,*

piente, Attila deambulans circa muros, dum vtrum ſolueret caſtra, an adhuc moraretur deliberat; animaduertit candidas aues, id eſt ciconias, quæ in faſtigio domorum nidificant, de ciuitate fœtus ſuos trahere, atque contra morem per rura forinſecus comportare. Et vt hoc, ſicut erat ſagaciſſimus inquiſitor, perſenſit, ad ſuos inquit; Reſpicite aues futurarum rerum prouidas perituram relinquere ciuitatem, caſuraſque arces periculo imminente deſerere. Non hoc vacuum, non hoc credatur incertum; rebus præſciis conſuetudinem mutat ventura formido. Quid plus? Animus ſuorum rurſus ad oppugnandum Aquileiam inflammatur. Qui, machinis conſtructis, omnibuſque tormentorum generibus adhibitis, nec mora, inuadunt ciuitatem, ſpoliant, diuidunt, vaſtantque crudeliter, ita vt vix eius veſtigia, vt apparent, reliquerint. Exhinc iam audaciores, & necdum Romanorum ſanguine ſatiati, per reliquas Venetum ciuitates Hunni bacchabantur.

bantur. Mediolanum quoque Liguriæ metropolim, & quondam regiam vrbem, pàri tenore deuastant, nec non & Ticinum æquali sorte deiiciunt, vicináque loca sæuientes allidunt, demoliuntúrque penè totam Italiam. Quumque ad Romam animus fuisset eius attentus accedere, sui eum (vt Priscus refert historicus) remouere, non vrbi, cui inimici erant, consulentes; sed Alarici quondam Vesegotharum regis obijcientes exemplum, veriti regis sui fortunam, quia ille post fractam Romam diu non superuixerat, sed protinus rebus excessit humanis. Igitur dum eius animus ancipiti negocio inter ire & non ire fluctuaret, secumque deliberans tardaret, placita ei legatio à Roma aduenit. Nam Leo papa per se ad eum accedit in Acrouentu Mamboleio, vbi Mincius amnis commeantium frequentatione transitur. Qui mox depositio exercitus furore & rediens qua venerat, id est, vltra Danubium, promissa pace discessit; illud præ omnibus denuncians,

cians, atque interminando diſcerneus, grauiora ſe in Italiam illaturum, niſi ad ſe Honoriam Valentiniani principis germanam, filiam Placidiæ Auguſtæ, cum portione ſibi regalium opum debita mitteret. Ferebatur enim quia hæc Honoria, dum propter aulæ decus ac caſtitatem teneretur nutu fratris incluſa, clandeſtino eunucho miſſo, Attilam inuitaſſet, vt contra fratris potentiam eius patrociniis vteretur: prorſus indignum facinus, vt licentiam libidinis malo publico compararet.

CAP. XLIII.

Attila in Alanos trans Ligerim conſidentes mouet. A Thoriſmundo rege Veſegothorum conſerto prælio in ſuas ſedes fugere compellitur. Thoriſmundi cædes.

REVERSVS *itaque Attila in ſedes ſuas, & quaſi ocij pœnitens, grauiterque ferens à bello ceſſare, ad orientis principem Marcianum legatos dirigit, prouin-*

prouinciarum testans vastationem, quod sibi promissa à Theodosio quondam Imperatore minimè persolueret, & inhumanior solito suis hostibus appareret. Hæc tamen agens, vt erat versutus & callidus, alibi minatus, alibi arma sua commouit, & quod restabat indignationi, faciem in Vesegothos retorsit. Sed non eum, quem de Romanis, reportauit euentum. Nam per dissimiles anterioribus vias recurrens, Alanorum partem trans flumen Ligeris considentem statuit suæ redigere ditioni, quatenus mutata per ipsos belli facie, terribilior emineret. Igitur ab Dacia & Pannonia prouinciis, in quibus tunc Hunni cum diuersis subditis nationibus insidebant, egrediens Attila, in Alanos mouit procinctum. Sed Thorismund rex Vesegothorum fraudem Attilæ non impari subtilitate persentiens, ad Alanos tota subtilitate prius aduenit, ibique superuenientis iam Attilæ motibus præparatus occurrit, consertoque prælio, penè simili eum tenore vt

prius

prius in campis Catalaunicis, à ſpe remouit victoriæ, fugatumque à partibus ſuis ſine triumpho remittens in ſedes proprias fugere compulit. Sic Attila famoſus, & multarum victoriarum dominus, dum quærit famam perditoris abiicere, & quod prius à Veſegothis pertulerat abolere; geminatam ſuſtinuit, ingloriuſque receſſit. Thoriſmund verò repulſis ab Alanis Hunnorum cateruis, ſine aliqua ſuorum læſione Toloſam migrauit, ſuorumque quieta pace compoſita, tertio anno regni ſui ægrotans, dum ſanguinem tollit de vena, ab Aſcalcruo cliente inimicos nunciante, armis ſubtractis, peremptus eſt. Vna tamen manu, quam liberam habebat, ſcabellum tenens, ſanguinis ſui exiſtit vltor, aliquantos inſidiantes ſibi extinguens.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XLIIII.

Theodericus Thoriſmundi frater rex Veſegotharum Riciarium Sueuorum regem qui Hiſpaniam inuaſerat bello ſuperat. Achiulphum clientem Sueuis præficit. is tyrannidé affectans capite plectitur. Sueui permiſſu Theoderici Remiſmundum ſibi regem eligunt. Theoderici regis mors.

POST cuius deceſſum, Theodericus germanus eius Veſegotharum in regno ſuccedens, mox Riciarium Sueuorum regem cognatum ſuum repperit inimicum. Hic item Riciarius affinitatem Theoderici præſumens, vniuerſam penè Hiſpaniam ſibi credidit occupandam, iudicans opportunum tempus ſurreptionis incompoſita initia tentare regnantis. Quibus ante Gallicia & Luſitania ſedes fuere, quæ in dextro latere Hiſpaniæ per ripam Oceani porriguntur, habentes ab oriente Auſtrogoniam, ab occidente in promontorio ſacrum Scipionis Romani ducis monumentum,

tum, à ſeptentrione Oceanum, à meridie Luſitaniam, & fluuium Tagum, qui arenis ſuis permiſcens auri metalla, trahit cum limi vilitate diuitias. Exinde ergo exiens Riciarius rex Sueuorum, nititur totam Hiſpaniam occupare. Cui Theodericus cognatus ſuus, vt erat moderatus, legatos mittens, pacificè dixit, vt non ſolum recederet à finibus alienis; verùm etiam nec tentare præſumeret, odium ſibi tali ambitione acquirens. Ille verò animo prætumido ait; Si hic murmuras, & me venire cauſaris: Toloſam, vbi tu ſedes, veniam; ibi ſi vales, reſiſte. His auditis, ægrè tulit Theodericus, compacatuſque cum cæteris gentibus, arma mouit in Sueuos, Burgundionum quoque Gnudiacum, & Hilpericum reges auxiliares habens, ſibique deuotos. Ventum eſt ad certamen iuxta flumen Vrbium, quod inter Aſturicam Hiberiamque prætermeat; conſertoque prælio, Theodericus cum Veſegothis, qui ex iuſta parte pugnabat, victor efficitur, Sueuorum

gentes

gentes penè cunctas vsque ad internecionem prosternens. Quorum rex Riciarius relicta infecta victoria, hostem fugiens, in nauim conscendit, aduersaque procella Tyrrheni ostij repercussus, Vesegotharum est manibus redditus, miserabilem non differens mortem, cum elementa mutauerit. Theodericus verò victor existens, subactis pepercit, nec vltra certamina sæuire permisit, præponens Sueuis, quos subiecerat, clementem Athulfum. Qui in breui animum ad prævaricationem ex Sueuorum suasionib. commutans, neglexit imperata complere, potius tyrannica elatione superbiens, credensque se ea virtute prouinciam obtinere, qua dudum cum domino suo eam subiecisset. Is siquidem erat Vuarnorum stirpe genitus, longè à Gothici sanguinis nobilitate seiunctus, idcirco nec libertati studens, nec patrono fidem seruans. Quo comperto, Theodericus mox contra eum, qui eum de regno peruaso deiicerent, destinauit. Qui venientes, sine mora in primo

eum certamine superantes, congruam factorum eius ab eo exegerunt vltionem. Captus namque, & suorum solatio destitutus, capite plectitur; sensitque tandem iratum, qui propitium dominum crediderat contemnendum. Tunc Sueui rectoris sui interitum contuentes, locorum sacerdotes ad Theodericum supplices direxerunt. Quos ille pontificali reuerentia suscipiens, non solum impunitatem Sueuorum indulsit; sed & vt sibi de suo genere principem constituerent flexus pietate concessit. Quod & factum est, & Remismundum sibi Sueui regulum ordinauerunt. His peractis, paceque cunctis munitis, tertiodecimo regni sui anno Theodericus occubuit.

CAP.

CAP. XLV.

Euricus Vesegotharum rex Theoderico succedit, Romanis Imperatoribus aliis super alios cæsis Gizericus Wandalorum rex Italiam inuadit, Romam vastat. Euricus Gallias inuadit, Britones Romanorum auxiliarios profligat, Aruernam Galliæ ciuitatem occupat.

CVI *frater Euricus percupida festinatione succedens, sæua suspicione pulsatus est. Nam dum hæc circa Vesegotharum gentem & alia nonnulla geruntur, Valentinianus imperator dolo Maximi occisus est, & ipse Maximus tyrannico more regnum inuasit. Quod audiens Gizericus rex Vuandalorum, ab Africa armata classe in Italiam venit, Romamque ingressus, cuncta deuastat. Maximus verò fugiens, à quodam Vrso milite Romano interemptus est. Post quem, iussu Marciani imperatoris orientalis, Maioranus occidentale suscepit imperium gubernandum. Sed & ipse non diu regnans, dum*

contra Alanos, qui Gallias infestabant, mouisset procinctum, Dertonæ iuxta fluuium fra cognomento occiditur. Cuius locum Seuerus inuasit, qui tertio anno imperij sui Romæ obijt. Quod cernens Leo imperator, qui in orientali regno Marciano successerat, Anthemium patricium suum ordinans, Romæ principem ordinauit. Qui veniens ilico Ricimerem generum suum contra Alanos direxit, virum egregium, & penè tunc in Italia ad exercitum singularem. Qui multitudinem Alanorum, & regem eorum Beurgum in primo statim certamine superatos, internecioni prostrauit. Euricus ergo Vesegotharum rex crebram mutationem Romanorum principum cernens, Gallias suo iure nisus est occupare. Quod comperiens Anthemius Imperator, protinus solatia Britonum postulauit. Quorum rex Riothimus cum XII millibus veniens, in Biturigas ciuitatem Oceano è nauibus egressus, susceptus est. Ad quos rex Vesegotharum Euricus innumerum

merum ductans exercitum aduenit, diuque pugnans, Riothimum Britonum regem, antequam Romani in eius societate coniungerentur, superauit. Qui ampla parte exercitus amissa, cum quibus potuit fugiens, ad Burgundionum gentem vicinam, Romanis in eo tempore fœderatam, aduenit. Euricus verò rex Vesegotharum Aruernam Galliæ ciuitatem occupauit, Anthemio principe iam defuncto; qui cum Ricimere genero suo intestino bello sæuiens, Romaniam triuisset, ipseque à genero peremptus, regnum reliquit Olibrio. Quo tempore in Constantinopoli Aspar primus patriciorum, & Gothorum genere clarus, cum Ardabure & Patriciolo filiis, illo quidem olim patricio, hoc autem Cæsare, generoque Leonis principis appellato, spadonum ensibus in palatio vulneratus interiit. Et nec dum Olibrio VIII *mense in regnum ingresso obeunte, Glycerius apud Rauennam plus præsumptione quàm electione Cæsar effectus est. Quem anno vix*

expleto, Nepos Marcellini quondam patricij ſororis filius, à regno deiciens, in portu Romano Epiſcopum ordinauit. Tantæs varietates mutationesque Euricus cernens, vt diximus ſuperius, Aruernam occupat ciuitatem, vbi tunc Romanorum dux præerat Decius nobiliſſimus ſenator, & dudum Auiti Imperatoris, qui ad paucos dies regnum inuaſerat, filius. Nam hic ante Olibrium paucos dies tenens imperium, vltro receſſit Placentiam, ibiq. Epiſcopus eſt ordinatus. Huius ergo filius Decius diu certans cum Veſegothis, nec valens anteſtare, relicta patria maximeque vrbe Aruernate hoſti, ad tutiora ſe loca collegit. Quod audiens Nepos Imperator, præcepit Decio, relictis Galliis ad ſe venire, in locum eius Oreſte magiſtro militum ordinato: qui Oreſtes ſuſcepto exercitu, & contra hoſtes egrediens, à Roma Rauennam peruenit, ibique remoratus, Auguſtulum filium ſuum Imperatorem efficit. Quo comperto, Nepos fugit in Dalma-

tias,

tias, ibique defecit priuatus regno, vbi iam Glycerius diudum imperator Episcopatum Salonitanum habebat, Augustulo à patre Oreste in Rauenna imperatore ordinato.

CAP. XLVI.

Odouacer Turcilingorum rex Italiam inuadit & subiugat.

NON *multum post Odouacer Turcilingorum rex, habens secum Scyros, Herulos, diuersarumque gentium auxiliarios, Italiam occupauit, & Oreste interfecto, Augustulum filium eius de regno pulsum, in Lucullano Campaniæ castello exsilij pœna damnauit. Sic quoque Hesperium Romanæ gentis imperium, quod septingentesimo nono vrbis conditæ anno primus Augustorum Octauianus Augustus tenere cœpit, cum hoc Augustulo periit, anno decessorum prædecessorumque regni quingentesimo vigesimo secundo, Gothorum dehinc regibus Romam Italiamque*

teuentibus. Interea Odouacer rex gentium omni Italia ſubiugata, vt terrorem ſuum Romanis indicaret, mox initio regni ſui Brachilam comitem apud Rauennam occidit, regnóque ſuo confortato, penè per quatuordecim annos vſque ad Theoderici præſentiam, de quo in ſubſequentibus dicturi ſumus, obtinuit. Interim tamen ad eum ordinem, vnde digreſſi ſumus, redeamus.

CAP. XLVII.

Euricus, Veſegotharum rex Arelatum, Maſſiliam, & Burgundiones ſubigit. Moritur. Alaricus Eurici filius, nonus Veſegotharum rex.

EVRICVS *rex Veſegotharum Romani regni vacillationem cernens, Arelatum & Maſſiliam propriæ ſubdidit ditioni. Gezericus etenim Vuandalorum rex ſuis eum muneribus ad iſta committenda illexit, quatenus ipſe Leonis vel Zenonis inſidias, quas contra eum direxerant,*

rant, præcaueret; egitque vt orientale imperium Ostrogothæ, Hesperium Vesegothæ vastarent, vt in vtraque Repub. hostibus decernentibus, ipse in Africa quietus regnaret. Quod Euricus grato suscipiens animo, totas Hispanias Galliasque sibi iam iure proprio tenens, simul quoque & Burgundiones subegit, Arelatoque degens, decimonono anno regni sui vita priuatus est. Huic successit proprius filius Alaricus, qui nonus in numero ab illo Alarico magno regnum adeptus est Vesegotharum. Nam pari tenore, vt de Augustulo superius diximus, & in Alaricis prouenisse cognoscitur, in eis sæpè regna deficiunt, à quorum nominibus inchoant. Quo interim nos prætermisso, sicut promisimus, omnem Gothorum texamus originem. Et quia dum vtræque gentes tam Ostrogothæ, quàm etiam Vesegothæ in vno essent, vt valui, maiorum sequens dicta reuolui, diuisosque Vesegothas ab Ostrogothis ad liquidum sum prosequutus: necesse nobis est, iterum

ad antiquas eorum Scythicas ſedes redire, & Oſtrogotharum genealogiam actusque pari tenore exponere.

CAP. XLVIII.

Oſtrogotharum regum ab Ermanarici regis deceſſione genealogia, vſque ad Walamirum Thoriſmundi filium, & Attilæ mortem.

OSTROGOTHAE *Ermanarici regis ſui deceſſione à Veſegothis diuiſi, Hunnorum ſubditi ditioni, in eadem patria remorati ſunt; Vuinithario tamẽ Amalo principatus ſui inſignia retinente. Qui aui Ataulfi virtutem imitatus, quamuis Ermanarici felicitate inferior, tamẽ moleſtè ferens Hunnorum imperio ſubiacere, paululum ſe ſubtrahebat ab illis, ſuamq. dum nititur oſtentare virtutem, in Antarum fines mouit procinctum, eosque dum aggreditur, prima congreſſione ſuperatur: deinde fortiter egit, regemque eorum Box nomine cum filiis ſuis & LXX primatibus in exemplo*

exemplo terroris cruci adfixit, vt deditiis metum cadauera pendentium geminarent. Sed cum tali libertate vix anni ſpatio imperaſſet, non eſt paſſus Balamber rex Hunnorum, ſed aſcito ad ſe Sigiſmundo Hunimundi magni filio, qui iuramenti ſui & fidei memor cum ampla parte Gothorum Hunnorum imperio ſubiacebat, renouatoque cum eo fœdere, ſuper Vuinitharium duxit exercitum; diuque certantibus, primo & ſecundo certamine Vuinitharius vincit. Nec valet aliquis commorare quantam ſtragem de Hunnorum Vuinitharius fecit exercitu. Tertio verò prælio ſubreptionis auxilio ad fluuium nomine Erac, dum vterque ad ſe veniſſent, Balamber ſagitta miſſa caput Vuinitharij ſaucians, interemit; neptemque eius Vualadamarcam ſibi in coniugio copulans, iam omnem in pace Gothorum populum ſubactum poſſedit: ita tamen, vt genti Gothorum ſemper vnus proprius regulus (quamuis Hunnorum conſilio) imperaret.

ret. Et mox defuncto Vuimithario, rexit eos Humimundus filius quondam regis potentissimi Ermanarici, acer in bello, totusque corporis pulchritudine pollens: qui post hæc contra Sueuorum gentem feliciter dimicauit. Eoque defuncto, successit Thorismund filius eius flore iuuentutis ornatus, qui secundo principatus sui anno contra Gepidas mouit exercitum; magnaque de illis potitus victoria, casu equi dicitur interemptus. Quo defuncto, sic eum luxere Ostrogothæ; vt XL *per annos in eius loco rex alius non succederet, quatenus & illius memoriam semper haberent in ore, & tempus accederet quo Vualamir ambitum repararet virilem, qui erat ex consobrino eius genitus Vuandalario; quia filius eius, vt superius diximus, Berismund, iam contempta Ostrogotharum gente propter Hunnorum dominium, ad partes Hesperias Vesegotharum fuisset gentem sequutus, de quo & ortus est Vedericus. Vederico quoque filius natus est Eutharicus, qui*

iunctus

iunctus Amalesuentæ filiæ Theoderici, item Amalorum stirpem iam diuisam coniunxit, & genuit Athalaricum & Mathesuentam. Sed quia Athalaricus in annis puerilibus defunctus est, Mathesuenta Constantinopolim inlata, de secundo viro, id est Germano fratruele Iustiniani imperatoris genuit posthumum filium, quem nominauit Germanum. Sed nobis, vt ordo quem cupimus decurrat; ad Vuandalarij sobolem, quæ trino flore pullulabat, redeundum est. Hic etenim Vuandalarius fratruelis Ermanarici, & suprascripti Thorismundi consobrinus, tribus editis liberis, in gente Amala gloriatus est, id est Vualamir, Theodemir, Vuidemir. Ex quibus per successionem parentum Vualamir in regnum conscendit, adhuc Hunnis eos inter alias gentes generaliter obtinentibus. Eratque tunc in tribus his germanis contemplatio grata, quando mirabilis Theodemir pro fratris Vualamir militabat imperio. Vualamir verò pro altero iubet ornando,

do, Vuidemir ſeruire pro fratribus æſtimabat. Sic eis mutua affectione ſe tuentibus, nulli penitus deerat regnum, quod utrique in ſua pace tenebant. Ita tamen, ut ſæpè dictum eſt, imperabant; ut ipſi Attilæ Hunnorum regis imperio deſeruirent. Quibus nec contra parentes Veſegothas licuiſſet recuſare certamen; ſed neceſſitas domini etiam ſi paricidium iubet, implendum eſt. Nec aliter ab Hunnorum dominio diuelli potuit gens aliqua Scythica, niſi optata cunctis nationibus in communi, & Romanis mors Attilæ proueneriit, quæ tam utilis fuit, ut vita mirabilis.

CAP. XLIX.

De Attilæ Hunnorum regis morte ex nimia ebrietate, & de magnificis exequiis ei præſtitis.

ATTILA *vt Priſcus hiſtoricus refert, extinctionis ſuæ tempore puellam Ildico nomine, decoram valde, ſibi in matrimonium poſt innumerabiles vxores,*

uxores, vt mos erat gentis illius, ſocians: eiuſque in nuptiis magna hilaritate reſoluens, vino ſommoque grauatus, reſupinus iacebat, redundansque ſanguis qui ei ſolitè de naribus effluebat, dum conſuetis meatibus impeditur, itinere feruali faucibus illapſus eum extinxit. Ita glorioſo per bella regi feruidentia pudendum exitum dedit. Sequenti verò luce, quum magna pars diei fuiſſet exempta, miniſtri regij triſte aliquid ſuſpicantes, poſt clamores maximos fores effringunt, inueniuntque Attilæ ſine vulnere necem ſanguinis effuſione peractam, puellamque demiſſo vultu ſub velamine lachrymantem. Tunc, vt illius gentis mos eſt, crinium parte truncata, informes facies cæſis turpauere vulneribus, vt prælator eximius non fœmineis lamentationib. & lachrymis, ſed ſanguine lugeretur virili. De quo id acceſſit mirabile, vt Martiano principi orientis de tam feroci hoſte ſollicito in ſomnis diuinitus adſiſtens, arcum Attilæ in eadem nocte fractum oſtenderet,

quaſi

quasi quòd gens ipsa eo telo multa præsumat. Hoc Priscus historicus verasse dicit adtestatione probare. Nam in tantum magnis imperiis Attila terribilis habitus est, vt eius mortem in locum muneris superna regnantibus iudicarent. Cuius manes quibus modis à sua gente honorati sunt, pauca de multis dicere non omittamus. In mediis siquidem campis, & intra tentoria serica cadauere collocato, spectaculum admirandum & solenniter exhibetur. Nam de tota gente Hunnorum electissimi equites in eo loco quo erat positus, in modum Circensium cursibus ambientes, facta eius cantu funereo tali ordine referebant. Præcipuus Hunnorum rex Attila, patre genitus Mundzucco, fortissimarum gentium dominus, qui inaudita ante se potentia solus Scythica & Germanica regna possedit, necnon vtraque Romanæ vrbis imperia captis ciuitatibus terruit, & ne prædæ reliqua subderent, placatus precibus, annuum vectigal accepit. Quumque hæc omnia pro-

ucentu

mentis felicitatis egerit, non vulnere hostium, non fraude suorum, sed gente incolumi inter gaudia lætus, sine sensu doloris occubuit. Quis ergo hunc dicat exitum, quem nullus æstimat vindicandum? Postquam talibus lamentis est defletus, strauam super tumulum eius, quam appellant ipsi, ingenti commessatione concelebrant, & contraria inuicem sibi copulantes, luctum funereum mixto gaudio explicabant, noctuque secreto cadauer est terra reconditum. Cuius fercula primum auro, secundo argento, tertio ferri rigore communiunt, significantes tali argumento potentissimo regi omnia conuenisse: ferrum quo gentes edomuit; aurum & argentum, quod ornatum reipublicæ utriusque acceperit. addunt arma hostium cædibus acquisita, phaleras vario gemmarum fulgore pretiosas, & diuersi generis insignia, quibus colitur aulicum decus. Et ut tot & tãtis diuitiis humana curiositas arceretur, operi deputatos detestabili mercede tru-

cidarunt, emersitque momentanea mors sepelientibus cum sepulto.

CAP. L.

Attila mortuo contentio inter innumeros eius filios de successione orta. Ardaricus Gepidarum rex Ellac Attilæ filium in prælio interficit, reliquos filios ad Ponticum vsque mare fugat. Marcianus Imp. variis Gothis & Gepidis diuersas sedes concedit.

TALIBVS *peractis, vt solent animi iuuenum ambitu potentiæ concitari, inter successores Attilæ de regno orta contentio est & dum inconsultè imperare cupiunt cuncti, omnes simul imperium perdidere. Sic frequenter regna grauat plus copia quàm inopia successorum. Nam filij Attilæ, quorum per licentiam libidinis penè populus fuit, gentes sibi diuidi æqua sorte poscebant, vt ad instar familiæ bellicosi regis cum populis mitterentur in sortem. Quod dum Gepidarum rex comperit Ardaricus, de tot gentibus indigna-*

tus,

tùm, velut vilissimorum mancipiorum conditione tractari, contra filios Attilæ primus insurgit, illatumque seruiendi pudorem sequuta felicitate detersit: nec solum suam gentem, sed & cæteras, quæ pariter premebantur, sua discessione absoluit: quia facilè omnes appetunt quæ pro cunctorum vtilitate tentantur. In mutuum igitur armantur exitium, bellumque committitur in Pannonia, iuxta flumen cui nomen est Netad. Illic concursus factus est gentium variarum, quas Attila in sua tenuerat ditione. Diuiduntur regna cum populis, fiuntque ex vno corpore membra diuersa, nec quæ vnius passioni compaterentur, sed quæ exciso capite inuicem insanirent; quæ nunquam contra se pares inuenerant, nisi ipsi mutuis se vulneribus sauciantes, seipsas discerperent fortissimæ nationes. Nam ibi admirandum reor fuisse spectaculum, vbi cernere erat cunctis, pugnantem Gothum ense furentem, Gepidam in vulnere suorum cuncta tela frangentem, Sueuum

pede, Hunnum ſagitta præſumere, Alanum graui, Herulum leui armatura aciem inſtruere. Poſt multos ergo graueśque conflictus fauit Gepidis inopinata victoria. Nam triginta ferè millia tam Hunnorum, quàm aliarum gentium, quæ Hunnis ferebant auxilium, Ardarici gladius conſpiratoruḿque peremit. In quo prælio filius Attilæ maior natu, nomine Ellac, occiditur: quem tantum pater ſuper cæteros amaſſe perhibebatur, vt eum cunctis diuerſiśque filiis ſuis in regno præferret: ſed non fuit voto patris fortuna conſentiens. Nam poſt multas hoſtium cædes ſic viriliter eum conſtat peremptum, vt tam glorioſum ſuperſtes pater optaſſet interitum. Reliqui verò germani eius eo occiſo fugantur iuxta littus Pontici maris, vbi prius Gothos ſediſſe deſcripſimus. Ceſſere itaque Hunni, quibus cedere putabatur vniuerſitas. Adeo diſſidium pernicioſa res eſt, vt diuiſi corruerint, qui adunati viribus territabant. Hæc cauſa Ardarici regis Gepidarum felix

lix adfuit diuersis nationibus, qui Hunnorum regimini inuiti famulabantur, eorumque diu mœstissimos animos ad hilaritatem libertatis votiuam erexit; venientesque multi per legatos suos ad solum Romanorum, & à principe tunc Marciano gratissimè suscepti, distributas sedes, quas incolerent, accepere. Nam Gepidæ Hunnorum sibi sedes viribus vendicantes, totius Daciæ fines velut victores potiti, nihil aliud à Romano imperio, nisi pacem & annua solennia, vt strenui viri, amica pactione postulauere. Quod & libens tunc annuit Imperator, & vsque nunc consuetum donum est. Nam gens ipsa à Romano suscipit principe. Gothi verò cernentes Gepidas Hunnorum sedes sibi defendere, Hunnorumque populum suas antiquas sedes occupare; maluerunt à Romano regno terras petere, quàm cum discrimine suo inuadere alienas, accipientes Pannoniam, quæ in longa porrecta planicie habet ab oriente Mœsiam superiorem, à me-

ridie Dalmatiam, ab occaſu Noricum, à ſeptentrione Danubium. Ornata patria ciuitatibus plurimis, quarum prima Sirmis, extrema Vindomina. Sauromatæ verò, quos Sarmatas diximus, & Cemandri, & quidam ex Hunnis in parte Illyrici ad caſtrum Martenam ſedes ſibi datas coluere. Ex quo genere fuit Bluulas dux Pentapolitanus, eiuſque germanus Froilas, & noſtri temporis Beſſa patricius. Sciri verò, & Satagarij, & cæteri Alanorum cum duce ſuo nomine Candax Scythiam minorem, inferioremque Mœſiam accepere. Cuius Candacis Alanouuamuthis patris mei genitor Peria, id eſt, meus auus, notarius quouſque Candax ipſe viueret fuit, eiuſque germanæ filius Gunthigis, qui & Baza dicebatur, magiſter militum, filius Andagis, filij Andalæ, de proſapia Amalorum deſcendens. Ego item (quamuis agrammatus) Iornandes, ante conuerſionem meam notarius fui. Rugi verò, aliæque nationes nonnullæ Bizimetas, Scandiopolim,

diopolim, vt incolerent, petiuere. Hernac quoque iunior Attilæ filius cum ſuis in extremo minoris Scythiæ ſedes delegit. Emnedzar & Uzindur conſanguinei eius in Dacia Ripenſi. Uto & Iſcalmus, qui ea potiti ſunt, multíque Hunnorum paſſim proruentes tunc ſe in Romaniam dederunt. E quibus nunc Vſque Sacromontiſij & Foſatiſij dicuntur.

CAP. LI.

De Gothorũ qui Minores dicuntur ſedibus, & de Vulfila ipſorum pontifice, qui eos literis inſtituit.

ERANT *ſiquidem & alij Gothi, qui dicuntur Minores, populus immenſus, cum ſuo pontifice, ipſoque primate Vulfila, qui eis dicitur & literis inſtituiſſe, hodieque ſunt in Mœſia regione incolentes Eucopolitanam. Ad pedes enim montis gens multa ſedit pauper & imbellis, nihil abundans, niſi armento diuerſi generis pecorum, & paſcuis, ſiluaque lignorum, pa-*

rum habens tritici, cæterarum ſpecierum eſt terra fœcunda. Vineas verò nec ſi ſunt alibi, certi eorum cognoſcent, ex vicinis locis ſibi vinum negociantes. nam lacte aluntur.

CAP. LII.

De Oſtrogotharum variis poſt Attilæ mortem ſedibus, in Pannonia. vtque Attilæ filios irruentes propulſarint in Scythiam. Deque Oſtrogotharum cum Romanis amicitia, obſide pacis Conſtantinopolim miſſo Theoderico Theodemiri filio.

PLERIQVE ergo, *vt ad gentem vnde agitur reuertamur, id eſt Oſtrogotharum, qui in Pannonia ſub rege Vualemir eiusque germanis Theodemir & Vuidemir morabantur, quamuis diuiſa loca, conſilia tamen habuere vnita. Nam Vualemir inter Scarniungam & Aquam nigram fluuios, Theodemir iuxta lacum Pelſodis, Vuidemir inter vtroſque manebat. Contigit ergo, vt Attilæ filij contra Gothos,*

Gothos, quasi desertores dominationis suæ, velut fugacia mancipia requirentes venirent; ignarisque aliis fratribus super Vualemir solum irruerent. Quos tamen ille, quamuis cum paucis, excepit; diuque fatigatos ita prostrauit, vt vix pars aliqua hostium remaneret, quæ in fugam versa, eas partes Scythiæ peteret quas Danubij amnis fluenta prætermeant, quæ lingua sua Hunniuar appellant. Eoque tempore quum ad fratrem Theodemirem gaudij nuncium direxisset, eo mox die nuncius veniens felicius in domo Theodemiris repperit gaudium. Ipso siquidem die Theodericus eius filius quamuis de Erelieua concubina, bonæ tamen spei puerulus natus erat. Post tempus ergo non multum rex Vualemir, eiusque germani Theodemir & Vuidemir, consueta dum traderent dona à principe Marciano, quæ ad instar strenuæ gentis acceperunt, vt pacis fœdera custodirent, missa legatione ad imperatorem, vident Theodericum Triarij filium, & hunc gene-

Digitized by Google

re Gothico, alia tamen ſtirpe, non Amala procreatum, omnino florentem cum ſuis, Romanorumque amicitiis iunctum, & annua ſolennia conſequentem, & ſe tantum deſpici. Flico furore commoti arma arripiunt, & Illyricum penè totum diſcurrentes in prædam deuaſtant. Sed ſtatim imperator animo mutato ad priſtinam recurrit amicitiam, miſſaque legatione, tam præterita cum inſtantib. munera tribuit, quam etiam de futuro ſine aliqua controuerſia tribuere compromittit, pacisque obſidem ab eis, quem ſupra retulimus, Theodericum infantulum Theodemiris accepit. Qui iam annorum ſeptem incrementa conſcendens, octauum intrauerat annũ. Quem dum pater cunctatus daret, patruus Ualemir extitit ſupplicator, tantum vt pax firma inter Romanos Gothosq. maneret. Datus igitur Theodericus obſes à Gothis, ducitur ad vrbem Conſtantinopolitanam Leoni principi. & quia puerulus elegans erat, meruit gratiam imperialem habere.

CAP.

Digitized by Google

CAP. LIII.

Ostrogothæ post Attilæ mortem in Satagas mouent. Hunnos, duce Dinzione Attilæ filio, obsistentes propulsant. Varia Ostrogotharum cum Suevis & Sciris prælia. Walemiri mors. Sciri ad internecionem deleti.

POSTQVAM *ergo firma pax Gothorum cum Romanis effecta est, videntes Gothi non sibi sufficere ea quæ ab imperatore acciperent solatia, simulque cupientes ostentare virtutem, cœperunt vicinas gentes circumcirca prædari: primo contra Satagas, qui interiorem Pannoniam possidebant, arma mouentes. Quod vbi rex Hunnorum Dinzio, filius Attilæ, cognouisset; collectis secum qui adhuc videbantur quamuis pauci, eius tamen sub imperio remansisse, Vlzingures, Angisciros, Bittugores, Bardores, veniens ad Bassianam Pannoniæ ciuitatem, eamque circumuallans, fines eius cœpit prædari. Quo comperto Gothi, vbi erant, expeditionemque*

tionemque ſoluentes quam contra Satagas collegerant, in Hunnos conuertunt, & ſic eos ſuis à finibus inglorios pepulerunt, vt iam ex illo tempore, qui remanſerant Hunni, & vſque hactenus, Gothorum arma formident. Quieſcente verò tandem Hunnorum gente à Gothis, Hunimundus Sueuorum dux dum ad prædandas Dalmatias tranſit, armenta Gothorum in campis errantia deprædauit, quia Dalmatiis Sueuia vicina erat, nec à Pannoniis multum diſtabat, præſertim vbi tunc Gothi reſidebant. Quid plurimum? Hunimundo cum Sueuis vaſtatis Dalmatiis ad ſua reuertente, Theodemir germanus Vualemiris regis Gothorum, non tantum iacturam armentorum dolens, quantum metuens ne Sueui ſi impunè hoc lucrarentur ad maiorem licentiam proſilirent; ſic vigilauit in eorum tranſitu, vt intempeſta nocte dormientes inuaderet ad lacum Pelſodis, conſertoque inopinato prœlio, ita eos oppreſſit, vt etiam ipſo rege Hunnimundo

do capto, omnem exercitum eius, qui gladium euasissent, Gothorum subderet seruituti. Et dum multum esset amator misericordiæ, facta vltione, veniam condonauit, reconciliatusque cum Sueuis, eundem quem ceperat adoptans sibi filium, remisit cum suis in Sueuiam. Sed ille immemor paternæ gratiæ, post aliquod tempus conceptum dolum parturiens, Scirorum gentem incitauit, qui tunc supra Danubium considebant, & cum Gothis pacificè morabantur, quatenus scissi ab eorum fœdere, secumque iuncti, in arma prosilirent, gentemque Gothorum inuaderent. Tunc Gothis nihil mali sperantibus, præsertim de vtrisque amicis vicinis confisis, bellum insurgit ex improuiso, coactique necessitate ad arma confugiunt; solitoque certamine arrepto, se suamque iniuriam vlciscuntur. In eo siquidem prælio rex eorum Vualemir dum equo insidens ad cohortandos suos ante aciem curreret, proturbatus equus corruit, sessoremque suum deiecit; qui mox inimicorum lanceis

lanceis confossus, interemptus est. Gothi verò tam regis sui mortem, quàm suam iniuriam à rebellionibus exigentes, ita sunt prœliati, vt penè de gente Scirorum, nisi qui nomen ipsum ferrent, & hic cum dedecore non remansissent, sic omnes extinxerunt.

CAP. LIIII.

Sueuorum reges Hunimundus & Alaricus cum Sarmatis & Sciris, Gepidis & Rugis in Ostrogothas mouentes, maxima clade afficiuntur.

QVORVM exitium Sueuorum reges Hunimundus & Alaricus veriti, in Gothos arma mouerunt, freti auxilio Sarmatarum, qui cum Beuga & Babai regibus suis auxiliariis eorum deuenissent, ipsasque Scirorum reliquias quasi ad vltionem suam acrius pugnaturas accersentes cum Edica & Vulfo eorum primatibus habuerunt simul secum tam Gepidas, quàm ex gente Rugorum non parua sola-

tia.

sia; cæterisque hincinde collectis, ingentem multitudinem aggregantes, ad amnem Bolliam in Pannonus castrametati sunt. Gothi tunc Vualemire defuncto, ad fratrem eius Theodemir confugerunt. Qui quamuis dudum cum fratribus regnans, tamen auctioris potestatis insignia sumens, Vuidemire fratre iuniore accito, & cum ipso curas belli partitus, coactus ad arma prosiliuit; consertoque prælio, superior pars inuenitur Gothorum, adeo vt campus inimicorum corruentium cruore madefactus, vt rubrum pelagus appareret, armaque & cadauera in modum collium cumulata, campum plus quàm decem millibus opplemerunt. Quod Gothi cernentes, ineffabili exsultatione lætantur, eo quod regis sui Vualemiris sanguinem & suam iniuriam cum maxima inimicorum strage vltiscerentur. De innumeranda verò variaq. multitudine hostium qui valuerunt euadere, effugati vix ad sua inglorij peruenerunt.

CAP.

CAP. LV.

Theodemirus rex in Sueuos mouet, eosque vastat & pene subigit. Theodoricus Theodemiri filius pene adhuc puer inscio patre Babai Sarmatarum regem adortus, interimit. Singidonum ciuitatem capit.

POST *certum verò tempus instanti hiemali frigore, amnéque Danubij solitè congelato : (nam istius modi fluuius ita rigescit, vt in silicis modum vehat exercitum pedestrem, plaustráque & tragulas, vel quicquid vehiculi fuerit nec cymbarum indigeat lintre) sic ergo eum gelatum Theodemir Gothorum rex cernens , pedestrem ducit exercitum ; emensóque Danubio , Sueuis improuisus à tergo apparuit. Nam regio illa Sueuorum ab oriente Baiobaros habet, ab occidente Francos, à meridie Burgundiones , à septentrione Thuringos. Quibus Sueuis tunc iuncti Alemanni etiam aderant, ipsíque alpes erectas omnino regentes : vnde nonnulla fluenta Danubio*

nubio influunt, nimio cum sono vergentia. Hic ergo taliter munito loco, Theodemir rex hiemis tempore Gothorum ductauit exercitum, & tam Sueuorum gentem quàm etiam Alemannorum vtraſque ad inuicem fœderatas deuicit, vaſtauit, & penè ſubegit. Inde quoque victor ad proprias ſedes id eſt Pannonias reuertens, Theodericum filium ſuum, quem Conſtantinopolim obſidem dederat, à Leone imperatore remiſſum cum magnis muneribus gratanter excepit. Qui Theodericus iam adoleſcentiæ annos contingens, expleta pueritia, octauum decimum peragens annum, adſcitis ſatellitibus patris, ex populo amatores ſibi clientesque conſociauit, penè ſex milia viros; cum quibus inſcio patre, emenſo Danubio, ſuper Babai Sarmatarum regem diſcurrit, qui tunc de Camundo duce Romanorum victoria potitus, ſuperbiæ tumore regnabat, eumque ſuperueniens Theodericus interemit, familiamque & cenſum deprædans, ad genitorem ſuum

Digitized by Google

cum victoria repedauit. Singidonum dehinc ciuitatem, quam ipsi Sarmatæ occupassent, inuadens, non Romanis reddidit, sed suæ subdidit ditioni.

Cap. LVI.

Ostrogothæ pertæsi pacis, Italiam, Gallias & Illyricum infestant. Theodemirus fedęre cum Romanis inito moritur.

MINVENTIBVS deinde hinc inde vicinarum gentium spoliis, cæpit & Gothis victus vestitusque esse: & hominibus, quibus dudum bella alimoniam præstitissent, pax cœpit esse contraria; omnesque cum clamore magno ad regem Theodemir accedentes Gothi orant, quacumque parte vellet ductaret exercitum. Qui accito Germano, missaque sorte, hortatus est, vt ille in partem Italiæ, vbi tunc Glycerius regnabat imperator, ipse verò ceu fortior ad fortius regnum accederet orientale quidem. quod & factum est. Et mox Vuidemir Italiæ terras intrauit, &

& extremum fati munus reddens, excessit rebus humanis, successorem relinquens regni Vuidemir filium suum. Quem Glycerius Imperator muneribus datis, de Italia ad Gallias transtulit, quæ à diuersis circumcirca gentibus premebantur, adserens vicinos sibi Vesegothas eorum parentes regnare. Quid multa? Vuidemir acceptis muneribus, simulque mandatis à Glycerio Imperatore, Gallias tendit, seseque cum parentibus iungens Vesegothis, vnum corpus efficitur, & sic Gallias Hispaniasque tenentes suo iure defendunt, vt nullus sibi alius præualeret. Theodemir autem frater senior cum suis transit Saum amnem, Sarmatis militibusque interminans bellum, si aliquis obstaret ei. Quod illi verentes, quiescunt, imò nec præualent ad tantam multitudinem. Videns Theodemir vndique sibi prospera prouenire, Naissum primam vrbem inuadit Illyrici: filioque suo Theoderico consociatus adstat, & in villam comites per castrum Herculis

transmittit Vlpianam. Qui venientes, tam eam, quàm & opes mox in deditionem accipiunt, nonnullaque loca Illyrici inaccessibilia sibi tunc primùm peruia faciunt. Nam Heracliam & Larissam ciuitates Thessaliæ primùm præda capta, iure bellico potiuntur. Theodemir verò rex animaduertens tam felicitatem suam, quàm etiam filij; nec hac tamen contentus, egrediens Naisitanam vrbem, paucis ad custodiam derelictis, ipse Thessalonicam petiit, in qua Clarianus patricius à principe directus, cum exercitu morabatur. Qui dum videret vallo muniri Thessalonicam, nec se eorum conatibus posse resistere, missa legatione ad Theodemir regem, muneribusque oblatis, ab obsidione eum vrbis retorquet. Initoque fœdere, Romanus dux cum Gothis loca eis iam sponte, quæ incolerent, tradidit, id est Ceropellas, Europam, Medianam, Petinam, Bereum, & alia quæ Sium vocantur. Vbi Gothi cum rege suo armis depositis, composita pace quiescunt.

quieſcunt. Nec diu poſt hæc & rex Theodemir in ciuitate Cerras fatali ægritudine occupatus, vocatis Gothis, Theodericum filium regni ſui deſignat heredem, & ipſe mox rebus humanis exceſſit.

CAP. LVII.

Theodericus Oſtrogotharum rex à Zenone Imp. Romam euocatur, ab eo adoptatur, conſulatu & Equeſtri ſtatua donatur, Odoacrum in Heſperia magna clade afficit. Inſignia regis Romanorum aſſumit.

THEODERICVM verò genti ſuæ regem audiens ordinatum imperator Zeno, gratum ſuſcepit, eiúque euocatoria deſtinata, ad ſe in vrbem venire præcepit, dignoque ſuſcipiens honore, inter proceres ſui palatij collocauit. Et poſt aliquod tempus ad ampliandum honorem eius in arma, ſibi eum filium adoptauit, de ſuisque ſtipendiis triumphum in vrbe donauit; factusq. eſt conſul ordinarius, quod ſum-

mum bonum, primumque in mundo decus edicitur. nec tantum hoc, sed etiam equestrem statuam ad famam tanti viri ante regiam palatij collocauit. Inter hæc ergo Theodericus Zenonis imperio fœdere sociatus, dum ipse in vrbe bonis omnibus frueretur, gentemque suam in Illyrico (vt diximus) residentem, non omnino idoneam aut refertam audiret, elegit potius solito more gentis suæ labore quærere victum, quàm ipse ociosè frui regni Romani bona, & gentem suam mediocriter victitare: secumque deliberans, ad principem ait; Quamuis nihil deest nobis, imperio vestro famulantibus: tantum si dignum ducit pietas vestra, desiderium mei cordis libenter exaudiat. Quumque ei vt solebat, familiariter facultas fuisset loquendi concessa; Hesperia (inquit) plaga, quæ dudum decessorum prædecessorumve vestrorum regimine gubernata est, & vrbs illa caput orbis & domina, quare nunc sub regis Turcilingorum & Rugorum tyrannide fluctuat?

fluctuat? Dirige cum gente mea, si præcipis, vt hîc expensarum pondere careas; & ibi, si adiustus à domino vicero, fama vestræ pietatis irradiet. Expedit namque, vt ego, qui sum seruus vester & filius, si vicero, vobis donantibus regnum illud possideam; haud ille, quem non nostis, tyranni ingo senatum vestrum partemque reipublicæ captiuitatis seruitio premat. Ego enim si vicero, vestro dono vestroque munere possidebo: si victus fuero, vestra pietas nihil amittit, imò (vt diximus) lucratur expensas. Quo audito, quamuis ægrè ferret imperator discessum eius, nolens tamen eum contristare, annuit quæ poscebat, magnísque ditatum muneribus dimisit à se, senatum populúmque ei commendans Romanum. Egitur egressus vrbe regia Theodericus, & ad suos reuertens, omnem gentem Gothorum, quæ tamen ei præbuerat consensum, assumens, Hesperiam tendit, rectóque itinere per Sirmas ascendit, vicinas Pannoniæ. Indéque Venetiarum fi-

nes ingreſſus, ad pontem Sontium nuncupatum caſtrametatus eſt. Quúmque ibi ad reficienda corpora hominum iumentorumque aliquanto tempore reſediſſet; Odouacer armatum contra eum direxit exercitum. Quem ille, ad campos Veronenſes occurrens, magna ſtrage deleuit, caſtríſque ſolutis, fine Italiæ cum potiore audacia intrat; tranſactóque Pado amne ad Rauennam regiam vrbem caſtra componit, tertio ferè miliario ab vrbe, loco qui appellatur Pineta. Quod cernens Odouacer, intus ſe in vrbe communiuit; indéque ſubreptiuè noctu frequenter cum ſuis egrediens, Gothorum exercitum inquietat; & hoc non ſemel, nec iterum; ſed frequenter, & pænè molitur toto triennio. Sed fruſtra laborat, quia cuncta Italia dominum iam dicebat Theodericum, & illius ad votum res illa publica obſecundabat. Tantùmille ſolus cum paucis ſatellitibus, & Romanis qui aderant, & fame & bello quotidie intra Rauennam laborabat. Quod dum nihil

proficeret,

proficeret, missa legatione, veniam supplicat. Cui & primum concedens Theodericus, postmodum hac luce priuauit. Tertióque, vt diximus, anno ingressus in Italiam, Zenonisque imperatoris consulto priuatim habito, suæque gentis vestitum reponens, insigne regij amictus, quasi iam Gothorum Romanorumque regnator adsumit.

CAP. LVIII.

De Theoderici regis vxore Audefleda & concubina, eiusque filiis & filiabus earumque cum variis regibus coniugio aliisque affinitatibus. Item de Mundone grassatore, & de tropheo de Francis parto.

MISSA legatione ad Lodoin Francorum regem, filiam eius Audefledam sibi in matrimonio petit. Quam ille gratè libenterque concessit, suos filios Ildebertum, & Cheldepertum, & Thuidepertum credens hac societate cum gente Gothorum, inito fœdere, sociari. Sed

non adeo pacis ad concordiam profuit ista coniunctio, quin ſæpenumero propter Gallorum terras grauiter inter ſe decertati ſunt, & nunquam Gothus Francis ceſſit, dum viueret Theodericus. Antequam ergo de Audefleda ſobolem haberet, naturales ex concubina, quas genuiſſet adhuc in Mœſia, filias habuit, vnam nomine Themdicodo, & aliam Oſtrogotho. Quas mox vt in Italiam venit, regibus vicinis in coniugio copulauit, id eſt vnam Alarico Veſegotharum, & aliam Sigiſmundo Burgundionum. De Alarico ergo natus eſt Amalaricus. Quem auus Theodericus in annis puerilibus vtroque parente orbatum dum fouet atque tuetur, comperit Eutharicum Vuiterichi filium, Beremundi & Toreſmundi nepotem, Amalorum de ſtirpe deſcendentem, in Hiſpania degere, iuuenilis ætate, prudentia & virtute, corporiſque integritate pollentem. Ad ſe eum facit venire, eiq. Amalaſuentham filiam ſuam in matrimonio iungit. Et vt ad plenum

progeniem

progeniem ſuam dilataret, Amalafredam germanam ſuam, matrem Theodati, qui poſtea rex fuit, Africæ regi Vuandalorumque coniugem dirigit Traſemundo; filiamque eius, neptem ſuam Amalabergam Thuringorum regi conſociat Hermenfredo. Petzamin quoque ſuum comitem inter primos electum ad obtinendam Sirmienſem dirigit ciuitatem. Quam ille expulſo rege eius Tranſarico, filio Traſtile, retenta eius matre obtinuit. Indeque contra Sabinianum Illyricum magiſtrum militiæ, qui tunc cum Mundone parauerat conflictum, ad ciuitatem cognomine Margoplano, quæ inter Danubium, Martianumque flumina adiacebat, cum duobus millibus peditum, equitibus quingentis, in Mundonis ſolatia veniens, Illyricianum exercitum demoliuit. Nam hic Mundo Attilanis quondam origine deſcendens, Gepidarum gentem fugiens, vltra Danubium in incultis locis, ſine vllis terræ cultoribus debacchatur. Et pleriſque abactoribus, Scamariſque

que & latronibus vndecunque collectis, turrim quæ Herta dicitur, supra Danubij ripam positam, occupans, ibique agresti ritu prædans vicinos, regem se suis grassatoribus nuncupat. Hunc ergo pæne desperatum, etiam de traditione sua deliberantem, Petza subueniens, è manibus Sabiniani eripuit, suoque regi Theoderico cum gratiarum actione fecit subiectum. Non minus trophæum de Francis per Hibbam suum comitem in Galliis acquisiuit, plus XXX *millibus Francorum in prælio cæsis. Nam & Thiodem suum armigerum post mortem Alarici generi, tutorem in Hispaniæ regno Amalarici nepotis constituit. Qui Amalaricus in ipsa adolescentia Francorum fraudibus irretitus, regnum cum vita amisit. Post quem Thiodis tutor eiusdem regnum ipsum inuadens, Francorum insidiosam calumniam de Hispaniis pepulit, & vsque dum viueret Vesegothas continuit. Post quem Thiodigisgloſſa regnum adeptus, non regnans defecit, occisus à suis.*

à ſuis. Cui ſuccedens Hactenuſagil, continuat regnum. Contra quem Athanagildus inſurgens Romani regni concitat vires. Vbi & Liberius patricius cum exercitu deſtinatur. Nec fuit in parte occidua gens, quæ Theoderico, dum viueret, aut amicitia aut ſubiectione non deſeruiret.

CAP. LIX.

Theodericus rex ſenex Athalaricum filiæ ſuæ Amalaſuenthæ filium patre orbum regem denunciat, Athalarico immatura morte ſublato mater Theodatum conſobrinum ſuum regem inſtituit. qui illam in inſulam quandam relegat, vbi ſtrangulatur.

SED poſtquam ad ſenium peruenisſet, & ſe in breui ab hac luce egreſſurum cognoſceret, conuocans Gothos comites, gentisque ſuæ primates, Athalaricum infantulum adhuc vix decennem filium filiæ ſuæ Amalaſuenthæ, qui Eutarico patre orbatus erat, regem conſtituit, eisque in

Digitized by Google

in mandatis dedit, ac ſi teſtamentali voce denuntians, vt regem colerent, Senatum populumque Romanum amarent, principemque orientalem placatum ſemper propitiúmq. haberent. Quod præceptum quamdiu Athalaricus rex eiúſque mater viuerent, in omnibus cuſtodientes; pænè per octo annos in pace regnarunt. quamuis Francis de regno puerili deſperantibus, imò in contemptu habentibus, belláque parare molientibus, quòd pater & auus Gallias occupaſſet, eis conceſſit. Cætera in pacis tranquillitate poſſeſſa. Dum ergo ad ſpem iuuentutis Athalaricus accederet, tam ſuam adoleſcentiam, quàm matris viduitatem orientis principi commendauit: ſed in breui infeliciſſimus immatura morte præuentus, rebus humanis exceſſit. Tum mater, ne pro ſexus ſui fragilitate à Gothis ſperneretur, ſecum deliberans, Theodatum conſobrinum ſuum germanitatis gratia accerſitum à Thuſcia, vbi priuata vita degens, in laboribus propriis erat, in regnum collocauit.

uit. Qui immemor consanguinitatis, post aliquantum tempus à palatio Rauennate abstractam, in insulam laci Bulsinensis eam exilio relegauit. Vbi paucissimos dies in tristitia degens, ab eius satellitibus in balneo est strangulata.

CAP. LX.

Belisarius à Iustiniano imp. aduersus Gothos cum exercitu mittitur. Siciliam occupat. Gothi Witigim regem sibi eligunt. Theodatum interficiunt. Witigis Rauennam cum Mathasuenta regiisque opibus dedit Romanis.

QVOD *dum Iustinianus imperator orientalis audisset, quasi susceptorum suorum mors ad suam iniuriam redundaret, sic est commotus. Eodemque tempore de Africa à Vuandalis quum per fidelissimum suum Belisarium patricium reportaret triumphum, nec mora, in ipso tempore madentibus adhuc armis cruore Vuandalico, contra Gothos per eundem*

Digitized by Google

dem ducem mouit procinctum. Qui dux prudentissimus haud secus arbitratur Getharum subigere populum, si prius nutricem eorum occupasset Siciliam; quod & factum est; Trinacriamque ingresso, mox Gothi qui Syracusanum oppidum insidebant videntes se nihil prævalere, cum suo duce Sinderich vltrò se Belisario dedidérunt. Quúmque ergo Romanus ductor Siciliam persuasisset, Theodatus comperiens Euermor generum suum cum exercitu ad fretum, quod inter Campaniam Siciliámq. interiacet, & de Tyrrheni maris sinu vastissimus Hadriaticus æstus euoluitur, custodiendum dirigit. Vbi cùm Euermor accessisset, ad Rhegium oppidum castra composuit. Nec mora, deterioratam causam cernens suorum, ad partes victoris cum paucis & fidelissimis famulis consciis mouit, vltróque se Belisarij pedibus aduoluens, Romani regni optat seruire principibus. Quod Gothorum exercitus sentiens, suspectum Theodatum clamitat regno pellendum,

lendum, & sibi ductorem suum Uuitigim, qui armiger eius fuerat, in regem leuandum. quod & factum est. Et mox in campis barbaricis Uuitigis in regnum leuatus Romam ingreditur, præmissisque Rauennam fidelissimis sibi viris, Theodati necem demandat. Qui venientes, imperata sibi perficiunt, & occisum Theodatum regem, qui à rege missus adueniebat, vt adhuc in campis barbaricis erat, Uuitigim populis nunciat. Inter hæc Romanus exercitus emenso freto, Campaniam accedens, subuersaque Neapoli, Romam ingreditur; vnde ante paucos dies rex Uuitigis egressus, Rauennam profectus, Mathasuentam filiam Amalasuenthæ, Theoderici quondam regis neptem, sibi in matrimonium sociarat. Cumque his nouis nuptiis delectatus, aulam regiam fouet Rauennæ, Romæ egressus imperialis exercitus, munita vtriusque Thusciæ loca inuadit. Quod cernens per nuncios Uuitigis, Cumunilam ducem Gothorum ma-

nis armis conferta mittit Perusiam. Vbi dum magnum comitem cum paruo exercitu residentem, obsessione longa euellere cupiunt; superueniente Romano exercitu, ipsi euulsi & omnino extincti sunt. Quod audiens Vuitigis, vt leo furibundus, omnem Gothorum exercitum congregat, Rauennamque egressus, Romanas arces obsidione longa fatigat. Sed frustrata eius audacia, post XIIII menses ab obsidione Romanæ vrbis aufugit, & se ad Ariminensem oppressionem præparat. Vnde pari tenore frustratus fugatúsque Rauennam se recepit, & obsessus, nec mora, vltrò se ad partes dedit victoris, cum Mathasuentha iugali, regiisque opibus. Et sic famosum regnum, fortissimámque gentem, diúque regnantem, tandem deinde millesimo & trecentesimo anno Victor gentium diuersarum Iustinianus imperator per fidelissimum consulem vicit Belisarium, & perductum Vuitigim Constantinopolim patricij honore donauit. Vbi

plus

Digitized by Google

plus biennio demoratus, imperatoríque in affectu conuictus, rebus excessit humanis. Mathasuentam verò iugalem eius fratri suo Germano patricio coniunxit imperator. De quibus postumus patris Germani natus est filius, item Germanus. In quo coniuncta Anitiorum gens cum Amala stirpe, spem adhuc vtriusque generis domino præstante promittit. Huc vsque Getarum origo, ac Amalorum nobilitas, & virorum fortium facta, ac laudanda progenies laudabiliori principi cessit, & fortiori duci manus dedit: cuius fama nullis seculis, nullis silebitur ætatibus. Sic victor ac triumphator Iustinianus imperator, & consul Belisarius, Vuandalici, Africani, Geticique dicuntur. Hæc qui legis, scito me veterum secutum scripta, ex eorum spacios pratis paucos flores collegisse, vnde inquirenti pro captu ingenij mei coronam contexerem. Nec me quis in fauorem gentis prædictæ, quasi ex ipsa trahentem originem, aliqua addidisse credat,

quàm quæ legi aut comperi. Nec ſi tamen cuncta quæ de ipſis ſcribuntur aut referuntur complexus ſum : nec tantum ad eorum laudem, quantum eius laudem, qui vicit, exponens.

SIDO-

SIDONIVS AGRICOLÆ SVO S.

De Theoderico rege Gothico.

SÆPENVMERO poſtulauiſti, vt quia Theoderici regis Gothorum commendat populis fama ciuilitatem, literis tibi formæ ſuæ quantitas, vitæ qualitas ſignificaretur. Pareo libens, in quantum epiſtolaris pagina ſinit, laudaturus vitæ tam dulcatæ ſollicitius ingenuitatem. Ipſe etenim eſt & illis dignus agnoſci, queis cùm minus familiariter conuiuatur. ita perſonam ſuam deus arbiter, & ratio naturæ, conſummatæ felicitatis dote ſociata cumulauerunt. Mores autem huiuſcemodi, vt laudibus eorum nihil ne regni quidem defraudet inuidia. Si forma quæratur, corpore exacto, longiſſimis breuior, procerior eminentiorque mediocribus. Capitis apex rotundus, in patulum à planicie frontis in verticem cæſaries refuga criſpatur. Ceruix non ſedet neruis, geminos orbes hiſpidus ſuperciliorum coronat arcus. Si verò cilia flectantur, ad malas medias palpebrarum margo propè peruenit. Aurium legulæ, ſicut mos gentis eſt,

crinium ſuperiacentium flagellis opperiuntur. Naſus venuſtiſſimè incuruus. Labia ſubtilia, nec dilatatis oris angulis ampliata. Pilis intra narium antra fruticantibus cotidiana ſucciſio. Barba concauis hirta temporibus, quam in ſubdita vultus parte ſurgentem ſtirpitus tonſor aſſiduus genas aduſque forficibus euellit. Menti, gutturis, colli non obeſi, ſed ſucculenti. lactea cutis, quæ propius inſpecta iuuenili rubore ſuffunditur. Nanque hunc illi crebrò colorem non ira, ſed verecundia facit. Teretes humeri, validi lacerti, dura brachia, patulæ manus, recedente aluo pectus accedens, aream dorſi humilior inter excrementa coſtarum ſpina diſcriminat: tuberoſum eſt vtrunque muſculis prominentibus latus, in ſuccinctis regnat vigor ilibus, corneum femur, internodia poplitum bene maſcula, maximus in minimè rugoſis genibus honor, crura ſuris fulta turgentibus, & qui magna ſuſtentat membra, pes modicus. Si actionem diurnam, quæ eſt forinſecus expoſita, perquiras: antelucanos ſacerdotum ſuorum cœtus minimo comitatu expetit, grandi ſedulitate veneratur: quumque ſit ſermo ſecretus,

ſecretus, poſſis animaduertere, quòd ſeruet iſtam pro conſuetudine potius quàm pro ratione reuerentiam. Reliquum mane curæ adminiſtrandi regni ſibi deputat. Circumſiſtit ſellam comes armiger; pellitorum turba ſatellitum ne abſit, admittitur; ne obſtrepat, eliminatur: ſicque pro foribus immurmurat excluſa velis, incluſa cancellis. Inter hæc intromiſſis gentium legationibus, audit plurima, pauca reſpondet. Si quid tractabitur, differt: ſi quid expedietur, accelerat. Hora ſecunda ſurgit è ſolio, aut theſauris inſpiciendis vacaturus, aut ſtabulis. Si venatione nunciata procedit, arcum lateri innectere citra grauitatem regiam iudicat; quem tamen, ſi cominus auem feraméque aut venanti monſtres aut vianti, manui poſt tergum reflexæ puer inſerit, neruo loróve fluitantibus: quem ſicut puerile computat geſtare thecatum, ita muliebre accipere iam tenſum. Igitur acceptum modò inſinuatis è regione capitibus intendit, modò ad talum pendulum nodi parte conuerſa, languentem chordæ laqueum vagantis digito ſuperlabante proſequitur, & mox ſpicula capit, implet, expellit, quídve cupias

Digitized by Google

percuti prior admonet. eligis quid feriat. quod elegeris, ferit. Quòd ſi ab alterutro errandum eſt, rarius fallitur figentis ictus quàm deſtinantis obturus. Si in conuiuium venitur, quod quidem diebus profeſtis ſimile priuato eſt, non ibi impolitam congeriem liuentis argenti menſis ſedentibus ſuſpirioſus miniſter imponit. Maximum tunc pondus in verbis eſt: quippe quum illic aut nulla narrantur aut ſeria. Toreumatum peripetaſmatumque modo conchiliata profertur ſupellex, modo byſſina. Cibi arte non precio placent: fercula nidore, non pondere. Scyphorum & paterarum raras oblationes facilius eſt vt accuſet ſitis quàm recuſet ebrietas. Quid multis? Videas ibi elegantiam Græcam, abundantiam Gallicanam, celeritatem Italicam, publicam pompam, priuatam diligentiam, regiam diſciplinam. De luxu autem illo ſabbatario narrationi meæ ſuperſedendum eſt, qui nec latentes poteſt latere perſonas. Ad cœpta redeatur. Dapibus expleto ſomnus meridianus ſæpe nullus, ſemper exiguus. Quibus horis viro tabula cordi eſt, teſſeras colligit rapidè, inſpicit ſollicitè, voluit argutè, mittit

tit inſtanter, ioculanter compellat, patienter expectat. In bonis iactibus tacet, in malis ridet, in neutris iraſcitur, in vtriſque philoſophatur. Secundas faſtidit vel timere vel facere. Quarum opportunitates ſpernit oblatas, tranſit oppoſitas; ſine motu euaditur, ſine colludio euadit. Putes illum & in calculis arma tractare. Sola eſt vna cura vincendi. Quum ludendum eſt, regiam ſequeſtrat tantiſper ſeueritatem. Hortatur ad ludum, libertatem, communionemque. Dicam quod ſentio; timet timeri Denique oblectatur commotione ſuperati; & tunc demum ſibi ceſſiſſe collegam credit, quum fidem fecerit victoriæ ſuæ bilis aliena. Quodque mirere, ſæpe illa lætitia minimis occaſionibus veniens ingentium negociorum merita fortunat. Tunc petitionibus diu antè per patronorum naufragia iactatis abſolutionis ſubitæ portus aperitur. Tunc ego etiam aliquid obſecraturus feliciter vincor, quando mihi ad hoc tabula perit, vt cauſa ſeruetur. Circa nonam recrudeſcit moles illa regnandi, redeunt pulſantes, redeunt ſummouentes, vbique litigioſius fremit ambitus, qui tractus in veſperam cœna regia

interpellante rarefcit, & per aulicos deinceps per patronum varietate diſpergitur, vſque ad tempus concubiæ noctis excubaturus. Sanè intromittuntur (quanquam rarò) inter cenandum mimici ſales, ita vt nullus conuiua mordacis linguæ felle feriatur. Sic tamen, quòd illic nec organa hydraulica ſonant, nec ſub phonaſco vocalium concentus meditatum acroama ſimul intonat. Nullus ibi lyriſtes, choraules, meſochorus, tympaniſtria, pſaltria canit. Rege ſolùm illis fidibus delinito, quibus non minus mulcet virtus animum quàm cantus auditum. Quum ſurrexit, inchoat nocturnas aulica caſa cuſtodias. Armati regiæ domus aditibus aſſiſtunt, quibus horæ primi ſoporis vigilantur. Sed iam quid meas iſtud ad partes? qui tibi indicanda non multa de regno, ſed pauca de rege promiſi. Simul & ſtilo finem fieri decet, quia & tu cognoſcere viri non amplius quàm ſtudia perſonamque voluiſti: & ego non hiſtoriam ſed epiſtolam conficere curaui. Vale.

CON-

CONRADI PEVTINGERI

Augustani

DE INCLINATIONE ROMANI IMPERII,

& exterarum gentium, præcipuè Germanorum commigrationibus,

EPITOME.

ATHALARICVS *ex celeberrima Baltborum familia ortus, à Vuisigothis stipendio eorum, quod Athanarico rege defuncto iam annis* XXV, *sub ducibus Cæs. meruissent, Stiliconis perfidia exauctoratis, rex constitutus, Thracia vastata Radagasi Gothi, postea in Apennino interempti, exercitui in Pannonia coniunctus, ipsam mox Pannoniam, Illyricum, Noricum, & tandem Italiam ferro & igne populatus, fœdere icto, à Cæs. Honorio Aug. Galliæ partem obtinuit. abiens Saulum Hebræum copiarum ducem contra se per Stiliconem missum profligauit. Inde factus ferocior, vrbem Romam gentium victricem (eius tamen templa iam Christianæ religioni dicata obseruans inuiolata) anno postquam condita est centesimo sexagesimo quarto*

supra

Digitized by Google

ſupra milleſimum, Chriſtiane verò ſalutis CCCCXII. *Kal. Aprilis, diripuit atque incendit, & poſt tertium ſiue ſextum diem onuſtus præda eam dimittens, Gallam Placidiam Cæſ. Theodoſij & Flacillæ Auguſtæ filiam ſecum captiuam ducens in Forocornelij Ataulpho propinquo ſuo copulauit. Campaniam, Lucaniam, & Brutiam deuaſtando, Conſentiæ demum in fata conceſſit. cuius corpus, ne refoſſum dilaniaretur; accolæ in alueo fluminis Buſenti ſepulchro condiderunt. Habuerunt poſtea Gothi ſedes apud Vaſcones in prouinciis Toloſanis & Auxitanis. Interim etiam Vuedegiſilus rex cum Vandalis ſuis & Germanis Burgundionibus, cum quibus commilitium fecere Alani, Scythæ origine, cohabitatione tamen Vuandalis proximi: Sueui item à Cæſ. Auguſto in citeriorem Rheni ripam tranſlati, denuò Gallias atque Hiſpanias ingreſſi ſunt. Burgundiones apud Belgas, Aeduos, Lingones, Veſontios, Matiſconenſes, & Cabilonenſes ſedes à Burgis vicatim conſtitutis fixerunt. Francones Germanos Rhenum etiam tranſmiſſos, in Galliáſque irruentes, propter veteres ſimultates, in patriam eorum Germanicam, Franconiam repulerunt, Vandalis, Alanis atque Sueuis Hiſpanias occupantibus: ex diuiſione Vuandali Bethicam*

Bethicam à nomine eorum Vandelosiam dictam, mox etiam Africam Genserico eorum rege, Alani Emeritam, Augustam Lusitaniæ cum omni Gallicia, & Sueui Olixipponem obtinuerunt. soli Austures atque Cantabri tunc in Romanorum fide permanserant. Ad Sueuos deinde Gallicia defecit. Regnauerunt eo loci annis circiter CLXXVII. *donec eandem Lusitanorum partem Andeta Suenorum rege pulso, Leuogildus Gothorum rex cum Liba fratre eius occupauit. Francones sub Cæs. Valentiniano Aug.* III, *cum ducibus eorum Clodione & Merouco demùm Rheno transmissa, capta primùm Carbonaria silua, & oppidis Cameraco atque Tornaco, regnum in Senonum prouincia apud Aurelianos & Parrhisios constituerunt, & eam partem, quæ inter Rhenum & Mosam, Austriam: & Mosam inter, & Ligerim est sita, Neustriam (vel vt potius credo) Vuestriam à nominibus Germanis vocabant. Inde Francorum vniuersum regnum Orientale Austria Osterrich, Occidentale Vuestria Vuesterrich dictum: quod etiam quisque eruditus monumentis publicis facilè comprobare poterit. Nec Hunnis, Scythis spes commigrandi tunc defuit. hi enim Pannonias, quas pacto à Longobardis habuerant, Attila duce egressi, cum Vuesigothis, Marcoman-*

Digitized by Google

Marcomannis, Quadis, Sueuis, Herulis, Turcilingis & Rugis, per mediam ferè Germaniam, & etiam Rhenum transgressi, cæso Gunditario Burgundionum rege, in campis demum Catalaunicis cum Romanis, Francis, Alanis, Gothis, Saxonibus, Lutetianis, Armoritianis, Riparolis, Olibrionibus, Sarmatis, Britonibus, & Lambrionibus conflicta acto, strage maxima commissa, in Pannoniam retrocesserunt. Mox deinde Italiam ingressi, Aquileia vi capta, Venetia prouincia deuastata, Rauennates in deditionem coëgerunt. Sed Leonis Pont. Max. precibus denuò, vnde exierant, redierunt. Sic regnorum interitus, & funditùs excisa imperia, nihilq; in terris perpetuum. sed de Langobardorum commigratione ad Paulum Diaconum lectorem remittamus.

NOMINA AVTHORVM

qui à Iornande citantur.

Cl. Ptolemæus.	7, 8	Orosius.	20, 29, 66
Cor. Tacitus.	6	Priscus historicus.	67, 98, 123, 144
Cyprianus lib. de Mortalitate.	57	Strabo.	5
Dexippus historicus.	62	T. Liuius.	4
Dio.	6, 83	Trogus Pompeius.	23
Dionis Getica.	19, 29, 24	Symmachi insigne locus de ortu Maximini, & quibus modis ad Imperium peruenerit.	45, 46, 47.
Dionysius historicus.	57		
Fabius historicus.	83		
Iosephi Annales.	33		
Lucanus.	20	Virgilius.	3, 19, 25

Digitized by Google

INDEX
RERVM ET VERBORVM
MEMORABILIVM
Quæ
IORNANDIS DE REB. GETICIS
LIBRO *continentur.*

A.

ABLABIVS descriptor Gothorum gentis egregius. 13, 44, 65.
Achiulfus Sueuis præficitur 129, eius defectio, & supplicium. 129, 130
Adogit, gens Scanziæ. 8
Æmylianus Imp. Mæsiam vastat. 57
Æstrogothorum sedes. 66
Aetius patricius, Romanorũ dux, Sueuorum & Francorum superbiam domuit. 97, eius prudentia aduersus Attilam. 105
Aganziæ gens Scanziæ. 10
Agazzirorum sedes. 17
Alaba, Alana, Maximini Imperatoris mater. 45
Alani & Wandali è Galliis Hispanias petunt 88, 89, Scythiam minorem sedes à Marciano accipiunt. 130
Alanus graui armatura aciem instruit. 148
Alaricus Erulorum rex. 65
Alaricus III. Vesegothorum rex, ex Balthorũ genere. 81
Alaricus in Africam cum spoliis Italiæ cogitans moritur. 86 eius mors expugnationem Romæ subsequuta, Attilam ab eius obsidione deterret 123 mira eius in fluuij cuiusdam alueo sepultura. 87
Alaricus Vesegotharum rex Theudicodo Theodorici regis filiam vxorem ducit. 170
Alatheus Visegothorũ dux. 74
Alcidzuri, gens Scythiæ. 69
Alemanni Sueuis iuncti aduersus Ostrogothas. 160
Alipzuri gens Scythiæ. 69
Alys fl. Garganum præterfluit. 25
Amalaberga Hermefredi vxor. 171
Amalafreda, Theoderici regis soror, Trasemundo nubit. 171
Amalaricus Theoderici nepos moritur. 171
Amalasuenta Eutharici vxor 141, 170 secundis nuptiis Germano fratrueli Iustiniani nubit 141 Theodatum consobrinum regem instituit 174 in insulam à Theodato relegantur. 175
Amalorum familia. 20
Amazones à Gothis ortæ 20 à Melane plus dolo quàm virtute

virtute ſubactæ 29 ad Alex. Magnum vſq, regnarunt. 29
Aſiani per centum annos tenuerunt. 25, 26
Amazones Gothorum fœminæ abſentibus maritis, variorum hoſtium incurſibus fortiter reſiſtunt 24 Pylas Caſpias occupant 25 Scytharum vxores 20, 21 templum Dianæ Epheſi condiderunt 25 Venationis & ſagittandi ſtudioſæ. 25
Amazonum ad cautes Marpeſias reditus. 26
Ampheus fons in Danubium fluens eum amarũ reddit. 21
Anchialos ad radices Hæmi 60 à Gothis occupata. 60
Andages Oſtrogotha. 115
Angiſciri Hunnica natio. 155
Anitiorum cum Amala ſtirpe coniunctio. 179
Anſes, Gothorum proceres dicti, quaſi Semidei. 41
Antarum rex Box cruci affixus. 138, 139
Anuces Winidarum natio. 16
Antium ſedes. 16
Antiregirus Gothorũ rex. 32
Aoricus Gothorum rex. 62
Aqua nigra fl. Pannoniæ. 152
Aquileia metropolis, Venetiarũ ab Attila obſeſſa 121 eius ſitus 121 vaſtata. 122
Araricus Gothorum rex. 62
Araxes fl. 27
Ardabur Gothus. 133
Ardaricus Gepidarum rex 110 Ellac Attilæ filiũ in prælio interficit. 148
Arix Goth. rex. 12
Acochitanni gens Scanziæ. 10
Aſçonis foſſa. 82
Aſpar Gothus. 133
Athaulphus Veſogothorum rex 89 Placidiam Theodoſii Imp. germanam vxorem ducit. 90
Athaulphus 12. Veſogoth. rex ex Italia in Gallias tranſit 89 inde in Hiſpaniam 89, ibi interficitur. 89
Athalaricus infantulus rex inſtituitur 173, eius mors. 174
Athalaricus Oſtrogotha, Vederici filius. 141
Athanagildus. 173
Athanaricus Veſegothorũ rex à Theodoſio Conſtantinopolim euocatus; magniſque honoribus viuus & mortuus ab eo afficitur. 79
Athelnil gens Scanziæ. 10
Athual gens. 64
Attila deſperabundus pyram ſibi è ſellis equinis ſtruit 117, Aquileiam obſidet. 121
Attila fratris ſui nece vniuerſos Hunnos ſubiugat. 100
Attila pace certis conditionibus promiſſa, Italia excedit. 124
Attila ſe plauſtris vallat aduerſus Romanos & Veſegothas. 115
Attilæ arcus fractus ipſo moriente à Marciano in ſomnio viſus. 143, 144
Attilæ exercitus 5000 00. militum. 100
Attilæ filij, integer penè populus. 146
Attilæ mors. 142, 143
Attilæ mortem contentio inter ſucceſſores ſequuta. 146
Attilæ pater Mundzuccus 99, germani Octar & Roas. 99
Aucha fluuius. 34
Audefleda Lodoici Francorum regis filia, Theoderici regis vxor. 163
Auge ſoror Priami, Telephi mater. 30
Auiti Hunnica gens. 17
Aulziagri Hunnica gens. 17
Babai Sarmatarum rex. 158
Balamir rex Hunnorũ 71. Winthatium Oſtrogothaſũ regem prælio vincit. 139

Baleares insulæ. 3
Baltha Gotthis audacem significat. 81
Baltharum genus post Amalos nobilissimum inter Gothos. 20, 81
Bardores Hunnica natio. 155
Bassiana Pannoniæ ciuitas. 155
Beata insula. 3
Belisarius à Iustiniano Imp. contra Gothos mittitur cum exercitu 175 Siciliam occupat. 176
Bellagines, vocantur leges Gothorum. 37
Bereum in Illyrico. 164
Bergio, gens Scanziæ. 10
Berich Gotthorum è Scanzia rex. 11
Berismund Ostrogotha. 140
Bessa patricius. 150
Beuga Sarmatarum rex. 158
Beurgus Alanorum rex. 132
Bittugores Hunnica natio. 155
Bliuidas seu Bliuilas dux Pentapolitanus. 150
Boisci gens Scythiæ. 69
Bollia fl. Pannoniæ. 159
Bonifacius Gisericum Wandalorum regem in Africam inuitat. 92
Bontæ, natio prope Daciã. 39
Boristhenes amnis. 20, 21
Box Antarum rex cũm LXX. primatibus à Winithario cruci affixi. 138, 139
Britãnia nebulis obnoxia. 5, 6
Britanniæ insulæ situs. 4, 5
Britones Romanis auxilio veniunt aduersus Vesegothas. 132, 133
Bruttiorum regionis situs. 86
Bubegentæ gens. 64, 65
Bulgarorum sedes. 17
CAESAR Gothos subigere nequiuit. 36
Calidonia. 6
Cambyses fl. 27
Camũdus Romanorũ dux. 161
Candax Alanorum dux. 150
Capillati Gotthi vocabantur, qui sacerdotes nõ essent. 38
Caris gens. 64
Carpi, gens bellicosissima. 49
Castrũ Herculis in Illyrico. 163
Castrũ Martena in Illyrico. 150
Catalaunici campi siue Mauricij prælio Romanorum cum Attila nobiles 106 in eo 162000 cæsa. 119
Caucasi montis variæ apud varias nationes appellationes. 27
Cemandris sedes à Marciano datæ. 150
Ceropellæ in Illyrico. 164
Cerras ciuitas Illyrici 164 in ea moritur Theodemirus. 165
Chalcedonia à Gotthis subuersa. 59
Chrinnorum montes. 21
Ciconiarum ab Aquileia obsessa auolantium augurium ab Attila sumptum. 122
Clarianus patricius. 164
Cniua rex Gothorum variis bellis Romanos attrit 56, Decium cædit. 56
Cogeni gens Scanziæ. 10
Coldæ gens. 65
Comoticus philosophus, Dicenei apud Gotthos successor. 38
Condiniani pons prope Rauennam. 82
Constantius ab Honorio Imp. aduersus Valiam Vesog. regem mittitur. 90
Consulatus Rom. summa dignitas. 165, 166
Cresennæ al. Screresenna gens Scanziæ. 9
Cumunila Gothorũ dux. 177
Cyrus Persarum rex Thamiri Goth. reginæ bellum infert, 31, 32, & vincitur. 31, 32.
Cyssus fl. 27
DACIA, aliàs Gepidia dicta. 39
Dacia in Scythia. 16

Daciæ antiquæ situs. 39
Danaster, fl. Daciæ. 16
Dani è Scanzia oriundi. 10
Danubius, siue Hister. 16
Danubius ad medium sui dulcis & potabilis ai gelu silicis in modum rigescit. 160, fons paruus in eum fluens eum amarum reddit 21 eius descriptio 39, 40 ortus eius 21, ostia 21
Danubius fluuiorũ maximus præter Nilum. 40
Darius Persarum rex Gothis bellum infert, & fuga Thraciam petit. 32, 33
Decij ara, vnde dicta. 56
Decius à Critua Gothorum rege cæsus. 56
Derrona. 132
Dianæ Ephesiuæ templum à Gothis succensum 59 ab Amazonibus priùs exstructum. 25
Diceneus Boroista, philosophus Goth. 18. eius in Gothiam aduentus 35. summa eius apud Gothos authoritas 36. Philosophiam omnem & Astronomiam eos docuit 36, 37, 38. Leges eis præscripsit 37. non solum mediocribus, sed & regibus imperabat. 38
Dinzio Attilæ filius ab Ostrogothis cæsus. 153
Dissidia perniciosa. 148
Dominis etiam iniusta iubentibus parendum. 142
Domitiani Imp. expeditio in Gothos. 48
Dorostena ciuitas Mœsiæ. 97
Drieeas fluuius. 98

EBRIMIRVS Theodati gener Belisario se dedit. 176
Edica Scirorum dux. 158
Ellac Attilæ filius à Gepidis cæditur. 148
Emnedzar Attilæ consanguineus in Dacia consedit. 151
Eneti, id est laudabiles. forte Venedi. 81. Rauennæ iam olim possessores. 82
Erac flumen. 139
Eridanus rex fluuiorum. 82
Ermanaricus rex anno ætatis suæ ex. mortuus. 78
Erelieua Theodemiri Ostrogothæ concubina. 158
Eruli à Danis suis sedibus expulsi 10. leui armatura aciem instruunt. 148
Erulorum sedes. 65
Esseda, id est currus falcati. 7
Ethelrugi, gens Scanziæ. 10
Etheron, al. Theron, vrbs in Taprobana. 2
Ethespamara apud Gothos celebris. 20
Euageræ, gens Scanziæ. 10
Euricus Vesogotharũ rex. 131
Europa in Illyrico. 164
Eurypylus Telephi filius. 31
Eutharicus Ostrogotha Witerichi filius Amalesuentam filiam Theoderici regis Ostrog. vxorem ducit. 140

FASTIDA rex Gepidarum Gothis bellum infert. 52
Fercula Attilæ mortui primùm auro, secundo argento, tertio ferro cõmunita. 145
Feruir, gens Scanziæ. 10
Filimer Goth. rex. 22
Filimer rex Scythiæ. 18
Filogud Goth. rex. 22
Finnaïthæ, gens Scanziæ. 10
Finni gens Scanziæ mitissima. 10
Fœderati Rom. Gothi. 62
Fortunata insula. 3
Fosatisii, ab Hunnis. 152
Franci & Gepidæ mutuis vulneribus concidũt ad 90000. 119
Fridigernus apud Gothos celebris. 20
Fridigernus Visegothorum dux. 74
Froilas Bliuidæ frater. 150

Fuſcus Romanorum dux à Gothis cæſus. 41
GALLICIAE promõtorium, Inſula à quibuſdam appellatum. 3
Galliciæ ſitus. 127
Galthis oppidum. 53
Garganum ciuitas. 25
Gautigoth, gens Scanziæ. 10
Gentes nonnunquam aliarum gentiũ nomina amplectuntur. 30
Gepanta quid Gothicè ſignificet. 52
Gepidæ Daciam antiquam inſident. 39
Gepidæ Hunnos cædunt 148, eorumq. ſedes occupãt. 149
Gepidę præ aliis nationibus in vulnere ſuorum cuncta tela frangunt. 148
Gepidæ Scythiam inſident. 15
Gepidarũ & Francorũ 90000 mutuis vulneribus cõcidunt. 119
Gepidarum origo. 52
Gepidia, idem quod Dacia. 39
Gepidos inſula. 52
Germanus fratruelis Iuſtiniani Imp. Mathaſuentam ſiue Amaleſuentã Gothicam, Witichis viduam, vxorem ducit. 43, 141
Germanus Germani & Mathaſuentæ filius. 141, 179
Gilfil fl. 63
Giſericus Wandalorum rex à Bonifacio in Africam vocatur 92. eius forma, natura, & mores. 93
Glycerius Imp. Gothos ex Italia in Gallias trãsfert. 193
Gnudiacus Burgundionum rex. 128
Gothi à Romanorum fœdere reſiliunt 48. Mœſiam & Thraciam vaſtant 49. ad Spalorum gentem veniunt 12. affinitatem Darij oblatam aſpernantur 32. barbaris omnibus ſapientiores 19. Græcis conſimiles 19. Danubij ripam vaſtant 40. enſe excellunt aliis 147. in Scythiam veniunt 12. maiorũ facta ad citharam canunt 20. Martem victimis captorum placant 19. Romanorum fœderati XL M. Conſtantino militarunt 61. Scythæ dicti 13. Sitalco duce Athenienſibus bellum inferunt 34. vnde primum egreſſi. 11
Gothici regni finis. 178
Gothici ſacerdotes pij dicti, 34. mira eorum in deos ſuos patrios fiducia. 34
Gothiſcanzia. 11
Gothorum cum Gepidis bellum. 51
Gothorum ſapientes Carabi Terei dicti 19. poſtea Pileati. 19
Gothorum vniuerſa gens tandem ab Hunnis ſubacta. 139
Græci permiſſu Scytharũ vrbes in Scythia condunt. 15
Grannij gens Scanziæ. 10
Gratianus Imp. fœdus init cum Viſegothis, quod & Theodoſius ſancit. 78
Griſſia fl. 63
HACTENVSAGIL Viſegothorum rex. 178
Hallin gens Scanziæ. 10
Heraclia à Gothis capta. 184
Hercules cum Amazonibus pugnat. 29
Herculis templum. 3
Hermenfredus Thuringorum rex Amalabergam vxorem ducit. 171
Hernac Attilę filius in Scythia minore conſedit. 151
Herta turris. 172
Hibba comes. 171
Hilpericus Burgundionũ rex. 128
Hiſtius & Ardaburius Coſſ. 98

Hippodes insula Oceani Indici. 2
Hister siue Danubius. 16
Honoria Placidię filia Attilam inuitat. 124
Hunnanum genus regibus viuit. 106
Hunnimundus 11. Ostrogotharum ab Hunnis victorum regulus 140. aduersus Sueuos victor. 140
Hunnimundus Sueuorũ dux ad prædãdas Dalmatias trãsit 156. capitur ab Ostrogothis 156. eius in Walemirum ingratitudo. 157
Hunni à Gepidis cæsi 148. cerua duce Mæotidẽ paludem pedibus transierunt 66. in Scythiam penetrant 67. è Veneficarum cum spiritibus immundis congressu orti 67. fortissimarum gentium fœcundissimus cespes 19. Ostrogothis ob mortem Ermanarici præualent 71. Pannonia à Romanis & Gothis expulsi 91. polygamia gaudent 142, 143. præ aliis nationibus sagacia præsumunt 148. Scythas casos litant Victoriæ 68, 69. terribilitate vultus hostes fugant. 69
Hunniuar ad Danubium fl. ita dictus, vt puto, quasi Traiectus Hunnorum. 153
Hunnorum duo genera. 17
Hunnorum in proprios fœtus feritas. 69
Hunnorum luctus ob mortem Attilæ. 143, 144
Hunnorum sedes. 62, 67
Hunugarorum sedes. 71
IAMNESIA insula Oceani Indici. 2
Iaxus fl. Nicopoli in Mœsia. 55
Ildico Attilæ virgina, inter innumeras vxor 142. In eius nuptiis Attila moritur. 143
Imperatorum Occidentis vetiæ breui tempore mutationes. 131
Imperiũ Occidentale sub Augusto cœptũ, sub Augustulo desiit. 135
Interfectorum in prælio Rom. cum Attila numerus. 119
Inuestitura Theoderici in regem Romanorum. 169
Iornandis Episcopi genealogia. 150
Iornãdis pater, Candacis Alanorum ducis notarius 150. ipse etiam ante conuersionem notarius. 150
Iosephus Gothos, natione & vocabulo Scythas appellatos ait. 18
Ira fluuius. 132
Iscalmus Hunnus in Romania consedit. 151
Itemesti gens Daciæ. 17
Iustinianus Imp. Wandalicus, Africanus, Geticus dictus. 179
Iuuenum animi ambitu potentiæ concitantur. 146
LAMPETO Amazonum regina. 24
Lariſſa à Gothis capta. 164
Lazorum gẽs apud Pylas Caspias in præsidio pro Romanis. 25
Leges Gothicæ, Bellagines dictæ. 37
Leo Imp. 135
Leo Papa Attilam accedit, & pacem impetrat. 123
Liothida, gens Scanziæ. 10
Litorius Romanorum dux, 98
Lodois Francorum regis filia Audefleda, Theoderici regis vxor. 169
Luctus ingens Ostrogotharum ob mortẽ Thorismundi. 140
Lugendi mos apud Hũnos. 143
Lupi ex frigore cæci. 8
Lugicini Romanorum duces in Visegothas subditos iniustitia. 74

Lusitaniæ promontorium pro insula à quibusdã habitũ. 3
Lusitaniæ finis. 128
MACEDONES fœdus cum Gothis ineunt. 34
Maioranus Imp. 131
Marcianopolis vrbis à Traiano cõditæ in Mœsia origo. 50
Marcianus Attilæ arcum fractum in somno vidit. 143
Marcianus Imp. variis gentibus Gothicis diuersas sedes concedit. 149
Margoplano ciuitas Illyrica. 171.
Marisia fl. 65
Marpesia Amazonũ regina. 24
Marpesiæ cautes apud Caucasum vnde dictæ. 25
Mars apud Gothos ortus. 19
Martianus fl. 172
Mathasuenta Witigi regi nubit. 177
Mathasuenta vidua Germani Iustiniani fratri nubit. 179
Mauritij cãpi siue Catalaunici, prælio Romanorum & Gothorum cum Attila nobiles. 106
Maximi Rom. ducis in Visegothos subditos iniustitia. 76.
Maximinus Imp. Gotho patre, Alana matre natus. 45
Maximus Imp. interfectus. 131
Mecca Gothus, Maximini Imp. pater. 45
Mediana in Illyrico. 164
Mediolanum ab Attila captum. 123
Medopa Gothilæ filia, Philippi Macedonis vxor. 38
Memma insula in extrema Britannia. 6
Merens gens. 64
Mesopotamia vnde dicta. 26
Meuania insula. 3
Miliare fl. 63
Mœsiæ pars Scythia minor dicta. 32
Mœsiæ situs. 30
Mordensimnis gens. 64
Mundo rex grassatorum. 174
Mundzuccus Attilæ regis pater. 99
Musianus lacus. 16
NARSSVS Illyrici vrbs. 163
Narses Persarum rex à Maximiano auxilio Gothorum fugatus. 61
Natissa fl. 121
Nauego. 64
Netad flumẽ in Pannonia. 147
Nicopolis à Traiano deuictis Sarmatis condita. 55
Nicopolis ad Iatrum fl. sita. 55
OCTAR Attilæ frater. 99
Odoacer magna clade à Theoderico Ostrog. affcitur 168. interficitur. 169
Orbis terræ triquetrus. 1
Orcades insulæ. 3
Ostrogothæ ab Hunnis subacti, semper tamen vnũ proprium regulũ retinent 139.
ad mare Ponticum. 20
Ostrogothæ & Vesegothæ vnde dicti. 44
Ostrogothæ gens Scanziæ. 10
Ostrogothæ ob luctũ ex morte Thorismundi, per XL annos nullum sibi regem eligunt. 140
Ostrogothæ optimi sagittarij. 204
Ostrogothæ se cum Vesegothis in Gallia iungunt. 163
Ostrogothæ sedes à Romanis accipiunt. 164
Ostrogotharum in exercitu Attilæ duces. 110
Othingi, gens Scanziæ. 10
Ouim à Gothis Scythia dicta. 12
PADVS rex fluuiorum. 82
Pannoniæ situs. 149
Parthi à Gothis oriundi. 23
Parthi ab aliis dicti feruntur, quia suos refugere parentes. 25

Digitized by Google

Parthi soli inter Asiaticos sagittarij. 23
Parthus lingua Scythica fugacem significat. 28
Patriciolus Gothus. 133
Pellium murinarum commercia. 27
Pelsodis lacus in Pannonia. 152. 156.
Penthesilea Amazonum regina. 29
Perdiccas ab Alexãdro Atheniensium principatui hæreditario iure successor instituendus. 34. 35
Peria, id est, annus. 150
Persarum tentoria serica. 33
Pestis generalis ac præcipuè Alexandriæ, sub Gallo & Volusiano. 57
Petina in Illyrico. 165
Petza comes Sirmiensem ciuitatem Theoderici regis auspiciis occupat. 171
Peucæ insula ad ostium Danubij. 50
Phasides aues. 28
Phasis fl. 22
Philippus Macedo Medopam Gothilæ filiam vxorem habuit 33. Vdisitanam Messiæ ciuitatem vastare deliberat. 34
Pileati Gothorum sapientes dicti. 19, 38
Placidia Theodosii Imp. germana, Ataulphi II Vesogoth. regis vxor 88. Romanis reddita. 90
Polentia, vrbs in Alpibus Cottiis. 85
Pontes admirandi à Dario è nauibus cõfertis facti. 52, 53
Poppeius Sabinus Rom. à Gothis cæsus, & capite truncatus. 41
Propanisus Indis Caucasus. 27
QVINQVEGENTIANI, aliàs Quinquagintani. 61
RAVENNA trigemina. 83
Rauennæ obsidio triennalis. 168
Rauennæ ostia portu suo classem CCL nauiũ capiunt. 83
Rauennæ vrbis regiæ situs 824 eius trigemina positio & triplex appellatio. 85
Raugnaricij, gens Scanziæ. 10
Raumaricæ gens Scanziæ. 10
Regericus tertius Vesegothorum rex fraude suorum interficitur. 89, 90
Remismundus Sueuorum rex. 130.
Rõspa Gothorum Dux. 59
Rheni ostia. 5
Riciarius Sueuorum rex Hispaniam inuadit. 127
Riciarij mors. 129
Ricimeris expeditio in Alanos, & victoria. 131
Riothimus Britonum rex. 132
Riphei montes. 15
Roas Attilæ germanus 99. Hunnorum rex. 99
Rocas gens. 64
Rodulf. rex Arochitannorum ad Theodoricũ Goth. regem relicto proprio regno transiit. 10, 11
Romam Attila non obsidet metu mali euentus quem habuit Alaricus. 113
Romani milites à Decio iniuria affecti ad Gothos se conferunt. 49
Romani multas victorias Gothorũ auxilio adepti. 61, 62
Romanorum copiæ auxiliares aduersus Attilam. 106
Romanorum & Vesegothorum cum Hunnis prælium. 114
Roxolani gens infida. 70
Rugi Scandiopolim à Marciano sedem accipiunt. 150
SABINIANVS Illyricus. 172
Sacromontium, ab Hunnis. 151
Safiach Visegothorũ dux. 74

Sangibanus

Sangibanus Alanorũ rex. 107
Saphirinæ pelles è Scantia. 9
Satagarij, populus. 150
Satages Pannoniæ gens. 155
Sauromatæ siue Sarmatæ. 150
Scandiopolis Rugorum sedes. 150,151
Scantia insula amplis. 4. eius situs 7,8 vagina gentiũ. 11
Scantiæ gẽtes Romanis corpore & animo grãdiores. 11
Scarniunga fl. 152
Scipionis monumentũ. 3. 127
Sciri à Marciano Imp. sedes accipiunt 150. ab Ostrogothis ad internecionem deleti. 158
Sclauini, Winidarum natio 16. eorum sedes. 16
Scrêrebenna. Vid. Crefenna.
Scythia à Gothis Ouim dicta. 12
Scythia minor, pars Mœsiæ. 31
Scythiæ oppida. 15
Sedalia vrbs in Taprobane. 2
Seres, populus 14
Seuerus Imp. 131
Sigismundus Burgundionum rex. 170
Sigismũdus Ostrogotha Hunnis aduersus Ostrogothas militat. 139
Sinderich Syracusam Belisario dedit. 176
Sindingonum ciuitas. 162
Sirmis ciuitas Pannon. 150
Sileſtantina vrbs in Taprobana. 2
Sornus Medorum rex. 29
Spalorum gens. 12
Stilico magister equitum, Exconsul & patricius 64. socer Honorij Imp. 84. incautos Gothos aggressus bello, ab eis cæditur. 85
Straua quid. 145
Suethidi, gens Scantiæ. 10
Sueuiæ situs. 160
Sueuus præ aliis nationibus pede valet. 147, 148
TABAE, natio. 15
Tadzans gens. 64
Tanais non congelatur. 12
Taprobane insula. 2
Taunasis Gothorũ rex 22. post mortem pro numine habitus à Gothis. 25
Taurus mons. 27
Tausis, fl. Scythiæ. 26
Telephus Herculis genio & formæ similis. 30
Tentoria Attilæ serica 144. vt & Persarum. 32
Thamiris Gothorum regina Cyrum Persarũ regem prælio superat. 31, 32
Theodatus ab Amalasuentha rex instituitur 174. eius ingratitudo inaudita 175. à Gothis interficitur. 177
Theodemirus Ostrogotha. 110
Theodemirus Ostrog. rex, in Sueuiam exercitum ducit 160. moritur. 165
Theoderici 11. mors. 130
Theoderici Vesegoth. regis filij 105
Theodericus Visig. rex in prælio aduersus Hunnos cæsus. 115
Theodericus Odoacrum magna clade afficit. 168
Theodericus v. Vesegothorum rex. 96,97
Theodericus Theodemiri filius rex Ostrogotharum. 165
Theodericus Thorismũdi frater, rex Visegotharum. 127
Theodericus Triarij filius. 155
Theodosius Imp. 80. Vesegotharum internecionem moliens morbo impeditur. 77,78
Therinæ prope Anchialon. 60
Theron, Vid. Etheron. 2
Theseus ex Hippolyte Amazone Hippolytũ genuit. 29
Thessalonica obsessa. 164
Theudicodo Alarici vxor. 170
Theustes, gens Scantiæ. 10

Thiodes

ISIDORI
CHRONICON GOTHORVM.

GOTHORVM *antiquissimum esse regnum certum est, quod ex regno Scytharum est exortum. Isti enim sunt quos Alexander vitandos pronuntiauit, Pyrrhus pertimuit, Cæsar exhorruit. Per multa quippe sæcula & regno & regibus usi sunt: sed quia in chronicis adnotati non sunt, ideo ignorantur. Ex illo autem in historiis inditi sunt, ex quo aduersum se Romani eorum virtutem experti sunt: quorum oportet tempora & reges per ordinem cursim exponere, & aliqua eorum gesta de historiis libenter retexere.*

ERA CCXLII. *anno* * *Valeriani & Galieni Impp. Gothi descensis Alpibus, quibus inhabitabant, Græciam, Macedoniam, Pontum & Asiam, atque Illyricum vastauerunt: ex quibus Illyricum & Macedoniam* XV. *fermè annis tenuerunt.*

Digitized by Google

Deinde à Claudio Imperatore ſuperati, ſedes proprias repetunt. Romani autem Claudium Aug. pro eo quòd tam fortiſſimam gentem à finibus reipubl. remouiſſet, inſigni gloria honorantes, in foro illi aureum clypeum, in Capitolio autem auream ei ſtatuam collocauerunt.

ERA CCLXVIIII. *anno* XXVI. *Conſtantini Imperatoris, Gothi regionem Sarmatarum aggreſſi, copioſiſſimis ſuper Romanos irruerunt agminibus. Aduerſus quos idem Conſtantinus aciem inſtruxit, ingentique certamine vix ſuperatos vltra Danubium expulit; de diuerſis gentibus virtutum gloria clarus, ſed de Gothorum victoria amplius glorioſus: quem Romani, acclamante ſenatu, publica laude proſecuti ſunt, quòd tantam gentem vicerit, quòd pacem reipublicæ reformauerit.*

ERA CCCVIII. *anno Valentis* V. *Gothorum gentis adminiſtrationem Athanaricus accepit, regnans annos* XIII. *qui perſecutionem aduerſus fidem communem voluit*

Digitized by Google

voluit exercere contra eos qui in locis ſuis Chriſtiani habebantur. ex quibus plerique, quia idolis immolare non adquieuerunt, martyrio coronati ſunt: reliqui autem coacti ſunt de regno ſuo exire, & in Romanam tranſire regionem.

ERA CCCCXV. *anno Valentis Imp. Gothi aduerſum ſe in Athanarico & Fridigerno diuiſi ſunt, alternis ſe cædibus populantes: ſed Fridigernum Athanaricus Valentis Imp. auxilio ſuperans, huius rei gratia cum omni gente Gothorum in Arrianam hæreſim deuolutus eſt. Tunc Galilas eorum epiſcopus Gothicas literas adinuenit, & ſcripturas ſacras in eandem linguam conuertit.*

ERA CCCCXVI. *anno* XIIII. *Valentis Imperatoris, Gothi qui primum Chriſtianos à terra ſua expulerant, poſtmodum ipſi ab Hunis expulſi ſunt, tranſitóque Danubio fluuio, Valentis Imp. poteſtati ſe, non depoſitis armis, dederunt, accepta ab eo ad habitandum Thracia. Sed*

vbi viderunt se opprimi à Romanis contra consuetudinem propriæ libertatis, resumptis armis rebellando Thraciam ferro incendiisque depopulantur, deletoque Romanorum exercitu, ipsum Valentem iaculo vulneratum in quandam villam fugientem incendunt: vt meritò, iuxta cuiusdam sententiam, ipse ab eis temporali cremaretur incendio, qui tam pulchras animas ignibus æternis tradiderat.

ERA CCCCXVIIII. *anno imperij Theodosij Hispani tertio, Athanaricus cum Theodosio ius amicitiæ disponens, mox Constantinopolim pergit: ibique* XV. *die, ex quo fuerat à Theodosio fauorabiliter susceptus, interiit. Gothi autem proprio rege defuncto, aspicientes benignitatem Theodosij Imperatoris, inito fœdere, Romano se imperio tradiderunt.*

ERA CCCCXLVI. *anno* XIIII. *Archadij & Honorij Impp. post Athanaricum duo reges Gothis imperauerunt, qui pacis fœdere rupto, ad deprædandam Romaniam*

maniam se dederunt. Quorum vnus Radagaisus Scytha atque paganus, cum CC. *ferè millibus Italiam belli feritate aggreditur, promittens sanguinem Christianorum diis suis litare si vinceret. Cuius exercitus à Romanis in montuosis locis conclusus, fame est potiùs quàm ferro consumptus: ipse postremùm rex captus est & interfectus.*

ERA CCCCXLVII. *anno Honorij & Archadij Imperatorum, alter ille Alaricus Christianus quidem, sed hæreticus, pro consorte regni amisso in vindictam sanguinis suorum profectus in Italiam, vrbem irruit, & obsessam capit: sicque Roma irruptione atque impetu magnæ cladis euersa est. Tantum autem Gothi clementes ibi extiterunt, vt votum antea darent, vt si ingrederentur vrbem, quicunque Romanorum in locis Christi inuenirentur, in eos agere belli iure non liceret, sed ibi & feriendi refrenaretur immanitas, & captiuandi cupiditas coërceretur. sicque post hoc votum aggredientes vrbem, quoscunque*

in locis ſacris Chriſti vel martyrum vel baſilicis confugientes inuenerunt, in vaſtatione vrbis non miſerunt, nec cruentus ſæuiit in eos gladius, commiſerantibus hoſtibus. Sed & qui extra loca martyrum erant, & nomen Chriſti vel ſanctorum nominabant, & ipſis ſimili miſericordia hoſtilis furor pepercit. Sic euaſerunt multa millia Romanorum, quibus Gothi propter Chriſtum miſericorditer pepercerunt. Vnde & hucuſque Romani, qui in regno Gothorum conſiſtunt, adeo amplectuntur, vt melius ſit illis cum Gothis pauperes viuere, quàm inter Romanos potentes eſſe, & graue iugum tributi portare. Gothi autem poſt tertium diem quo Romam ingreſſi ſunt, nullo hoſte cogente ſponte diſcedunt.

ERA CCCCXLVIIII. *anno primo Theodoſij minoris, Alarico mox poſt captam vrbem defuncto, Athaulfus Gothus Italiæ regno præficitur annis ſeptem. Iſte quinto regni anno de Italia ſuccedit ad Gallias,*

lias, ibiq. Placidiam filiam Theodosij principis, Archadij & Honorij Imperatorum sororẽ, quæ à Gothis Romæ capta fuerat, vxorem sibi assumpsit nullo ex ea semine subsistente. Qui dum à Constantio Romano patricio admoneretur, vt relictis Gallijs Hispanias peteret, per quendam Gothum apud Barcilonem inter familiares fabulas iugulatur.

ERA CCCCLIIII. *anno* VII. *Theodosij minoris, post Athaulfum Gothis Sigericus princeps electus est, qui dum ad pacem cum Romanis esset promptissimus, mox à suis est interfectus.*

ERA *& anno quo suprà, Vallia succedens tribus annis regnauit, belli causſa princeps à Gothis effectus, sed ad pacem diuina prouidentia ordinatus. mox enim vt regnare cœpit, fœdus cum Imperatore Honorio pepigit: Placidiam sororem eius honorificè reddidit: Romani quoque nominis causa intra Hispanias cædes magnas Barbaris intulit: Wandalos Silingos in*

Betica omnes bello extinxit: Alanos, qui Wandalis & Sueuis potentabantur, adeo ut extincto Vtaco rege ipſorum, pauci qui ſuperfuerant oblito regni nomine, Gunderici regis Wandalorum, qui in Gallia reſederant, ſe patrocinio ſubiugarent. Iſti ſunt Wandali qui poſtea Sueuorum obſidione relicta ad Beticam tranſierunt, captaq. Hiſpali in Africam migrauerunt. Vallia autem confecto bello Hiſpaniæ, dum inſtructa nauali acie in Africam tranſire diſponeret, in fretum Gaditani maris vi tempeſtatis interceptus, in Hiſpaniam redire coactus eſt. Qui deinde per Conſtantium Romanum patricium ad Gallias reuocatur, data ab eo Gothis ob meritum victoriæ ad habitandum ſecunda Aquitania vſque ad Oceanum, cum quibuſdam ciuitatibus confinium prouinciarum.

ERA CCCCLXVII. *anno Theodoſij minoris, Theudoridus poſt Valliam regnat annis* XXIII. *qui regno Aquitanico non contentus, pacis Romanæ fœdus recuſat,*

ſat, exercitum mouet, Arelatem nobiliſſimum oppidum Galliæ obſidet: à cuius obſidione imminente virtute Aëtij Romanæ militiæ ducis remotus abſcedit. Extincto autem à Valentiniano Imperatore Aëtio, dum Theudoridus Narbonæ eſſet inſertus, rurſus Theudo à Litorio duce Romanæ militiæ Hunis auxiliantibus effugatur. Litorius autem dum primum res proſperas aduerſus Gothos geſſiſſet, denuò reſponſis dæmonum deceptus, in bello à Gothis amiſſo exercitu miſerabiliter ſuperatur: & qui antea hoſtium millibus cæſis feliciter vicerat, dum fallacia dæmonum oracula quærit, ignobiliter victus interiit: Theudoridus autem ſumpto contra Hunos prælio in campis Chatalaunicis ſuperatus occubuit. Gothi autem dimicante Turiſmodo Theudoridi regis filio adeò extitere victores, vt Attila rex Hunorum prælio victus, metu inſequentis exercitus, nuſquam comparuiſſe dicatur.

ERA CCCCXC. *anno Marciani Imp.*

primo, Turiſmodus filius Theudoridi regnauit anno vno: qui poſtquam de Hunis triumphauit, dum multa ageret inſolentiùs, à Theudorico & Frigdarico eſt fratribus interfectus.

ERA CCCCXCI. *anno* II. *Marciani imp. Theudoricus poſt fraternam necem in regnum ſuccedens imperauit annis* XIII. *qui pro eo quòd Imperatori Auito ſumendi imperialis faſtigij cum Gallis auxilium præbuiſſet, Aquitanias cum ingenti exercitu & cum ingenti licentia eiuſdem Auiti Imperatoris ingreditur. Cui cum magna copia rex Sueuorum Rechiarius occurrens, duodecimo Aſturicenſis vrbis milliario, apud fluuium qui Vrbicus appellatur, inito mox certamine ſuperatus eſt, cæſis ſuorum agminibus, aliquantis captis, plurimiſque fugatis, ipſe poſtremum rex telo ſauciatus fugit. Theudorico autem cum exercitu ad ciuitatem Bragarenſem pertendente, die Dominico, et ſi incruenta tamen ſatis lamentabilis eiuſdem direptio ciuita-*

tis,

tis, & Romanorum magna captiuitas fuit. Rectiarius uerò ad locum Portuculæ profectus, regi Theudorico captus adducitur. Quo perempto cæteris qui de priori certamine superfuerant seſe tradentibus, aliquantis nihilominus interfectis, regnum Sueuorum pœnè destructum est & finitum. Reliqui Sueui, qui remanserant in extrema Galliciæ, Massilæ filiũ nomine Masdrum sibi regem constituunt, regnumque reparatur Sueuorum. Theudoricus autem de Gallicia ad Lusitaniã victor succedens, dum Emeritensem urbem depræderi moliretur, beatissimæ Eulaliæ martyris terretur ostentis. Mox aduersis sibi nunciis territus, de Emerita egressus, Gallias repetit, & partem exercitus, cum suis ducibus, iterum ad campos Galliciæ dirigit, qui casa Asturicensi regione rursum reuertuntur ad Gallias. Nec mora, Gothicus exercitus duce Ceurila à Theudorico ad Hispaniæs missus succedit, ad Beticam. Post quem sequenti anno Sigericus cum alia parte exercitus

ercitus dirigitur, & Ceurilas reuocatur ad Gallias. Pars autem Gothici exercitus à Sunierico & Nepotiano ducibus ad Galliciam directa, Sueuos apud Lusitaniam deprædatur. In Gallias autem Agrippinus Comes & conciuis Egidio Comiti Romano æmulus, vt Gothorum mereretur auxilia, Narbonam tradidit Theudorico. Pòst aliquot legati Sueuorum ab Arismodo rege Masdræ filio, rege Sueuorum, missi ad Theudoricum venerunt, pacem amicitiamque poscentes. Similiter Theudoricus Arismodo remittit, cum armorum adiectione, munera, directa etiam & coniugi quam haberet. Sallanem quoque legatum denuo Theudoricus mittit ad Arismodum, qui reuersus ad Gallias Theudoricum ab Euricо fratre suo repperit interfectum.

ERA D. IIII. *anno imperij Leonis octauo Euridicus, pari scelere quo frater, succedit in regnum annis* XVIII. *in quo bonore prouectus & crimine, statim bello desæuit, partesque Lusitaniæ deprædatur.*

Qui

Qui priùs capta Pamphilona, Cæsaraugustam inuadit, totamque Hispaniam superiorem optinuit. Terraconensis etiam nobilitatem, quæ ei repugnauerat, exercitus irruptione peremit. In Gallias autem regressus, Arelatum & Massiliam vrbes capit, suoque regno vtramque subiecit. Iste quodam die congregatis in colloquio Gothis, tela quæ habebant omnes in manibus, à parte ferri, alia viridi, alia roseo, alia croceo colore mutata, naturalem ferri speciem aliquandiu non habuisse comperit. Sub hoc rege Gothi legum instituta scriptis habere cœperunt: nam antea tantum moribus & consuetudine tenebantur. Obiit Arelato Euricus morte propria functus.

ERA DXXII. *anno* XI. *Zenonis Imperatoris, Eurico mortuo, Alaricus filius eius apud Tolosensem vrbem princeps Gothorum efficitur, eosque rexit annis* XX. *tribus. Qui cùm à pueritia vitam in otio & conuiuio peregisset, tandem prouocatus à Francis, in regione Pictauensis vrbis*

prælio

prælio inito, extinguitur, eóque interfecto regnum Tolosanum occupantibus Francis destruitur.

ERA DXLV. *anno* XVII. *Anastasij Imp. Gesselicus superioris Regis ex concubina filius Narbonæ princeps efficitur, & regnauit annis quattuor: sicut genere vilissimus, ita infelicitate & ignauia summus. Denique dum eadem ciuitas à Gundebaldo Burgundionum Rege directa fuisset, iste cum multis vi, dedecore & cum magna suorum clade apud Barcinonam se contulit. Ibi moratus, quo usque regni fascibus à Theudorico fugæ ignominia priuaretur. Inde profectus ad Africam, Vandalorum suffragium poscit, quo in regnum posset restitui. Qui dum non impetrasset auxilium, mox de Africa rediens, ob metum Theoderici Regis, Aquitaniam petiit. Ibi anno vno delitescens Hispaniam reuersus ab Ebbaue Theudorici Regis duce, duodecimo à Barcinona vrbe milliario commisso prælio superatus in fugam vertitur, captusque*

captusque trans fluuium Druentium Galliarum occiditur.

ERA DXLV. *anno* XXVI, *Anastasij Imperatoris, Theodericus iunior dum iampridem à Thracia & Pannonia veniens, fugato Arnulfo Rege Ostrogothorum, regnasset in Italia annis* X. *& octo, rursus expulso Rege Vuisgothorum Geselico, regnauit in Hispania annis* XV. *sicque priùs Italo regno potitus, postea Hispaniam rexit, quam superstes eiusdem Amalarico nepoti reliquit. Per hunc dignitas urbis Romæ non parua est restituta. muros enim eius iste redintegrauit. ob quam causam à senatu inauratam statuam meruit.*

ERA DLXIIII. XIIII. *anno Iustiniani Imperatoris, defuncto Theuderico, Amalaricus nepos eius quinque annis regnauit. Qui cum ab Hildeberto Francorum Rege Narbonæ prælio superatus fuisset, Barcinonam fugiens venit, omniumq. contra se odio excitato, apud Narbonam in foro ab exercitu iugulatus interiit.*

ERA

ERA DLX. *nona, Iustiniani Imp. tempore, post Amalaricum Theudis in Hispania creatur in regnum per annos* XVI. *menses quinque. Qui dum esset hæreticus, pacem tamen concessit Ecclesiæ dei, ut licentiã Catholicis Episcopis daret in vnum apud Toletanam vrbem conuenire, & quæcunque ad Ecclesiæ disciplinam necessaria existerent, dicere licenterque disponere. Iste Francorum Reges quinque Cæsaraugustam obsidentes, ommemque ferè Terraconensem prouinciam bello depopulantes, misso duce Theudisclo fortiter debellauit, atque à regno suo non pace, sed armis exire coëgit. Vulneratur autem à quodam in palatio, qui iamdiu dementis speciem, vt regem deciperet, simulauerat. Finxit enim arte insaniam, & quasi furore repletus perfodit principem. quo vulnere prostratus occubauit, & vi gladij indignantem animam exalauit. Fertur autem inter effusionem sanguinis coniurasse homines suos, ne quis interficeret percussorem suum, dicens recepisse*

Digitized by Google

recepisse se dignam vicissitudinem, quòd & ipse priuatim ducem suum sollicitatum occiderat.

ERA DLXXX. *anno* XII. *Iustiniani Imperatoris interempto Theudi Theudisclus Gothis præficitur. Regnauit anno vno, mensibus* VII. *Hic pari coniuratorum manu inter epulas cœnæ, gladio confossus extinguitur.*

ERA DLXXXIIII. *anno* XVI. *Iustiniani Imperatoris, extincto Theudisclo, Agila Rex creatur, regnans annis quinque. Cuius tertio anno Athanagildus tyrannidem regnandi cupiditate arripuit. Gothi autem Agilam apud Emeritam fide sacramenti oblita interimunt, & Athanagildo se tradunt.*

ERA DXCIII. *anno* XXXVIII. *Iustiniani Imperatoris, Agila perempto, Athanagildus regnum, quod inuaserat, tenuit annis* XVI. *Iste cùm iamdudum sumpta tyrannide Agilam regno priuare quæreret, militum sibi auxilia ab Imp. Iusti-*

niano popoſcerat, quos poſtea ſubmouere à finibus regni molitus non potuit. aduerſus quos huc vſque confligitur. Nam frequentibus antea prælijs cæſi, nunc verò multis caſibus fracti ac diminuti ſunt. Deceſſit autem Athanagildus Toleto propria morte, vacante regno menſibus quinque.

ERA DCVIII. *anno ſecundo Iuſtini minoris poſt Athanagildum Liuua Narbonæ regno præficitur, regnauitque annis tribus. qui ſecundo anno poſtquam adeptus eſt principatū Leuuigildum fratrem ſuum ſocium regni conſtituit, Hiſpaniæque adminiſtrationi præfecit. ipſe autē Galliæ regno contentus eſt. ſicque regnum duos capit, cùm nulla poteſtas patiens conſortis ſit. Huic autem in ordine temporum vnus tantùm annus reputatur, reliqui, Leuuigildo adnumerantur.*

ERA DCVIII. *anno ſecundo Iuſtini minoris, Leuuigildus adepto Hiſpaniæ & Galliæ regno ocium periculoſum ratus, regnum bello ampliare ſtatuerat. Subegit*

Aregenſes.

Aregenſes. cæpit Sabariam. Croſpida ab eo deuicta eſt. Ceſſerant etiam armis illius omnes rebelles Hiſpaniæ vrbes. fudit quoque diuerſo prælio militem, & quædam caſtra ab eis occupata dimicando recepit. Erminigildum deinde imperiis ſuis tyrannizantem obſeſſum exſuperauit. Poſtremò bellum Sueuis intulit, regnumque eorum iniuria gentis ſuæ mira celeritate tranſmiſit, Hiſpania penè tota potitus. Nam antea gens Gothorum angustis finibus artabatur. Sed obfuſcauit in eo error impietatis gloriam tantæ virtutis. Denique iniquæ perfidiæ furore repletus, in Catholicos perſecutione commota, plurimos Epiſcoporum exilio relegauit, & Eccleſiarum reditus & priuilegia tulit. multos quoque terroribus ſuis in Arrianam hæreſim & peſtilentiam impulit: pleroſque ſine perſecutione, illectos auro rebusque decepit. Auſus quinetiam inter cætera hæreſis ſuæ contagia, rebaptizare Catholicos, & non ſolum ex plebe ſed etiam ex ſacerdotalis ordinis dignitate, ſi-

cut Vincentium Cæsaraugustanum de Episcopo apostatam factum, & tanquam à cælo in inferna proiectum. Extitit autem & quibusdam suorum pernicios⁹. nam vi cupiditatis & liuoris quosque potentes vt vidit, aut capite damnauit, aut opibus ablatis proscripsit. Aerarium quoque ac fiscum primus iste auxit: primusque inter suos regali veste opertus, solio resedit. Nam ante eum & habitus & consessus communis vt genti, ita & regibus erat. Condidit autem ciuitatem in Celtiberia, quam ex nomine filij sui Recopolin nominauit. In legibus quoque ea quæ ab Eurico inordinatè constituta videbantur correxit, plurimas leges prætermissas adiciens, pleraſque superfluas auferens. Obiit propria morte Toleto anno regni sui XVIII.

ERA DCXXXV. Leuuigildo defuncto filius eius Recaredus regno est coronatus, cultu præditus religionis, & patriis moribus longè dissimilis. Namque ille irreligiosus & bello promptissimus, hic fide pius

&

& pace præclarus. ille armorum artibus gentis imperium dilatans, hic glorioſus eandem gentem fidei trophæo ſublimans. In ipſis enim regni ſui exordiis Catholicam fidem adeptus, totius Gothicæ gentis populos inoliti erroris labe deterſa, ad cultum rectæ fidei reuocauit. Synodum etiam ad condemnationem Arrianæ hæreſis congregauit, cui concilio idem glorioſiſſimus princeps interfuit, ſuaque eum præſentia & ſubſcriptione firmauit. In belli quoque gloria ſatis clarus ac præcipuus extitit. Francis enim cum ſexaginta ferè millibus armatorum copiis Galliæ irruentibus, miſſo Claudio duce aduerſus eos, glorioſo triumphauit euentu. Nulla vnquam in Hiſpaniis Gothorum vel maior vel ſimilis extitit. Proſtrati ſunt enim & capti multa millia, reſidua parſ exercitus in fugam verſa, Gothis poſt tergum inſequentibus vſque regni ſui finibus cæſa eſt. Sæpe etiam & lacertos contra Romanas inſolentias & irruptiones Waſconum mouit, vbi non magis bel-

la tractasse, quàm potiùs gentem, quasi in palæstra eludij, pro vsu vtilitatis videtur exercuisse. Prouincias autem pater prælio conquisiuit: iste pace conseruauit, æquitate dispossuit, moderamine rexit. Multi quoque aduersus eum tyrannidem assumere cupientes, detecti sunt, suæque machinationis consilium implere non potuerunt. Fuit autem placidus, mitis, egregiæ bonitatis, tantamque in vulgus gratiam habuit, & tantam in animo benignitatem gessit, vt in omniũ mentibus influens etiam malos ad affectum sui amoris attraheret: adeò liberalis, vt opes priuatorum, Ecclesiarum prædia direpta à patre & fisco adsociata, iuri proprio restitueret. Adeo quoque clemens fuit, vt populi tributa sæpe indulgentiæ largitione donaret. Multos etiam ditauit rebus, plurimos sublimauit honoribus, opes suas in miseris, thesauros suos in egenis recondens: sciens ad hoc illi fuisse collatum regnum, vt eo salubriter vteretur, bonis initiis bonum finem adeptus. fi-

dem

dem enim rectæ gloriæ quamprimum percepit, nouiſſimè publica confeſſione pœnitentiæ cumulauit. Quintodecimo anno Toleto morte propria deceſſit.

ERA DCXL. *anno poſt Recaredum principem filius eius Liuua regni ſuſcepit ſceptra annis duobus: ignobili quidem matre progenitus, ſed virtutum indole inſignitus: quem in primo flore adoleſcentiæ Vittericus ſumpta tyrannide innocuum regno deiecit, præciſáque eius dextra occidit, anno ætatis* XX. *regni verò ſecundo.*

ERA DCXLII. *extincto Liuua Vittericus regnum, quod viuente illo inuaſerat, ſibi vendicat annis* VII. *vir quidem ſtrenuus in armorum arte, ſed tamen expers victoriæ. Namque aduerſus Romanum militem bella ſæpe molitus, nil ſatis gloriæ geſſit, præter quòd milites quoſdam Sagontia per duces optinuit. Hic in vita plurima illicita fecit. in morte autem, quia gladio operatus fuerat, gladio periit. Mors quippe innocentis inulta in illo non fuit. in-*

ter epulas enim prandij coniuratione suorum est interfectus. Corpus verò eius viliter est exportatum atque sepultum.

ERA DCXL. *octaua, Gundemarus post Vittericum princeps efficitur annis duobus. hic Wascones vna expeditione vastauit, alia militem Romanum obsedit. Toleto propria morte decessit.*

ERA DCLI. *Sisebutus post Gundemarum regali fastigio euocatur, regnans annos* VIII. *menses sex. qui in initio regni sui Iudæos ad fidem Christianam permouens æmulationem quidem Dei habuit, sed non secundum scientiam. Potestate enim compulit, quos prouocare fidei ratione oportuit. Sed sicut scriptum est, siue per occasionem, siue per veritatem, Christus adnuntietur. Fuit autem lingua nitidus, literarum studiis ex parte imbutus. In bellicis quoque causis fauorem habuit præliorum. Astures enim rebellantes misso exercitu per ducem suum Richilanem in ditionem suam reduxit. Roccones arduis montibus*

vndique

vndique circumseptos similiter per duces deuicit. De Romanis quoque præsens feliciter triumphauit, & quasdam vrbes pugnando subegit: adeo clemens post victoriam, vt pœnè omnes ab exercitu suo hostili præda in seruitutem redactos precio dato absolueret, eiusque thesaurus redemptio captiuorum existeret. Hunc alij morbo, alij veneno asserunt interfectum. Hi sunt anni Gothorum regum, ab exordio Athanarici regis vsque ad istum Sisebutum, anni CCL. *vnus.* ERA DCLXVI.

Explicit historia Gothorum.

INCIPIT HISTORIA WANDALORVM.

VVANDALI *cùm Alanis & Sueuis pariter Hispanias ingrediuntur. Hi pace inter se inita, sorte ad inhabitandum sibi prouinciarum diuidunt*

regiones. Galliciam Wandali & Sueui occupant. Alani Lusitaniam & Carthaginensem prouincias. Wandali autem cognomine Silingi Beticam sortiuntur. Hispani autem per ciuitates & castella residua barbaris dominantibus se subiugunt. In Hispanias Gundericus primus rex Wandalorum successit, regnans in Galliciæ partibus annis XVI. *qui dum rupto fœdere pacis Sueuos in Neruosis montibus obsideret, relicta tandem Gallicia cum omnibus Wandalis ad Beticam trãsiuit: captaque Hispali cum inreuerenter in Ecclesias ipsius ciuitatis manus extendisset, mox Dei iudicio dæmone correptus interiit. Cui Geisericus frater suus ex Catholico apostata factus succedit in regnum annorum sexaginta: qui de Beticæ prouinciæ litore ad Mauritaniam venit, & Africa relicta in Hispaniam transfretauit. Cui Valentinianus occidentis Imperator non valens obsistere, pacem mittit, & partem Africæ quam Wandali possederant tanquam pacifico*

pacifico tradidit, conditionibus ab eo sacramenti acceptis ne quid amplius inuaderet. Ille autem sacramenti religione violata Carthaginem peruadit, Siciliam depræda-tur, Panormum obsidet, Arrianam pestilentiam per totam Africam intromittit, sacerdotes Ecclesiæ expellit, martyres plurimos efficit. Aduersus quem Theodosius minor Orientis Imperator bellum præparauit, quod ad effectum non venit. Hunis enim Thraciam Illyricumque vastantibus, exercitus Wandalorum à Sicilia reuocatur, & ad defendendos Thraces & Illyrianos transmittitur. Geisericus autem non contentus solis Africæ vastationibus, nauibus aduectus Romam ingreditur, direptisq. opibus Romanorum per quatuordecim dies, relicto Valentiniano, filias eius multaque millia captiuorum secum tulit. moxque Carthaginem rediit, & per legatos postulata pace à Valentiniano filias eius ei Constantinopolim mittit. sicque post multarum prouinciarum clades & Christianorum

norum spolia atque neces moritur regni sui anno sexagesimo. Hunericus autem filius eius regnauit annis septem, mensibus quinque, habens in coniugio Imperatoris Valentiniani filiam, quam pater eius Roma captiuam cum matre abduxerat, qui & ipse Arriano suscitato furore Catholicas per totam Africam atrocior patre persequitur Ecclesias, tollit sacerdotes, & cuncti ordinis clericos in exilium mittit: monachos quoque atque laïcos quatuor circiter millia exiliis durioribus relegauit, martyres fecit, confessoribus linguas abscidit, qui linguis abscissis perfectè vsque ad finem suũ locuti sunt. Tunc Lætus Leptensis ciuitatis Episcopus glorioso martyrio coronatur. Venericus autem inter innumerabiles suarum impietatum strages, quas in Catholicos exercuerat, octauo regni sui anno vt Arrius pater eius interioribus cunctis effusis miserabiliter vitam amisit. Cui succedens Guntabundus regnauit XII. annis, qui statim pacem Ecclesiæ donauit, &

Catholicos

Catholicos protinus ab exilio reuocauit. Quo defuncto Trasemundus regnauit annis XXVII. *mensibus quatuor. Iste Arriana insania plenus Catholicos insectatur, Ecclesias claudit, in Sardiniam exilio ex omni Africana ecclesia* CXX. *Episcopos mittit. Apud Carthaginem moritur. Post quem regnauit Hildiris ex filia Valentiniani Imp. genitus à Geiserico captiuata, quæ Hunerico filio suo fuerat iuncta. Regnauitque Hildiris annis septem & tribus mensibus. Iste sacramento à prædecessore suo Trasemundo fuerat obstrictus, ne Catholicis in regno suo Ecclesias aperiret, aut priuilegia restitueret. priusquam regnaret, ne religionem sacramenti violaret, præcepit sacerdotes Catholicos ab exilio reduci & Ecclesias aperiri. Quem Gilimer assumpta tyrannide regno priuauit, & cum filiis carceris custodia mancipauit. Post hæc Gilimer tyrannus regnauit annis tribus, mensibus octo: qui multos nobilium Africæ prouinciæ crudeliter extinxit, multorumq.*

Substan-

substantias tulit. aduersus quem Iustinianus Imp. incitatione Læti Episcopi, qui ab Hunerico Wandalorũ rege martyr fuerat factus, exercitum in Africa Belisario magistro militum duce mittit : quem Belisarius cum omni gente Wandalorum prælio fugauit. Africam cepit centesimo XVII. *Wandalorum ingressionis anno. In ipso autem Belisarij occursu, priusquam congressio fieret, Gilimer tyrannus Hildirim regem cum quibusdam generis eius affinibus occidit. Belisarius Gilimerum tyrannum capit, & eum cum diuitiis suis ex rapinis prouinciarum Africæ conquisitis Constantinopolim Iustiniano Imperatori duxit: sicque regnum destructum est & finitum Wandalorum. Fiunt simul à primo anno Gunderici Regis, quo in Hispaniam ingressus est, vsq. ad Gilimeri casum & Wandalorum interitum anni* CXX. *tres & menses septem.*

Explicit historia Wandalorum.

IN-

INCIPIT

HISTORIA SVEVORVM

SVEVI *duce Hermerico rege cum Alanis & Wandalis simul Hispanias ingressi sunt* ERA CCCCXCVII. *Hi Galliciam cum Wandalis occupant. Wandalis autem transeuntibus Africam, Galliciam soli Sueui sortiti sunt; quibus præfuit Emericus annis quatuordecim. Gallici autem in parte prouinciæ regno suo vtebantur: quos Emericus assidua vastatione deprædans tandem ob morbi dolorem eis pacem dedit: quo morbo diutissimè per annos septem oppressus interiit. Post quem Riccila filius eius successit & regnauit annis octo. Hic iubente patre ab eo missus, Undebotum Romanæ militiæ ducem cum suis omnibus copiis ad Singilium Beticæ fluuium inito bello prostrauit, magnis eius auri argentíque copiis occupatis. Post obitum autem*

autem patris susceptо regno, Hispania ab eo optenta cum Betica, Carthaginenses prouincias in suam redegit potestatem. Quo defuncto Rechiarius succedit in regnum annis nouem. Hic accepta in coniugio Theudoridi regis Gothorum filia in initio regni sui * deprædatur. Mox ad Theudoridum socerum suum profectus Cæsaraugustanam regionem cum auxilio Gothorum rediens deprædatur, irruptaque per dolum Flerdensi vrbe, egit ibi magnam captiuitatem. Ad vltimum dum Theudoridus rex Hispaniam ingrederetur, inito prælio aduersus eum, primò fugatus, deinde captus occiditur. Occiso Rechiario Sueui bifariè diuisi, pars Fratan, pars Masdram sibi regem constituunt. Masdras autem cum manu Sueuorum statim Lusitaniam deprædatur, acta illuc Romanorum cæde prædisq. contractis. Ciuitas etiam Olisepona sub specie pacis intratur. Nec mora, Fratan mortuo, Sueui, qui cum eo fuerant, ad Masdram reuertuntur: regionem Galliciæ adhærentem

tem fluuium Durio depraedantur. Masdras autem peractotertio anno regni sui regulatur. Quo extincto inter Frumarium & Remismundum Masdræ filium oritur de regni potestate dissensio. Sed Famarius, cum manu quam habebat, Flamensem ciuitatem grandi euertit excidio. Remismundus autem vicina sibi pariter Arigensium loca & Lucensis conuentus maritima populatur. Frumario autem mortuo, Remismundus omnes Suenos in suam ditionem reuocat, pacem cum Gallicis reformat, legatos fœderis mittit ad Theoderidum regem Gothorum: à quo etiam per legatos & arma & coniugem quam haberet, accepit. Tertio regni anno ad Lusitaniam transit. Cimbricam pace deceptam diripit. Olisepona quoque ab eo occupatur: ciues verò qui illic præerant, custodiendos tradidit Lustidio. Huius tempore Alax natione Galata, effectus apostata & Arrianus, inter Suenos regis sui auxilio fidei Catholicæ hostis emersit. cuius seductione Sueui à fide Ca-

tholica recedentes, in Arrianum dogma declinant. Post multos deinde reges regnum Sueuorum suscepit Theudemirus: qui fidem Catholicam adeptus, Arriana impietatis errore destructo Sueuos vnitati fidei reddidit. Huius temporib. Martinus monasterij Dumiensis episcopus fide & scientia claruit. Cuius studio & pax ecclesiæ reddita est, & multa monasteria condita. Post Theudemirum, Miro Sueuorum princeps efficitur, & regnauit annis XIII. Hic bellum secundo regni sui anno contra Roccones intulit: deinde in auxilium Liuuigildi Gothorum regis aduersus rebellem filium ad expugnandam Hispalim pergit, ibique vitæ terminum clausit. Cui Eburicus filius in regnum succedit: quem adolescentem Audicas assumpta tyrannide regno priuat, & monachum factum in monasterio damnat, pro quo non dilata est sententia. mox enim Liuuigildus Gothorum rex Sueuis bellum inferens, optento eodem regno Audicam deiecit, atque detonso eo, post regni honorem,

honorem, presbyterij officio consecrauit. Sic enim oportuit, vt quod regi suo fecerat, rursum idem ab alio congrua meriti vicissitudine pateretur. Regnum autem Sueuorum deletum in Gothos transfertur, quod mansit annis centum XX. *sex.*

Explicit historia Sueuorum.

CHRONICA REGVM WISIGOTHORVM.

ERA quadringentesima, in Gothis primus Rex Atanaricus efficitur. Post hunc Alaricus. Quo in Italia mortuo, Ataulfus eligitur. Isto regnante, Gothi relicta Italia, Galliasac postea Hispanias occupant. Anni verò regum hac summa notantur.

Atanaricus regnauit annos XIII.
Alaricus regnauit annos XXVIII. in Italia.
Ataulfus regnauit annos VI.
Sigericus regnauit annos VII. alibi semis tantùm D.

Digitized by Google

Wália regnauit annos III.
Theuderedus regnauit annos XXXI II.
Thurismodus regnauit annos III. alibi vnum.
Theudericus regnauit annos VII. alibi XIII.
Euricus regnauit annos XV.
Alaricus regnauit annos XXII.
Gesaericus regnauit annos III, & in latebra annum I. alibi XV.
Theudericus de Italia regnat in Hispania tutelam agens Amalerico nepoti suo per consules, annos XLI.
Amalaricus regnauit annos V.
Theudi regnauit annos XVI. menses VI.
Theudiselus regnauit annum I. menses VI. dies XIII.
Agila regnauit annos V. menses VI. dies XIIII.
Athanagildus regnauit annos XV. menses VI.
Vacat regnum menses V. & alibi XIII.
Liuua regnauit annum I.
Liuuigildus regnauit annos XVIII.
Reccaredus regnauit annos XV. menses VI. dies X.
Item Liuua regnauit annum I. menses VI.
Wittericus regnauit annos VI. menses X.

Gun-

Digitized by Google

Gundenarus regnauit annum I. menſes X. dies XIIII.

Siſeburus regnauit annos VIII. menſes XI. dies XVI.

Item Reccaredus regnauit annos III.

Suuintila regnauit annos X.

Siſenandus regnauit annos IIII. menſes XI. dies XVI.

Chintila regnauit annos III. menſes VIIII. dies VIIII.

Iulga regnauit annos DL. menſes IIII.

Chindaſuuindus ſolus regnauit annos VI. menſes XIII. dies XX.

Item cum filio ſuo Receſſuindo rege regnauit annos IIII. menſes VIII. dies XII. obiit pridie Kal. Octobris, Era DCLXI.

Receſſuindus ſolus regnauit annos XIII. menſes VII. dies XI.

Obiit Kal. Septembr. D. IIII. feria, hora III. Era DCCX. anno incarnationis domini noſtri Ieſu Chriſti DCCLXXII. anni Cycli decemnoualis VIII. luna III. Idem cum patre ſuo regnauit annos IIII. menſ. VIII. dies XI.

Suſcepit autem domnus Wamba regni gubernacula eodem die quo ille obiit in

ſupradictis Kalend. Septembribus, dilata vnctionis ſollemnitate vſq. in diem XIIII. Kal. Octobris, luna XXI. Era qua ſupra. Idem quoque glorioſus Wamba Rex regnauit annos VIII. menſ. I. dies XIIII. Accepit quoque pœnitentiam prædictus princeps die Dominico exeunte hora noctis prima, quod fuit pridie Idus Octobris, luna XV. Era DCCXVIII.

Suſcopit autem ſuccedente die ſecunda feria glorioſus domnus noſter Eruigius regni ſceptra, quod fuit Id. Octobris, luna XVI. Era DCCXVIII. dilata vnctionis ſollemnitate vſque in ſuperuenientem diem Dominicum, quod fuit XIIII. Kalendas Nouembris, luna XXII. Era qua ſuprà.

EX
DESCRIPTIONE
PONTI EVXINI

Quæ desideratur apud Procopium Libro quarto belli Gothici, qui est vltimus ogdoadis historiarum.

* * *

ΥΠΕΡΘΕΝ δὲ σάγιδας, ἀυγγικαὶ ἔθνη πολλὰ ἵδρυνται. τὸ δ' ἐντεῦθεν, δύλυστίας μὲν ἡ χώρα ὠνόμασται. βάρβαροι δὲ αὐτῆς ἄνθρωποι, τά τε παιδάλια καὶ τὴν μεσόγειον ἔχουσι, μέχρι ἐς τὴν μαιώτην καλουμένην λίμνην καὶ ποταμὸν τάναϊν, ὃς δὴ ἐς τὴν λίμνην ἐσβάλλει. αὕτη δὲ ἡ λίμνη ἐς τὴν ἀκτὴν πόντου τοῦ δύξεινου τὰς ἐκβολὰς ποιεῖται. ἄνθρωποι δὲ οἱ ταύτην ᾠκήνται, κιμμέριοι μὲν τὸ παλαιὸν ὀνομάζονται, ταυροῦ δὲ ἄκρου κάλουνται. καὶ αὐτὸ καθύπαρθεν ἐς βόρειον ἄνεμον, τὰ ἔντων ἄκρα ἵδρυται. παρὰ δὲ τὸν χῶρον αὐτὸν, ὅθεν ἡ τῆς λίμνης ἐκβολὴ ἄρχεται Γότθοι ὅσοι ξαξίται καλούμενοι ᾠκήνται, ἐς πολλοὶ ὄντες, οἱ δὴ τὰ χριστιανῶν νόμιμα σεβόμενοι, θρησκείαν ἄλλου τινὸς οὐδενὸς ἧσσον. τάναϊν δὲ καλοῦσιν οἱ βαρβαρικοὶ καὶ τὴν ἐκβολὴν ταύτην ἐκ λίμνης ἀρξάμενον τῆς μαιώτιδος ἄχρι ἐς τὸν δύξεινον πόντον,

τοῦ, ἥπερ δὴ καὶ ἐς ὁδὸν ἡμέρας τοῖς φασὶν εἶναι. ἀλλὰ ἐκ τοῦ ἄνεμον ὃς ἐνθένδε πνεῖ, τραπέτιον καλοῦσι. εἴτε δὲ τοῦ ἀρκτίου δι' ὄξους ἐγένοντο παρὰ τοῖς Γότθοις ἔθνεσι, ὥσπερ καὶ τὰ ἄλλα Γοτθικὰ ἔθνη, εἴτε καὶ ἄλλοπαμφὶ τὴν δόξαν αὐτοῖς ἦσκηται, ἐκ ἔχω εἰπεῖν, ἐπεὶ δὴ καὶ αὐτοί ἴσασιν. ἀλλὰ φιλίᾳ τε τανῦν καὶ ἀγαμοσύνῃ πολλῇ τιμῶσι τὸν δόξαν. ὅτοι ὀλίγῳ πρόσθεν, λέγω δὲ ἡνίκα πρῶτόν τε ὁ εἶκος ὃν ἔτι ἰουστινιανὸς βασιλεὺς τὸν αὐτοκράτορος εἶχεν ἀρχάς, πρέσβεις ἔπεμψαν ἐς βυζάντιον ἅπαμφω ἐπίσκοπον ἀβίου τινὰ δισόμενοι δόσιν, ἐπεὶ ὅσις μὲν αὐτοῖς ἱερεὺς ἦν, τετελευτήκει δὲ πολλῷ πρόσθεν: ἔγνωσαν δὲ ὡς καὶ ἀξιόχρεοι ἱερέα βασιλεὺς πέμψειε καὶ αὐτοῖς προσήκοντα. ἰουστινιανὸς βασιλεὺς ὅπασιν πομπὰς τὸν δήπου, ἀπέπεμψε. οἱ δὲ πρέσβεις ὅτοι ἔνδον τῷ αὐτοκράτορι γενόμενοι ἐς μὲν τὸ ἀναφανὲς ἀνατιθέασι πολλὰ δῶρα ἐπαινέσαντες ὅτου δὴ ἕνεκα ἥκασιν, ἄλλο δὲν ὅτι μὴ τοῦ περὶ τῷ ἱερεῖ βασιλέα δεήσεσθαι. ἐς λαθραίην δὲ τὰ πρήγματα ξυνίασιν, ἅπασί τε φράζουσιν ὅσα συνοίσεται τῇ βαρβαρίων ἀρχῇ ἔμελλε, ξυμπρησομένων ἐς ἀλλήλους αἰεὶ τὸ σφίσι πολεμιώτατον βαρβάρων. ὃν τινα δὲ ἕκαστοι ὅτι τε ξυνέθεντο καὶ ὅθεν ἀναστάντες ἐνταῦθα ἱδρύσαντο, ἐγὼ φράσω. Παλαμὴν μὲν ὄνομα τὸ τότε κεκλημένον καλλιόλφωνα πολύς τις ὁμιλεῖ καὶ χεῖρα

εἶα

εἰσι τοῦτο ἐκέκτηντο ὧν ἀρτι ἐμνήσθην. βασιλεύς τε εἷς ἁπάσιν ἐφειστήκει καὶ ἀστραπὴ τὴν ἀρχὴν ἔσχεν ὃς δὴ πρεσβύτερος ἐγένετο δύο, ἄτρεκες μὲν, ἀδελφὼ δὲ ὁμοίω· κουδίζηλος δὲ ὁ ἕτερος. ὅπερ ἐπειδὴ ἀπέβη ὁ πατὴρ τὸν βίον συνεκβήσεσθαι, τὴν τε ἀρχὴν ἅμφω ἐν σφίσιν αὐτοῖς διέδασαντο, καὶ τὴν ἐπωνυμίαν τοῖς ἀρχομένοις αὐτοῖς ἔδοσαν. οἱ μὲν γὰρ, ὑτίγουρες, οἱ δὲ κουδίζουρες καὶ ἐς ἐμὲ ὀνομάζονται. καὶ μὲν πάντας, τήνδε φωνὴν κοινὰ μὲν τὰ ὀπτήδευματα ξύμπαντα ἔχοντες, ἀκόπιμοι μέντοι ἦσαν ἀλλήλοις. οἱ δὲ, τῆς τε λίμνης καὶ τῆς εὐθύνδε ἐσόδου ἐς τὸ ἀνθρώπειον ἱδρυνται, ἔνθα δὴ τὸ δίβαιον ποτὲ καὶ ὕδατα πολλὰ, ἃ τε ἁλμυρὰ εἶναι ὑπερφέρει, καὶ ἁλὸς καὶ ἀκολλώδεα πεφύρθαι ὄντα· τοῦ μὲν ἁλὸς ἀπαθανατίσαντες, ἀλλ' ἀναλίσκεται τῆς ἡμέρας πανταπασιν εἶναι. λίμνῃ δὲ τῷ μεταξὺ καὶ τῷ ἐξ αὐτῆς ἐκβολῇ ὑφέρπει, ὕθλος μὲν ἐς αὐτὸ πρωτόν τοῦτο ἀκτὴ ὅπερ ξαίνεται καλέεται Γότθοι τοπάλαι ὠκηκότες, ὧν ἐπεμνήσθην ἀρτίως. πολλῷ δὲ αὐτῇ ἄποθεν Γότθοι τε καὶ Βισίγοτθοι καὶ Βανδίλιοι, καὶ τὰ ἄλλα Γοτθικὰ γένη ξύμπαντα ὤκηντο. οἱ δὲ καὶ σκύθαι ἐν τοῖς ἔπειτα χρόνοις ἐπεκράτησαν, ἐπεὶ πάντα τὰ ἔθνη ἄπορα τὰ ἐκεῖ χωρία εἶχον, σκυθικὰ μὲν δὴ καὶ κοινῇ ὀνομάζεται· ἔνιοι δὲ αὐτῇ σαυρομάται ἢ μελάγχλαινοι

λάχλαινοι, ἢ ἄλλο τι ἐπικαλοῦντο. σφίσιν δὲ τὴν χώρου φασὶν, ὅπερ ὁ λόγος ὑμῖν ἐστι, τὴν μὲν κιμμερίων τανίας πως ἐν κυνηγεσίῳ δηϊβίλῳ ἔχειν: ἔλαφον δὲ μίαν σφῶν ἀυτῶν φεύγουσαν, ἐς τὰ ὕδατα ἐσπηδῆσαι ταῦτα: τὸν τε τανίαν εἴτε φιλοτιμίᾳ ἔτι φιλονικεΐᾳ τινὶ ἐχομένους ἢ καί τι δαιμόνιον ἀυτοὺς κατηνάγκασε, τῇ ἐλάφῳ ἐπισπέσθαι ταύτῃ, μηχανῇ τοῦ μεθήκοντος ἀυτῆς ὑδρυμα, ἕως ξυὺν ἀυτοῖς ἐς τὴν ἀντιπέρας ἀκτὴν ἵκοντο: κἠ τὸ μὲν διανοήμονον ὁ τί ποτ' ἐνῆν, δύθυς ἀφανισθῆναι. δοκεῖ γάρ μοι ὡς ὐδὲ ἄλλου τοῦ ἕνεκα ἐσταῦθα ἐφανῆναι ὅτι μὴ τοῦ γενέσθαι κακῶς τοῖσδε ὠκημένοις: βαρβάροις. τὸν δὲ τανίαν τὸν μὲν κυνηγεσίου ἀποτυχεῖν: μάχης δὲ ἀφορμὴν καὶ λείας δῄου. ἐς ἦθος γὰρ τοὺς πάλαι ὀπαδίσκους ἐπαινέσαντες, ἔνδηλα ποιοῦσι κιμμερίοις πεποίλῳ, ὅτι δὴ ταύτῃ βαθεῖα σφίσι τὰ ὕδατα εἴη. ἀνελόμενοι δὲ ἀυτίκα τὰ ὅπλα, παιδιαί τε ἀγαθαὶ ἔντονοι μεμνημένοι ὐδρυμάτων ἐν τῇ ἀντιπέρας ἠπείρῳ. βασιλέων μὲν ὅσῃ ἐνθένδε ἀναξάντων ὅτι τὰ λευκὰ ἱδρυσαμένων, ἐν ἱππασίᾳ δὲ ὐϊσηγότθων οἰκησαμένων. τοῖσδε οὖν τοῖς ἐς τὰ τῇδε ὠκημένοις πεδία, ἐξαπίνης ὅπη ἐσῆσαν, πολλοὺς μὲν ἔκτειναν, τοὺς δὲ λοιποὺς ἐξέωσαν ἅπαντας. ὅσοι τε ἀυτῶν ἄχρι ὑσχύσαν, ξυὺν παισί τε καὶ γυναιξὶν ἐνθένδε ἀναξάντες ἀπέλιπον μὲν τὰ πάτρια ἤθη:

ἦθη: διαπορθμευσάμενοι δὲ ποταμὸν ἵστερον ἐν χώρῃ τῇ ῥωμαίων ἐγένοντο. καὶ πολλαὶ μὲν τὰς ταύτῃ ᾠκημένους διῆκαν ἔδραμον: μεταδόντος δὲ βασιλέως ᾠκήσαντο ἐς τὰ ὄπιθεν θερείης χωρία: καὶ τὰ μὲν ξυνεμάχουν ῥωμαίοις, τάς τε συντάξεις ὥσπερ οἱ ἄλλοι ἐδέποντο παρὰ βασιλέως κομιζόμενοι ἀνὰ πᾶν ἔτος καὶ φοιδεράτοι ὀπηλήθοντες. ὅτε γὰρ αὐτοὺς τότε λατίναν φωνὴ ἐκάλεσαν ῥωμαῖοι: ἔχεῖνο οἶμαι σημαίνοντες ὅτι δὴ οὐ κατημένοι αὐτῷ τῷ πολέμῳ Γότθοι, ἀλλ' ὅτι ξυνθήκας πρὸς ἐναντίους ἐγένοντο σφίσι. φοίδερα γὰρ λατῖνοι τὰς ἐν πολέμῳ καλοῦσι ξυνθήκας, ἅπερ μοι ἐμπεφόρτισται διδάσκαλος λόγους. τὰ δὲ καὶ πόλεμον πρὸς αὐτοὺς διέφερον οὐδενὶ λόγῳ ἕως ὧν ἔσχον ἀπόντες ἐς Ἰταλίαν διαδιαίτησιν ἡγουμένου σφίσι. τὰ μὲν δὴ τῷ Γότθων τῇδε κεχώρηκεν. ἔννοι δὲ αὐτῷ τὰς μὲν κτείναντες, τὰς δὲ ὥσπερ ἐρρήθη ἐξαναστήσαντες, τὴν χώραν ἔσχον. καὶ αὐτῷ κουρίδιαι μὲν παῖδας καὶ γυναῖκας μεταπεμψάμενοι, ἐνταῦθα ἱδρύσαντο, οὗ δὴ καὶ ἐς ἐμὲ φῶτα: καὶ γὰρ τῶν πολλὰ πρὸς βασιλέως ἀνὰ πᾶν ἔτος κομίζουσι, καὶ ἀγχιβαίνοντες ποταμὸν ἵστρον καταβαίνουσι σταθμὸν τὴν βασιλέως χώραν, ἔννοοί τε καὶ πολέμιοι ῥωμαίοις ὄντες. ἐτέρωθι δὲ ξὺν τῷ ἥμισυ μέρει τοῦ στρατοῦ οἴκησιν ἀπενεμήσαντο, μόνοι πολιορκοῦντες ἐνταῦθα καθεζόμενοι

νοι, ὅπερ ἐπειδὴ λίμνης τῆς μαιώτιδος ἀγχοῦ ἐλάνοντο, Γότθοις ἐνταῦθα τοῖς τε ξαυξίταις καλλιμόλοις ἐπέτυχον. καὶ τὰ μὲν σφέτερα φερεξεμόλυοι τοῖς ἀστίσιν οἱ Γότθοι, αὐτικὰ τοῖς ἔνθεσιν ὡς ἀμυνόμενοι ἔκτασαν, αὐτίκα τε τὰ σφέτερα καὶ χωρίου ἰσχυῖ ἁρπαγεῦντας. αὐτοὶ γὰρ ἀλλιμαῖται ἀπάντων εἰσὶ τῶν βαρβάρων: καὶ ἡ ἁρπαγὴ τῆς μαιώτιδος ἐκεῖθεν, ἔδη ποτὲ δὴ τὰ ξαυξίται Γότθοι ἱδρυθῆ, ἐν πολέμῳ ξυμβῆναι μηδεμιᾶ εἶ, ὡδὲ ἀλοῦσά τε αὐτοὺς ἐν τῷ ὅπλα πλεῖστον, μὴ ἐπ' αὐτοὺς εἶσθαι ἐλίαν ἀδρεῖαν αἰεὶ τοῖς ἔνθεσιν παρεῖχετο. ὕστερον δὲ (ἔτη γὰρ ἤδη πολλὰ ἐνθάδε σφίσιν ἐνταῦθα ἦν ἤδη, ἔτε Γότθοι τῷ πολεμίῳ ὁμίλῳ ἔνοπλοι ἀνθίξαντο ὑδραικῶν πλησίον) ἐς λόγους ἀλλήλοις ξυνίασιν, ἐπ' ἐπὶ ἐνὶ μιχθέντες κοινῇ ποιήσονται τὴν διάβασιν: καὶ οἱ Γότθοι ἱδρυόμενοι μὴν ἐν τῇ πρέσβεως ἠπείρῳ παρ' αὐτῶν τῆς ἐμβολῆς μείλιστα τὸ αὐτῶν, ἵνα δὴ μὴ ταυτῇ ἱδρυθῆ: φίλοι τε καὶ ξύμμαχοι πολλοὶ ἀπὸ ἀτηρεύσεως ὄντες ὅτι τῶνδε καὶ ὁμόφυλοι σφίσιν ἐνταῦθα βιώσονται τὰ πάντα αἰῶνα. ἔτι μὲν οὖν ὅδε Γότθοι τῇδε ἱδρύσονται, καὶ τῇ κουξιμούσῃ, ὥσπερ μοι εἴρηται, ἀπολειφθέντων ἐν γῇ τῇ ἑτεροθαλάσσῃ τῆς λίμνης ἔτι, μόνοι ἐτίμησαν οἱ χώρων ἔσχον, προκύμασιν ῥωμαίοις ὡς ἥκιστα παρεχόμενοι, ἐπεὶ ἐλλάδα ἄγχιστα ὤκουν), ἀλλ' ἔθνεσι πολλοῖς ἐλευθέροις μιγαξὺ

μεταξὺ δὲν ἀκουσίου ἀφαγμοσυνὴ ἐς ἀυτοὺς ἔχον). ὑποδεκτὴ δὲ λίμνη τε τὸν μαιώτιδα καὶ ποταμὸν τάναϊν, ἐσπλεῖσον μὲν τὸν τῆδε πεδίον κουζηνοι οὖννοι, ἥπερ μοι εἰρήθη, ὠκήσαντο. μετὰ δὲ αὐτοὺς σκύθαι τε καὶ ταῦροι ξύμπασαι ἔχουσι τὸν ταύτη χῶρον, ἤπερ σειρά τις ταυρικὴ νεῶν ἐπικαλεῖται, ἣν δὴ καὶ τῆς ἀρτέμιδος τὸ νεὸν γεγονέναι φασὶν ἥσπερ ποτὲ ἡ τὸ ἀγαλμάμενον Ἰφιγένεια κρύπτει. καὶ οἱ σκύθαι τε τὴν χώρα τανόμα πῦτο γεγονέναι φασὶ, σκύθας τὲ τὸν ταυρικὰ ξύμπαντας καλεῖσθαι τοὺς ἐνταῦθα ἀνθρώπους, τὰ μεμιγμένοι τοῖς ἀμφί τε ὀρέστη καὶ πόλει Κομάνῃ διδυμμένοις μοι ἐς ἐκεῖνο τὸ λόγου. ἀλλὰ τοῦτ' μὲν τόταν λεχθέντα ἔχας ὧδε ἔστω αὐτῷ βυλομένῳ ἐστί. πολλὰ γὰρ τῶν ἑτέρωθι γεγεμμένων ἴσως δὲ καὶ ἀδαιμῆ ξυμπεπλωκότων ἀνθρώποισι ποιεῖσθαι φίλσιν ὡς πάτρια ἦθη, ἀλλαναχτοιῶντες μὲν μὴ τῇ δοκήσῃ τὰ αὐτῷ ἅπαντες ἔσονται. μετὰ δὲ τὰ ἔθνη ταῦτα, πόλις θαλάσσῃ οἰκεῖται βόσπορος ὄνομα, ῥωμαίων κατήκοος γενομένη ὑ πολλῷ πρότερον. &c.

E A-

EADEM
LATINE.

* * *

SVPRA Sagidas Hunnicæ variæ nationes ſitæ ſunt. Dehinc autem Eulyſia regio appellatur. Barbari autem eius incolæ & mediterraneis locis & ad maris litora habitant ad Mæotim vſque paludem & Tanaim fluuium qui in eam paludem influit. Ea autem palus in Euxini ponti litus labitur. Eius autem regionis accolæ olim quidem Cimmerij nominabantur, nunc autem Vturguri: & ſupra eos ad Aquilonem Antorum Amera. vltra eum autem locum vnde paludis eruptio incipit, habitant Gothi Traxitæ nomine, non multi, ſed qui Chriſtianorum legem colentes, eam accurate tuentur. Vocant autem incolæ Tanaim etiam illam eruptionē quæ à Mæotide palude incipiens ad Euxinum vſque pontum pertinet, itinere, vt aiunt, dierum viginti. quin & qui inde ſpirat ventum Tanaitem appellant. An autem Gothi iſti, quemadmodum & Gothicæ gentes cæteræ, Arrianam olim ſecuti ſint perfidiam,

Digitized by Google

perfidiam, an aliam aliquam, non dixero, quando nec ipsi id sciunt. sed hodie amore multo & tranquillitate hanc doctrinam colunt. Hi paullo ante, nimirum XXI. anno imperij Iustiniani, legatos quatuor Byzantium misere, Episcopum sibi concedi postulantes, quando qui ipsis sacerdos erat, mortem haud ita dudum obierat. Inaudierant autem & Abaugis ab Imperatore missum esse Pontificem. Et Iustinianus quidem promtissime, eorum annuens precibus ad eos Episcopum misit. * Legati autem isti Hunnorum Vtigurorum cùm à multis quam ob causam ad Imp. veniissent, rogarentur, publicè nulla alia de causa quàm sacerdotis accipiendi iter sibi suscep-tum testabantur. Postquam verò interius admissi clam conuenerunt, quomodo res Romana commissis inter se qui sibi vicini erant barbaris, iuuaretur, aperiunt. Qui autem & vnde profecti Traxitæ isti, sedes ibi posuerint, dicam. Olim ingens Hunnorum, qui Cimmerij tunc dicebantur, multitudo ea quæ dixi loca inhabitabat, iisque princeps vnus præerat. Contigit autem olim quendam ex iis duos habere filios, alterum Vturgur nomine, alterum

rum Cutrigur. qui post parentis mortem imperio inter se diuiso, cognomen suum populis sibi subiectis quique tribuerunt. Hi enim Vtiguri, illi Cutriguri hodieque nominantur. Isti omnes ibi habitant studiis quidem inter se per omnia similes, impermixti autem inter se. Hi verò in altera paludis eiusque eruptionis parte sedent, qui olim aquas illas neque traiiciebant, neque traiici posse existimabant, in expeditiora loca facile migrantes, cùm neque transmittere tentarent, neque solliciti de traiectu vllo modo essent. Paludem autem Mæotidem eiusq. eruptionem transgredienti, statim occurrebant olim ad eius oram Gothi Traxitæ nominati, quorum modò memini. Longe autem ab iis Gothi, & Visigothi, & Vandili, & cæteræ Gothicæ nationes omnes, qui & Scythæ superiorib. temporibus dicebantur. quandoquidem communi vocabulo Scythicæ nominabantur nationes eæ omnes quæ loca ea incolebant, earum autem aliquæ Sauromatæ, aut Melanchalæni, aut alio quo nomine. Procedente autem tempore ferunt, si vera est narratio, iuuenes quosdam Cimmerios venatione se exercere solitos,

in ceruam incidiſſe, quæ eos cum fugeret, in aquas illas inſilierit, iuuenesque laudis cupidine, an victoriæ amore, an diuino cogente numine, ceruam perſecutos donec ſimul cum ea in aduerſam paludis marginem peruenisſet. Et id quidem quod inſequebantur quidquid illud fuerit, ſtatim euanuiſſe. Videtur enim mihi nulla alia de cauſſa ibi apparuiſſe quam vt male eſſet barbaris, qui ea loca incolebant. Iuuenes igitur iſtos venatu fruſtratos, pugnæ prædæque occaſionem nactos. Quamprimum enim ad patrias ſedes reuerti, Cimmerios docuerunt tranſmitti aquas iſſas poſſe. Raptis igitur armis omnes ſimul tranſgreſſi, confeſtim in altera ripæ parte exſtiterunt, Vandilis iam inde digreſſis & in Africa conſtitutis, Viſigothis autem in Hiſpania habitantibus. Gothos igitur locorum incolas aggreſſi multos necant, cæteros in fugam vertunt omnes. Quicunque autem eorum vim effugere potuere, aſſumtis liberis vxoribusque inde profecti ſedes patrias reliquerunt, & Iſtro fluuio tranſito in Romanorum regione conſtiterunt: vbi cum grauiter incolas vexaſſent, in vicinis Thraciæ locis concedente Imp.

confederunt. Et partim quidem Romanis auxiliares erant, & quotannis stipendium ab Imp. sicut cæteri milites, accipiebant, Fœderati cognominati (ita enim Latina voce eos Romani dixere, illud opinor subinnuentes non bello à se victos, sed pactionibus certis amicos factos Gothos. (Fœdera enim Latini pactiones quæ in bello fiunt adpellant, sicut superius à me dictum est.) partim autem bellum cum eis meditabatur, donec Theuderico duce in Italiam peruenerunt. Et Gothorum quidem res ita se habent. Hunni autem eorum partem mactantes, partem, vt dictum est, excubantes, regionem obtinebant. Et ex eis quidem Cutriguri liberis vxoribusque adsumtis ibi confederunt, vbi hodieq. habitant, & munera ab Imp. multa singulis annis percipiunt, & transuecti Istrum fluuium, semper Imp. subiectam regionem populantur, fœderati simul & hostes Romanorum. Vtigouri verò cum suo duce domum redierunt, soli in posterum eam regionem obtinentes. Hi cum prope Mæotidem paludem applicuissent, in Gothos & eos qui Traxitæ dicuntur, inciderunt. Ac primo quidem

Gothi

Gothi scutis armati obuiam aggredientibus processerunt sese defensuri tam viribus quam locis fidentes. Hi enim sunt barbarorum omnium fortissimi; & prima Mæotidis eruptio ad quam tunc Traxitæ Gothi habitabãt, in Lunæ speciem sinuata, eosque vndique prope ambiens, ingressum ad eos vnicum eumque admodum angustum inuadentibus præbebat. Postea tamen cum neque Hunni multum temporis ibi terendum sibi esse constituerent, neque Gothi pares se hostium multitudini cernerent, inter se collocuti, traiicere omnes simul deliberant, ea conditione, vt Gothi in continente vltra ripam ad eruptionis ipsius oram sedes figãt, vbi etiamnum habitant, & amici sociique de cætero sint Vtigurorum in perpetuum pari cum Hunnis iure. Ita igitur Gothi ibi habitarunt, & Cutriguris in vlteriore Mæotidis paludis continente, sicut dictum est, relictis, soli Vtiguri eam regionem tenuerunt negotium Romanis minime exhibentes, quorum neque sunt vicini admodum, & interiectis multis nationib. otium vel inuiti colunt quantum ad Romanos attinet. Transmissa autem Mæotide pa-

Digitized by Google

lude & Tanai flumine, Cutriguri Hunni, ſicut dictum à me eſt, magnam partem eius tractus incolunt. Poſt eos Scythæ & Tauri totam occupant eam regionem quæ Lacinia Taurica hodieque dicitur, vbi & Dianæ aiunt fuiſſe templum cuius Agamemnonis filia olim fuit antiſtita. Præterea Scythæ aiunt tum regioni id nomen fuiſſe, tum etiam Scythas vocari eos omnes qui ea loca habitãt, id ex iis conijcientes quæ de Oreſte & Comana vrbe narrata à me ſunt cum de iis mentio incidit. Sed de his ſuum eſto cuiq. iudicium. Pleraque enim quæ vel alibi geſta ſunt, vel etiam nunquam acciderunt, quidam comminiſci gaudent tanquam ſint genuina & vbi nati ſunt, geſta, ægrè ferentes niſi ſuam opinionem cæteri omnes tueantur. Poſt eas verò gentes, vrbs maritima habitatur Boſphorus nomine, non ita dudum Romanis obediens. &c.

Caſti-

Digitized by Google

Castigationes
IN
ISIDORI
CHRONICON GOTHORVM.

EXIMIA *quædam fuit & singularis* CL. V. *Petri Pithœi I. C. cum Iuris, tum antiquitatis & linguarum historiarúmque cognitio. Testantur id præclara ipsius scripta quibus rem literariam illustrauit, neque de suo tantum seculo sed de omni posteritate quàm optimè est meritus; neque porrò destitisset plura cotidie doctrinæ industriæq; suæ monumenta edere, nisi ipsum Deus ex hoc mundanæ vitæ ergastulo ad cælestem illum beatorum cœtum euocasset. Cuius quidem obitus vt bonis omnibus & doctis viris per quam acerbus accidit, ita hoc eis maximo solatio esse potest, quòd in* CL. V. *Francisco Pithœo I. C. germano illius fratre, optimoq; λαμπαδηδρόμῳ, par eruditio, iudiciiq; acrimonia, par etiam de omni literatura bene merendi & voluntas & facultas vigeat; quem vt Deus Reip. literariæ quàm diutissimè seruet incolumem, eiusq; studia benignitatis suæ aura aspiret, obnixè precamur. Inter alia verò quamplurima monimenta anti-*

quitatis que Petrus Pithœus à situ interituq; vindicauit, sunt etiam Leges Gothorum, & hoc Isidori Chronicon in quo multa sunt scitu dignissima, neque apud alios historicos obuia. Cum vero per inscitiam vti fit librariorum multa in hoc Chronicon errata in supputatione temporum atque Erarum incidissent, eorumq; me monuisset Illust. V. Iosephus Scaliger, operæpretium me facturum putaui, si eorundem etiam Lectorem admonerem. Neque enim exiguum vsum hæ Castigationes sunt habituræ, ad alia eiusdem farinæ errata quæ in Gregorium Turonensem aliosque scriptores irrepserunt, corrigenda.

PAG. itaque 201. lin. 18. vbi legitur, ERA CCXIIII.] Hîc nota vnitatis pro notâ centenarij irrepsit; vt non semel apud Greg. Turon. & alios. Legendum enim CCXCIII; qui erat annus Valeriani & Galieni Impp. tertius.

Ibid. *Anno * Valeriani,*] lege, Anno III. Valeriani, vt iam diximus.

202, l. 8. ERA CCCLXVIIII;] Hinc excidit, nota centenarij. lege: CCCLXVIIII: qui erat annus Christi Dionysianus CCCXXXI: atque adeò erat XXVI. Constantini Magni, vt noster auctor vult: quandoquidem maxima pars veterum & recentiorum annum primum imperij Constantini statuunt in anno Christi 306. Sed de hac re consule lib. v. De Emendatione temporum.

Ibid.

Digitized by Google

Ibid. l. 20. ERA CCCVIII;] Hinc quoque excidit vnus centenarius. Legendum: CCCCVIII; Nam annus quintus Valentis est Christi 369. proinde ERÆ Hispanicæ 407. Valentinianus enim iniit imperium fine Februarij anni Christi 364. Cum autem imperasset annũ vnum, mensem vnum, acciuit ad societatem Imperij Valentem fratrem, anno Christi 365, ERA 403. Ergo annus Valentis quintus erat ERÆ 407.

203, l. 7. ERA CCCCXV. *Anno* XIIII. *Valentis.*] Ex iis quæ supra demonstrata sunt, legendum, Anno XIII. Valentis.

205, l. 9. *Anno Honorij & Arcadij.*] lege, Anno XV. Arcadij. ERA ipsa, & temporum ratio, & Fasti consulares hoc probant.

206, l. 19. ERA CCCCXLVIIII. *Anno primo Theodosii minoris.*] Arcadius obiit Kal. MAI: ERA CCCCXLVI. vnde init Imperium Theodosij minoris Arcadij F. Ergo hîc perperam legeretur: CCCCXLVIIII; pro CCCCXLVI; Sed non est error librarij, cum sequenti capite annus septimus Theodosij minoris sit ERA CCCCLIIII; quæ debebat esse CCCCLII. Biennio enim plus dicit vtrobique. Itaque secundum Isidorum Arcadius obierit Anno Christi 410, ERA 448.

208, l. 20. ERA CCCCLXVII. *anno* * *Theodosii minoris.*] Secundum Isidorum is erat annus Theodosij minoris vicesimus. Itaque haud dubiè Isidorus scripsit ERA CCCCLXVII; anno XX. Theodosij minoris.

209. l. vlt. ERA CCCCXC; *anno Marciani Imp. primo*] v. Kal. Augusti ERA 488, anno Christi

Digitized by Google

Dionyſiano 450. cœpit regnare Marcianus. Hic tamen eius annus primus coniicitur in ERAM 490. Quare vno ſaltem anno plus dicit, vt & in ſequenti capite.

215, l. 3. ERA DXLV, *anno* XXVI. *Anaſtaſii Imp.*] Legendum, Anno XVII. vt ſuprà.

Ibid. l. 16. ERA DLXIIII; XIIII. *anno Iuſtiniani*] Locus valde perturbatus. Iuſtiniani annus primus conſurgit ex Anno Chriſti Dionyſiano 527, Indictione V, ERA 565. Proinde annus XIIII. Iuſtiniani congrueret ERÆ DLXXVII, qui tamen hic eſt DLXIIII, haud dubiè nõ Iſidori, ſed librariorum culpa, cum conſtet Iuſtinianum nondum iniuiſſe Imperium ERA DLXIIII.

216, l. 1. ERA DLX *nona*] Certo certius eſt, hinc excidiſſe notam denarij, & legendum eſſe ERA DLXX nona. Vel, quod idem eſt DLXXVIIII. Id planè confirmat, antecedente capite legendum DLXXVIII.

217, l. 4. ERA DLXXX; *anno* XII. *Iuſtiniani.*] Hîc nota vnitatis, pro nota quinarij poſita. Lege, Anno XVI.

Ibid. l. 10. ERA DLXXXIIII. *anno* XVI.] Hîc nota quinarij pro nota Denarij ſuppoſita. Lege, XXI. quanquam viceſimus annus Iuſtiniani ille erat, non autem viceſimus primus.

Ibid. l. 18. ERA DXCIII; *anno* XXXVIII. *Iuſtiniani.*] Lege, anno XXVIII. Iuſtiniani.

218. l. 8. ERA DXVIII] Lege, DXIIII; qui erat annus Chriſti 566, ſecundus Iuſtini Iunioris, ex Idibus Nouembris. Sequenti quoque capite legendum, ERA DXIIII;

237, l. 22. *Anno Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti* DCCLXXII.] Hîc vnus centenarius abundat. Lege DCLXXII.

Initia itaque regni Gotthorum in Hiſpania ratione Erarum Hiſpanicarum, & Annorum Chriſti ordine qui ſequitur diſtingue.

Anni Æræ *Hiſpanicæ.*	Anni *Chriſti.*	
407	369	Athanaricus.
420	382	Alaricus cum Radagatho.
449	411	Athaulphus.
454	416	Segericus.
454	416	Wallia.
457	419	Theuderedus.
490	452	Turiſmundus.
491	453	Theudericus.
504	466	Euricus.
521	483	Alaricus.
544	506	Geſalricus.
549	511	Theudericus.
565	527	Amalaricus.
569	531	Theudis.
586	548	Theudiſculus.
587	549	Agila.
592	554	Atanagildus.
605	567	Liuua.
606	568	Leouigildus.
624	586	Reccaredus.

Anni ÆRÆ Hiſpanicæ	Anni Chriſti.	
639	601	Liuua.
641	603	Wittericus.
648	610	Gundemarus.
650	612	Siſebutus.
659	621	Suinthila.
669	631	Siſenandus.
674	636	Chintila.
678	640	Tulca.
680	642	Chindaſuintus.
710	672	Wamba.
718	680	Eruigius.
725	687	Egiga.
739	701	Witiza.
749	711	Rudericus.

De ratione vero Erarum Hiſpanicarum qui plura cognoſcere velit, adeat Iosephi Scaligeri libros de Emendatione temporũ, Theſaurum incomparabilem, quem ab ipſo accuratiſſime recognitum, & infinitarum rerum ſcitu digniſſimarum acceſſione locupletatum, proximus, vti ſpero, Autumnus è typographeio Plantiniano in lucem proferet.

IN

INSCRIPTIONES

Regum Gothorum.

† IND. IN. M. WAMBA Bz
CORDOBA PATRITIA.

*

† SVINTHILA. REX
CORDOBA. TOPRM.

*

† ID. INM. ERVIGIVS Bz.
CORDOBA PATRITIA.

*

† IΔINM. ERVIGIVS. Bz.
† ISPALI. PIVS.

*

† WITTERICVS. RE
† PIVS. ISPALI.

*

† ..... WAMBA. Bz.
ISPALI. PIVS.

*

† RECCAREDVS REX.
† PIVS. ISPALL.

*

† SISEBVTVS RE
† ISPALI. PIVS.

*

† SVINTHIL. RE
† IVSTVS. TV: CI.

SVIN-

Digitized by Google

*

† SVINTILA RE
† PIVS. ELIBER.

*

† SISEBVTVS. RE
PIVS. ELIBERRI.

*

† RECCESVINΘVS R
† BRACARA. PIVS.

*

† I. DINM. EGICA R. VCTR. B.

*

† RECCAREDVS REX
† EMERITA VICTOR.

*

† SISEBVTVS RE
† EMERETA PIVS.

*

I. DINMN ERVIGIVS R.

*

† IND. N. M. WITIZA R.

*

† LEOVIGILDVS REX.
TOS ELVORA. IVS.

*

† RECCAREDVS. RE
† TOS ELVBIA.

*

I. DI. NMN. eſt I. $\overline{DI}$. NMN.
Hoceſt, IN DEI NOMINE.

NOTÆ

NOTÆ
IN
PROCOPII FRAGMENTVM
DE SEDIBVS GOTHORVM.

HVIVS *etiam præclari fragmenti Procopiani editionem, sumtam ex Descriptione Ponti Euxini, quæ cum integro vno Procopij libro desideratur in Latinis quotquot adhuc in lucem prodierunt illius authoris editionibus, debemus eiusdem quem antea laudaui Petri Pithœi diligentiæ. Quod quidem fragmentum quòd magnam rebus Gothicis lucem adferat, ita vt ante annos aliquot Græcè & Latinè Lutetiæ apud Sebastianum Niuellium ad calcem Legum Gothicarum est editum, Iornando meo adieci. Castigationesq; illius Lutetianæ editionis margini adiectas quæ mihi δυσόχως ἔχειν videbantur in contextum recepi. Errata verò plura quæ librariorum vitio irrepserant, & adhuc residerent, & interpretem fefellerunt, quoad potero inpræsentiarum corrigam.*

PAG. 239, *lin.* 18. ὀνομάζοντ) loge ὠνομάζοντο.

l. 20. τὰ ἄντων ἄμμες ἴδρωντ)) Insigne hoc erratum vitio, non dubitauerim, librarij in exemplar MS. quo vsus fuit interpres irrepserat. In Procopio, cuius exemplar nobis Nobiliss. Amplíss. que vir Aug. Iac. Thuanus consiliarius Regius

gius, & ſupremæ Curiæ Pariſienſis Præſes, pro ſingulari ſuo ad iuuandam promouendamque rem literariam ſtudio ac beneficentia, tranſcribi curauit, ita legitur, ἔθνη τὰ Αντῶν, deinde ex ductibus ſequentis vocis nonnihil alioquin intricatis, ſatis tamen conſtat legendum ἄμιβα. vt ſit ſenſus planiſſimus: vltra Vturguros Boream verſus infinitas Antarum gentes habitare. De qua gente vide Iornandem pag. 16.

l. 22. ὅι τε πραξίδ. *lege* οἱ τε πραξίδ.

240. *l.* 7. ἀλλὰ φιλίᾳ τε ἅπαντι καὶ ἀφραγμοσύνῃ πολλῇ πρὸς τὸν δόξαν) Error manifeſtus ſuo potius inſcitia Græculi alicuius ſcribæ, qui pro ἀλλ' ἀφιλείᾳ &c. ſubſtituit ἀλλὰ φιλίᾳ, interpretem fefellit.

l. 15. προπιώταλα. *lege* προθυμόταλα.

l. 17. οἱ δ' πρέσβεις ὅτι ἔννων τῶν ὑτυργούρων ἐς μὲν τὸ ἐμφανὲς αὐλητικῶν πολλῶν ἀποκρύζονλες) Vnica vocula vel omiſſa vel neglecta effecit vt interpres authoris ſententiam minus aſſequeretur. Scribe itaque, οἱ δ' πρέσβεις ὅτι δέ τῶν ἔννων &c. quorum & ſequentium hic eſt ſenſus: Legati autem hi metu Hunnorum Vtugurorum palam quidem multa quæ ex auditu acceperant muſſitantes atque celantes (nam hoc eſt τὸ ἀποκρύζοντες) cuius rei cauſa venirent, aliud quidem nihil quàm de Epiſcopo detulerunt. Clam verò admodum ad arcanum colloquium admiſſi, omnia aperiunt quæ Romanorum imperio conducibilia fore iudicabant, cùm finitimi barbari aſſiduis inter ſe diſſenſionibus conflictarentur.

l. 21. λαγγαιόπλα) *lege* λαθγαιόπλα.

l. 24

l. 24. οἵτε ξαξίᾳ) *lege* οἱ τεταξίᾳ vt ſuprà.

241. *l.* 15. πρὸς τὰ δίκολώπιλα πρόφοροι ὄντες) Ita emendaui, cùm antea legeretur in contextu πρόφοι, & in margine poſitum eſſet πρόφοροι. quam lectionem ſecutus interpres vertit, *Inexpeditiora loca facile migrantes*. Ego verò contendetim legendum πρόφοροι. vt ſit ſenſus: Eos ad traiectum, qui alioquì facillimus erat, tentandum valde meticuloſos fuiſſe. Cuius quidem metus cauſam ſtatim ſubiungit, πρὸ μιᾶς ἅπαντας διαπειρᾶσθαι ἑλῶν πρότερον. hoc eſt, quòd nemo vnquam aquas illas traicere tentaſſet.

l. 20. ὅι τε πραξίᾳ) *lege* οἱ τεταξίᾳ.

l. vlt. μελαίγχλαινοι) De his & Erulis, & quos Hiſpani *Herreruelos* vocant, Germani *Swarte ruyters*, dicam in Notis meis in Procopij hiſtoriam.

242, *l.* 6. φιλονικία) Erratum typographicum; *lege* φιλονικίᾳ. & *l.* 12. ἄλλου τοῦ *lege* ἄλλου τε. & *l.* 13. τῆδε, *lege*, τοῖς τῆδε. *l.* 20. βανδήλων *lege* βανδίλων.

243, *l.* 18. ἐξανασώσαντες) In verſione Latina eſt, *Excubantes*, quod quidem veriſimile eſt erratum eſſe typographicum. Lege itaque *Exturbantes*.

l. vlt. καθιζόμενοι) rectius καθιζησόμενοι. & pro eo quod eſt in Latina verſione *obtinentes*, lege *obtenturi*. vel *inſeſſuri*.

244, *l.* 24.) ἐν τῇ γῇ ἀπὸ θαλάσσα) *lege*, ἐν τῇ γῇ ὅση θάλασσα τῆς λίμνης. hoc eſt, in terra ad vtrunq. paludis latus.

245, *l.* 7. ἤπερ σφέ τις παυσαὶ χὴ νυῦ ὀπιπαλεῖται) Int.

Int. *Quæ Spina Taurica hodieq; dicitur.* vbi ad marginem appositum erat *Lacinia.* vide an pro σπερὰ legendum sit ἀκτερὰ. vtraque verò lectio mihi parum integra videtur.

l. 17. ἄνθρωποι φρασσικτεῖδες φιλοῦσιν ἀς πέτρας ἥθη) vide an rectius pro φρασσικτεῖδες legi possit φροσκτεῖδες.

Atque hæc quidem nunc temporis in hunc Procopij locum annotasse sufficerit. Pluta, quæ fortassis in mentem venient, in Notis meis in totum Procopium; cuius vno, vt supra dixi, libro auctioris nouam versionem adorno, & quàm fieri poterit citissimè in lucem emittam.

FINIS.

Digitized by Google

IORNANDES Episcopus Rauennas DE REGNORVM AC TEMPORVM *successione*.

IORNANDES VIGILIO S. D.

VIGILANTIAE vestræ, nobilissime frater Vigili, gratias refero, quòd me perlongo tempore dormientem vestris tandem interrogationibus excitastis. Deo magno gratias, qui vos ita fecit sollicitos, vt non solùm vobis tantum, quantum & aliis vigiletis, macte virtutis & meriti. Vis enim præsentis mundi cognoscere ærumnas, aut quando cœpit, vel quid ad nos vsque perpessus est, edoceri. Addis præterea, vt tibi,

quomodo reſpublica cœpit & tenuit, totumque penè mundum ſubegit, & hactenus vel imaginatiè teneat, ex dictis maiorum floſculos carpens breuiter referam: vel etiam quomodo regnum à Romulo, & deinceps ab Auguſto Octauiano, in Auguſtum venerit Iuſtinianum. Quamuis ſimpliciter, meo tamen pandam eloquio. Licet nec conuerſationi meæ quod admones conuenire poteſt, nec peritiæ: tamen ne amici petitionibus obuiemus, quoquo modo valuimus, latè ſparſa collegimus; & prius ab autoritate diuinarum ſcripturarum, cui & inſeruire conuenit, inchoantes, & vſque ad orbis terræ diluuium, per familiarum capita currentes, deuenimus ad regnum Nini, qui Aſſyriorum in gente regnans, omnem pænè Aſiam ſubiugauit, & vſque ad Arbacem Medum: qui deſtructo regno Aſſyriorum, in Medos illud conuertit,

Digitized by Google

tit, tenuitque vsque ad Cyrum Persam. qui itidem Medorum regnum subuersum in Persas transtulit,& exinde vsque ad Alexandrum Macedonem, qui deuictis Persis, in Græcorum ditionem Rempublicam demutauit. Post hoc quomodo Octauianus Augustus Cæsar,subuerso regno Græcorum, in ius dominationemque Romanorum perduxit. Et quia ante Augustum,iam per septingentos annos, consulum, dictatorum, regumque suorum solertia,Romana respublica nonnulla subegit, ab ipso Romulo ædificatore eius originem sumens, in vicesimoquarto anno Iustiniani Imperatoris, quamuis breuiter,vno tamen,in tuo nomine, & hoc paruissimo libello confeci, iungens ei aliud volumen,de origine actuque Geticæ gentis,quod iam dudum communi amico Castalio edidissem, quatenus diuersarum gen-

tium calamitate comperta, ab omni ærumna liberum te fieri cupias,& ad deum conuertas, qui eſt vera libertas. Legens ergo vtroſque libellos, ſcito quòd diligenti mundum ſemper neceſſitas imminet. Tu verò auſculta Ioannem apoſtolum, qui ait; Chariſſimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. quia mundus tranſit,&concupiſcentia eius: qui autem fecerit voluntatem dei, manet in æternum. Eſtoque toto corde diligens deum & proximum, vt adimpleas legem, & ores pro me, nobiliſſime & magnifice frater.

IOR-

Digitized by Google

IORNANDES

DE REGNORVM AC TEMPORVM succeſſione.

ROMANI, *vt ait Iamblichus, armis & legibus exercentes ſeſe, orbem terræ ſuum fecerunt. Armis ſiquidem conſtruxerunt, legibus autem conſeruauerunt. Quod & ego, ſequens eruditiſſimum virum, dum aliqua de curſu temporum ſcribere delibero, neceſſarium duxi opuſculo meo velut inſigne quoddam ornamentum præponere. Cupio namque ob inquiſitiones amici fideliſſimi, ex diuerſis voluminibus maiorum prælibans aliquos floſculos, pro captu ingenij mei, in vnum redigere, & in modum hiſtoriunculæ, tam annorum ſeriem, quàm etiam eorum virorum qui fortiter in rempublicam laborauerunt geſta ſtrictim breuiterque colligere. Quod quamuis ſimpliciter reor dictum videri doctiſſimis, gratum tamen fore exiſti-*

mo mediocribus, dum & breuia sine fastidio legant, & sine aliquo fuco verborum quæ lectitauerint sentiant. Ab origine etenim orbis, primáque creatione tam hominum quàm elementorum, vsque orbis terræ diluuium, secundum veridici legislatoris verba Moysi, duo millia ducentos quadraginta & duos annos collegimus. In quibus annis adhuc rudi & simplici hominum natura, non reges, sed familiarum capita in suo genere erant. Quorum tamen ordo huiuscemodi fuit. Adam protoplastus primusque mortalium, vixit annos CCXXX, *& genuit Seth. Seth vixit annos* CCV, *& genuit Enos. Enos autem vixit annos* CLXXXX, *& genuit Cainan. Cainan autem vixit annos* CLXX, *& genuit Malalehel. Malalehel vixit annos* CLXV, *& genuit Iareth. Iareth verò vixit annos* CLXII, *& genuit Enoch. Enoch verò vixit annos* CLXX, *& genuit Mathusalem. Mathusalem vixit annos* CLXXVII, *& genuit Lamech.*

Lamech quoque vixit annos centum octoginta octo, & genuit Noë. Noë verò ſexcentorum erat annorum, quando diluuium mundi crudeliſſima facinora expiauit. A cuius regimine, vel ab ipſo diluuio vſque ad confuſionem linguarum, quæ item ob delicta ædificantium turrim facta eſt in campo Sennaar & Heber, in quo Hebræorum genus & lingua priſca remanſit, quia nec in illa conſpiratione interfuit, ſunt anni quingenti vigintiquinque per familias, ſic. Arfaxat filius Sem, nepos Noë, qui poſt diluuium anno ſecundo eſt genitus, vixit annos CXXXV. *Cainan verò vixit annos* CXXXV, *& genuit Sale. Sale autem vixit annos centum* XXX, *& genuit Heber. Heber quoque vixit annos* CXXX, *& genuit Falech. A confuſione verò linguarum, & primatu Heber, à quo Hebræi, & vſque natiuitatem Abræ, quando & primus rex in gente regnabat Aſſyriorum Ninus, anno regni ſui* XLII, *ſupraſcripta familiarum ſerie, cur-*

rentes fiunt anni quingenti quadraginta vnus. Sic Falech vixit annos CXXX, *& genuit Ragan, Ragan vixit annos* CXXXII, *& genuit Saruch. Saruch autem vixit annos* CXXX, *& genuit Nachor. Nachor verò vixit annos* LXXIX, *& genuit Thare. Thare quoque vixit annos* LXX, *& genuit Abram. Simul ergo ab Adam vsque ad natiuitatem Abræ, id est ab ortu mundi vsque quadrageſimum ſecundum annum regis Aſſyriorum Nini, vt ſuprà diximus, per familias capitáque eorum fiunt generationes viginti. Anni autem* IIIMCCCVIII. *vnde iam relictis familiis, regum ſeriem proſequamur: & ſicut Euſebius ſeu Hieronymus, primùm Aſſyriorum, deinde Medorum, Perſarumque, & Græcorum regnum percurrentes, ad Romam imperium quomodo delatum ſit, vel quali tempore, latius, ſi dominus permiſerit, exequamur.*

Origo ergo regum regnorumque antiqua Aſſyria nobis amplexanda eſt, in qua primus

Digitized by Google

mus Ninus Beli filius, vrbẽ ſui nominis fabricãs Niniuen, regnauit annos XLII, *vbi à primo anno ipſius Nini, & vſque in vltimum annum Thonos Concoloros, quem regem Sardanapalum appellant, quem occidit Arbaces Medorum præfectus, regnum illud transferens in Medos, regnatum eſt à regibus* XXX & VI; *per annos* MCCXL; *ſic.*

1. *Ninus rex Aſſyriorum poſt natiuitatem Abrae, regnauit annos* X.

2. *Semiramis vxor Nini annos* XLII, *hanc dicunt quaſi Babyloniæ conditricem, quamuis non legatur quia condidit, ſed quia reparauit. Sub ea Abram adoleſcit in Chaldæa.*

3. *Zameis, qui & Ninias, filius Nini & Semiramidis annos* XXXVIII. *Cuius triceſimotertio anno facta eſt promiſſio ad Abraham, quum eſſet annorum* LXXV.

4. *Arius annos* XXX, *cuius decimo anno centenarius Abraham genuit filium Iſaac.*

5. *Aralius regnauit annos* XL. *huius in vltimo regni anno nascuntur gemini Isaac, id est Iacob & Esau.*

6. *Xerses qui & Baleus annos* XXX. *In huius regni tempore Iacob germanum fugiens Esau, descendit in Ægyptum solus, ditatusque cum turba ascendit.*

7. *Armanitres annos* XXXVIII. *Iacob à seruitute soceri Laban recedens, ad patrem reuertitur.*

8. *Belochus annos* XXXI. *hoc regnante Ioseph adolescens somnia sua fratribus & patri narrauit.*

9. *Baleus annos* XLII. *huius anno tricesimo Iacob penuria famis descendit in Ægyptum, ibique filium suum reperit præpositum terræ totius Ægypti.*

10. *Altadas annos* XXXII. *hoc regnante Iacob defunctus in Ægypto; cuius cadauer Ioseph cum magno honore locat in terra Chanaan.*

11. *Maminthus annis* XXX. *sub istius regni tempore, moritur Ioseph, & Hebræos*

Digitized by Google

bræos deprimunt Ægyptij grauissima ser-uitute.

12. *Manchaleus annos* XXX. *& hoc regnante ſeruitus durat in Ægypto Hebræorum.*

13. *Sperus annos* XXX. *huius regni temporibus vltimis, Ambra ex tribu Leui genuit Moyſen.*

14. *Mamilus triginta annis. & hoc regnante Moſes adoleſcens omnem philoſophiam didicit Ægyptiorum.*

15. *Sparetus annis* XL; *quo tempore Moyſes occiſo Ægyptio in terram fugit Madiam.*

16. *Aſcades annos* XL *huius regni anno octauo Moyſes quadringenteſimo trigeſimo anno repromiſſionis populum Hebræorum in ſignis & virtutibus educit ex Ægypto, eiſque in eremo per annos quadraginta legem exponit.*

17. *Amyntes* XLV *annis. huius nono anno moritur Moyſes, & Ieſus Naue ducatum populo præbet.*

18. *Belo-*

18. *Belothus annis* XXV. *ſub quo Othoniel iudex Hebræorum, populum & ſacerdotium continet Finees.*

19. *Belebares annis* XXX. *quo tempore Hebræorum Iudex Aioth, Allophyliq́ue infeſti omnino Hebræis.*

20. *Lamprides annis* XXXVII. *& in huius regno ipſe perdurat Aioth.*

21. *Soſares annis* XX. *& huius temporibus quamuis ſenex, tamen adhuc conſiſtit Aioth, pugnatq́ue cum alienigenis, & vicit adiutus à deo.*

22. *Lampares annos* XXX. *quo regnante Iudæis præerat Debora.*

23. *Pannias annis* XLV, *ſub cuius tempore præfuit Gedeon, qui & Ierobaal.*

24. *Soſarmius annos* XVIIII, *ſub cuius tempore Thola & Abimelech iudices erant Hebræorum.*

25. *Mithreus annis* XXIX. *ſub quo Iudæis præerat Jair.*

26. *Tantanes* XXII. *annis, cuius ſub regno iudices Hebræorum, Iheſebon & Labdon.*

Digitized by Google

Labdon. Nam & ipso tempore Græci Troiam vastauerunt; vnde Æneas fugiens in Italiam venit, se quoque cum Latino Fauni filio, Pici nepote, Saturni abnepote, affinitatis gratia iungens, accepta filia eius in vxorem Lauinia. vnitos Phrygas, Italosque populos nominauere Latinos, & sic deinceps quamuis in pauperrimo regno, locoque angusto, quod dicebatur Agrolaurentum, regnauerunt. Post Latinum Aeneas & successores eius, qui & Siluij Albanique vocati, pro Albana vrbe & pro postumo Aenea eiusdem Aeneæ, qui iccirco Siluius dictus est, quia Lauinia post mortem Aeneæ, timens Ascanij inuidiam, clàm eum in silua genera uit, Aeneamque Siluium nominauit. Ante quem, vt superius diximus, Italiæ regnatum est, à Iano, Saturno, Pico, Fauno atque Latino, per annos circiter CLXXX.

27. *Teuteus annos* XL, *sub quo Samson ille vltra fortes fortissimus iudex Hebræorum.*

28. *Tinneus*

Digitized by Google

28. *Tinneus annos* XXX; *hoc regnante anno decimo octauo, Heli ſacerdos audito nuncio de morte filiorum, arcáque teſtamenti ablata, cadens mortuus eſt.*

29. *Dercilus annos* XL; *ſub quo aliquantum tempus, Saul rex Hebræorum, alius verò rex Dauid ex tribu Iuda conſtitutus regnauit.*

30. *Eupales* XXXVIII. *annis hoc regnante anno triceſimo ſecundo, Salomon templum domini inchoauit, & perfecit ſingulare in mundo, per annos ſeptem.*

31. *Laoſthenes annos* XLV, *& hoc regnante Aſſyriis, Salomon regnat Hebræis, Sadoch verò & Achias Selonites prophetant.*

32. *Pritiades annis* XXX. *ſub quo iam mortuo Salomone, inter Roboam & Ieroboam regnum diuiditur Hebræorum, & alij Iudæi, alij dicuntur Iſraëlitæ.*

33. *Oſrathæus annis* XX. *ſub iſto in parte Iudæorum regnat Ioſaphat, Iſraëlitarum verò celeri morte Nabad & Baſa, Ela*

Digitized by Google

Ela & Ambri obeuntibus, tenebat regimen Achas cum Hiesabel.

34. *Ofrathenes annis* L. *sub quo Ioram, Ochozias, & Godolia, & Joas parti Iudææ regnabant; Israëli verò Ochozias, Ioram, & Iehu, principatui vnus post alium successerunt.*

35. *Acraiapes annis* XLII. *sub quo Amasias in Juda regno ascitus obtinet principatum; Israëli verò Joab, & Ioas, vnus post alium regnat.*

36. *Thonos Concoloros, quem Græci Sardanapalum nominant, annis* XX. *sub quo Iudæorum Azarias, qui & Ozias, Israëlitas verò Roboam. Regnum verò Assyriorum, post numeros annorum mille ducentorum & quadraginta finem tantæ diuturnitatis accepit, ad Medosque translatum est. Nam Arbaces præfectus Medorum, Sardanapalo occiso regnum eius inuasit, & in Medos deduxit.*

REGVM

REGVM MEDORVM SERIES.

ARBACES *Medorum rex annos* XXVIII. *ſub quo regnat adhuc Azarias, qui & Ozias, Iudæ in parte. In Iſraël autem poſt Roboam paucis diebus fuerat Zacharias, rurſuſque Sellum, quibus ſucceſſerat Manae.*

2. *Soſarinus annis* XXX. *In Iudæ parte regnabat Ioatham, Iſraëlitis Facee, quando & quintodecimo anno prima Olympias cœpta eſt numerari. Tunc etenim poſt innumerabiles, vt ita dicam, Laurenti loci, & Latij reges Siluios Albanosque, qui trecentos per annos in parte Italiæ regnauerunt, quamuis pauperrimè, Amulius rex Numitoris fratris ſui filiam Rheam nomine, quæ & Ilia vocabatur, veſtalem virginem fecerat. Quæ grauida inuenta, dum ſcelus ſuum nititur excuſare, à Marte ſe compreſſam mentita eſt. Ex qua genitis duobus, geminos rex exponi præcepit.*

Quos

Digitized by Google

Quos vagientes meretrix quædam, Lupa nomine, quum audisset, statim tollens ad Faustulum pastorem adduxit. Quos Accia vxor eius nutriens, inter alios pastores conuersari edocuit.

3. *Madiclus annos* XL. *quo Medis regnante, Iudæis regnabat Achas, Israëlitis alius Facee. annoque Madicli nono, septima Olympiade, Romulus eiusque germanus, quos inter pastores enutritos diximus, collecta pastorum multitudine, Romanæ vrbis ædificia inchoauerunt, suoque de nomine iunior, qui germanum peremerat, vrbem vocari Romam præcepit. Cuius actus, seriemque successorum eius saltu quodam prætergrediens, externa regna, vt cœpi, percurram; vt quum se locus obtulerit, ad eum ordinem redeam. tantùm quis legis, aduerte, ab origine mundi, ad huius vsque magnæ vrbis exortum annos fuisse* IIIIM. DCL.

4. *Cardices annos* XIII. *sub quo Ezechias filius Achas succedens regnat Iudæis.*

Nam Israëlitarum gentes supradicti Madicli quintodecimo anno, à Salmanassar Chaldæorum rege, Medorum sunt in montibus transductæ captiuæ, postquam regnassent in Samaria annos CCL.

5. *Deloces annos* LIII. *huius tempore primo Hebræorum ex Iuda Manasses ductus captiuus, & ferreis vinculis iligatus, fertur pœnitentiam egisse. Cuius & canticum pœnitentiæ legitur. Postea verò reuersus in regno suo, successorem reliquit filium suum Ammon.*

6. *Fraortes annos* XXIII. *sub quo Iosias rex Iudæorum, qui lucos succidit, & gentium idola de suo regno abiecit, deumq. cæli integrè coluit.*

7. *Cyaxares annos* XXXII. *sub quo Iudæis regnat Ioachim, cui successit Heliachim, qui & Ioachim, alterque & Ioachim primo adhuc Cyaxare viuente successit, in quo & finis regni euenit.*

8. *Astyages annos* XXXII. *huius anno octauo Iudæi de Hierosolyma captiuantur*

à Nabu-

à Nabuchodonoſor rege. Sic regnum Medorum, quod per annos CCLVIII. *duraſſit, deſtructum eſt, & in Perſas tranſlatum, quia Cyrus rex Perſarum, Darius Medorum, filius ſupraſcripti Aſtyagis, parentela coniuncti, nepos auunculusque fuerunt: irruentesque ſuper Balthaſar abnepotem Nabuchodonoſor, regem Babyloniæ, id eſt Chaldæorum, regnum eius peruadunt; mortuoque Dario, Cyrus ſuum, id eſt Perſarum, & affinis ſui Darij, hoc eſt Medorum, cum illo quod captiuauerat, tertio regno obtinuit. Poſt is admodum gentem Perſarum eleuauit. Quæ gens à Cyro prædicto, & uſque ad Darium filium Arſami, regnat per annos plus minus* CCXXX. *& ſic ad Græcos deuenit, poſt reges* XIIII *Perſarum de gente.*

Digitized by Google

REGNVM MEDORVM IN PERSAS TRANSLATVM.

CYRVS *Persa annos* XXXII. *hic ferè quingenta milia Iudæorum laxata captiuitate regredi fecit in Iudæam: qui constructo altari, templi fundamenta iecerunt. Quumque à vicinis gentibus impediretur opus, vsque ad Darium remansit imperfectum.*

2. *Cambyses annos* VIII. *& sub isto opus impeditũ à vicinis consistit, nec ædificatur.*

3. *Magi duo fratres regnant mensibus* VIII.

4. *Darius annos* XLVI. *cuius secundo reædificatum est templum à Zorobabel & Iesu filio Iosedech quingentesimo duodecimo anno post primam Salomonis ædificationem, ab Adam verò plus minus* IIII-MDCCCCXXX.

5. *Xerses deinde filius Darij annis* XX *regnauit Persis, Medis, atque Chaldæis.*

6. *Artabanus menses* VII.

7. *Arta-*

Digitized by Google

7. *Artaxerſes, qui Macrochir dicebatur, annos* XL.

8. *Xerſes menſes duos.*

9. *Sogdianus menſes* VII.

10. *Darius cognomento Nothus annos* XVIII.

11. *Artaxerſes Mimmon Darij & Pariſatidis filius annos* XL. *Ipſe eſt ab Hebræis qui dicitur Aſuerus, ſub quo liber Heſter confectus eſt.*

12. *Artaxerſes qui & Ochus annos* XXVI. *Hic etenim Sidonem ſubuertit, Ægyptumq. ſuo ſubegit imperio, Syriamq. cunctam inuaſit.*

13. *Arſes filius Ochi annos* IIII. *Sub quo Iadus Maximus & inſignis pontifex Iudæorum.*

14. *Darius filius Arſami annos* VI. *Hunc Alexander Magnus Macedo occidit, regnumq. eius in ſuum redegit dominium, qui Alexandriam in ſuo nomine condidit, vbi regnatum eſt à regibus Græcorum per annos* CCXCVI. *ſic.*

Digitized by Google

REGVM GRÆCORVM SERIES.

ALEXANDER *Magnus post mortem Darij annos* VI.

2. *Ptolemæus Lagi filius annos* XI. *Hic iterum gentem Hebræorum captiuam ducit in Ægyptum.*

3. *Ptolemæus Philadelphus annos* XXVIII. *Hic captiuitate Iudæorum relaxata, muneribusque Eleazaro pontifice Iudæorum placato, diuinas scripturas per septuaginta interpretes ex Hebræa lingua vertit in Græcam.*

4. *Ptolemæus Euergetes annos* XXVI. *Huius temporibus Iesus filius Syrach Sapientiæ librum scripsit.*

5. *Ptolemæus Philopator annos* XVII. *Sub hoc iidem victi Iudæi, & sexaginta milia eorum cæsa ab Antiocho rege Syriæ, quando & pontifex magnus Onias.*

6. *Ptolemæus Epiphanes annos* XXIX. *Hic directo Scopa principe militiæ capit*

Iudæam.

Iudæam; rursusque Scopa superante, Iudæam sibi sociat in amicitiam Antiochus.

7. *Ptolemæus Philometor annos* XXV. *Sub hoc rege Aristobulus inde Peripateticus philosophus scripsit commentarios in libros Moysi, & regi obtulit Ptolemæo. Antiochus agens contra legem Iudæorum multos interemit. Contra quem Iudas, qui & Machabæus, arma commouit.*

8. *Ptolemæus Euergetes annos* XXVIII. *Hoc regnante Ionatas dux Iudæorum præclarus, qui cum Romanis & Spartiatis fœdus iniit.*

9. *Ptolemæus Fiſta, qui & Soter, annos* XVII. *sub hoc Aristobulus Ionathæ filius, rex pariter & pontifex constitit Iudæorum.*

10. *Ptolemæus qui & Alexander annos* X. *quo regnante multa Iudæorum populus tam ab Alexandrinis quàm etiam ab Antiochensibus tolerabat.*

11. *Ptolemæus qui à matre fuerat eiectus annos* VIII. *Iudæis tunc regnabat*

Ameus, qui & Alexander.

12. *Ptolemæus Dionyſius anno* XXX. *ſub cuius regno Alexandra, quæ & Salina, uxor Alexandri regis Hebræorum, Hieroſolymis regnat. Ex cuius ætate Iudæos rerum confuſio & uariæ clades oppreſſerunt.*

13. *Cleopatra annos* XXII. *qua regnante Iudæi in amicitiam Romanorum ſe ſociantes, eorum iam legibus uiuunt, quia Pompeius ſublato regno ab Ariſtobulo, Hircanum fratrem eius præfecerat. Hanc ſiquidem Cleopatram Romanus ductor ſuſcipiens Antonius, & ſuo ſocians lateri, contra ciues proprios dimicat. Quem Auguſtus Octauianus in certamine ſuperans Actiatico in littore, egit, ut utrique iugales ſeipſos perimerent, regnumque eorum in Romanorum Imperium deuenit, ubi & uſque hactenus, & uſque in finem mundi ſecundum Danielis prophetiam, regni debetur ſucceſſio. Et quidem ablinc Auguſtalis exoritur poteſtas, quod ani-*

mo recondendum est. Augustus Imperator, qui & Octauianus dicebatur, à quo posteri principes vocati sunt Augusti, tam suos patrios rebelles, quàm etiam gentes externas superans, singularem sibi vindicat principatum, regnans per annos LXII. *Huius quadragesimo secundo imperij, dominus noster Jesus Christus de sancta virgine natus, vt verus deus, ita & verus homo, insignis & virtutibus admirãdis enituit, anno ab origine mundi* VMD. *ab vrbis autem Romæ conditione anno* DCCLV. *Et quia Romanorum regum ordinem actusq. inquirere statuisti, & nos breuiter tuis percontationibus respondere sumus polliciti, necessarium est ergo, nobis ea interim, quæ ad tempora Augusti Imperatoris dicuntur, omittere; & rursus ad Romanæ vrbis primordia repedare, originemque Romuli eius conditoris exponere, simulq. successorum eius, regum consulumque annos actusque ad liquidum demonstrare. qui sunt hi.*

REGVM ROMANORVM SERIES.

AB origine vrbis Romæ & vsque Tarquinium regem cognomento Superbum, qui expulsus est, numerantur anni CCXLIII. *Nam primus ille & vrbis & imperij conditor Romulus, fuit à Marte (vt ipsorum verbis loquamur) genitus, & Rhea Siluia. hoc sese sacerdos grauidatam confessa est. Nec mox fama dubitauit quin Amulij regis imperio abiectus in aquam profluentem cum Remo fratre, non potuit extingui. Siquidem & Tiberis amnem repressit, & relictis catulis lupa secuta vagitum, vbera admouit infantibus, matrisque gessit officium. Sic repertos Faustulus regij gregis pastor tulit in casam, atque educauit. Alba tum erat Latio caput, Iuli opus. Nam Lauinium patris Aeneæ, contempserat. Abhinc Amulius iam septima soboles regnabat, fratre pulso Numitore, cuius ex filia natus erat Romulus.*

Digitized by Google

lus. Igitur ſtatim prima iuuentæ face patruum ab arce deturbat, auum reponit. Ipſe fluminis amator & montium, apud quos erat educatus, mœnia noua vrbis agitabat. Gemini erant, vter auſpicaretur & regeret, adhibere placuit deos. Remus montem Auentinum, hic Palatinum occupat. Prius ille ſex vultures, hic poſtea duodecim vidit. Sic victor vrbem augurio excitat, plenus ſpei bellatricem fore. id aſſuetæ ſanguini & prædæ aues pollicebantur. Ad tutelam nouæ vrbis, ſufficere vallum videbatur: cuius dum anguſtias Remus increpat, ſaltu tranſiluit. dubium an iuſſu fratris, occiſus eſt. Prima certè victima fuit, munitionemque vrbis nouæ ſanguine ſuo conſecrauit. Imaginem vrbis magis, quàm vrbem fecerat. incolæ deerant. Erat in proximo lucus. hunc aſylum facit, & ſtatim mira hominum vis. Latini Thuſciique paſtores, etiam tranſmarini Phryges, qui ſub Aenea; Arcades, qui ſub Euandro duce confluxerant. Ita ex va-

riis

rijs quasi elementis congregauit corpus vnum, populumque Romanum ipse fecit.

Erat verò vnius ætatis populus. Virorum itaque matrimonia à finitimis petita, quia non impetrabantur, manu capta sunt. simulatis quippe ludis equestribus, virgines quæ ad spectaculum venerant prædæ fuerunt. Hæc statim causa bellorum. pulsi fugatiq. Veientes. Caminensium captum ac direptum est oppidum. Spolia insuper opima de rege Agrone Feretrio Ioui manibus reportauit. Sabinis prodita porta per virginem Tarpeiam, non dolo, sed puella pretium rei, quod gerebant in sinistris manibus, petierat; dubium clypeos, an armillas. Illi vt & fidem soluerent, & vlciscerentur, clypeis obruere. Ita admissis intra mœnia hostibus, atrox in ipso aditu fit pugna, adeo vt Romulus Iouem oraret, fœdam vt suorum fugam sisteret. Hinc templum, & Stator Iupiter. Tandem funeribus interuenere raptæ, laceris comis:

sic

ſic pax facta cum Tatio, fœduſque percuſſum. Secutáque res mira dictu, vt relictis ſedibus ſuis, nouã in vrbem hoſtes migrarent, & cum generis ſuis auitas opes pro dote ſociarent. Auctis breui viribus, hunc rex ſapientiſſimus ſtatum Reipubl. impoſuit. Iuuentus diuiſa per tribus, in equis & armis, vt ad ſubita bella excubaret, conſilium Reipub. penes ſenes eſſet, qui ex autoritate patres, ab ætate ſenatus vocabantur. His ita ordinatis, repentè cùm concionem haberet ante vrbem, apud Caprææ paludes, è conſpectu ablatus eſt. Diſcerptum aliqui à ſenatu putant, ob aſperius ingenium. Sed obortа tempeſtas, Soliſque defectio, conſecrationis ſpeciem præbuere. Cui rei mox Iulius Proculus fidem fecit, viſum à ſe Romulum affirmans auguſtiore forma, quàm fuiſſet: mandare præterea, vt ſe pro numine acciperent. Quirinum in cœlo vocari: placitum diis, vt gentium Roma potiretur.

2. *Succeſſit Romulo Numa Pompilius, quem*

quem Curibus Sabinis agentem vltrò petiuerunt, ob inclytam viri religionem. Ille sacra, cæremonias, ommemque cultum deorum immortalium docuit: ille pontifices, augures, salios, cæteraque sacerdotia: annumque in XII *menses, fastos dies nefastosque descripsit. Ille ancilia atque palladium, secreta quædam imperij pignora, Ianumque bifrontem, Fidem pacis ac belli, in primis focum Vestæ virginibus colendum dedit, vt ad simulachrum cælestium siderum, custos imperij flamma vigilaret. Hæc omnia quasi monitu deæ Egeriæ, quo magis barbari acciperent. Eò denique ferocem populum redegit, vt quod vi & iniuria occuparat imperium, religione atque iustitia gubernaret.*

3. *Excepit Pompilium Numam Tullus Hostilius, cuius honori & virtuti regnum vltrò datum. Hic omnem militarem disciplinam artemque bellandi instituit. Itaque mirum in modum exercitata iuuentute, prouocare ausus est Albanos, grauem &*

diu

dia principem populum. Sed quum pari robore frequentibus prœliis vtrique comminuerentur, missio in compendium bello, Horatiis, Curatiisque, trigeminis hinc atque inde fratribus vtriusque populi fata permissa sunt. Anceps & pulchra contentio, exituque ipso mirabilis. Tribus quippe illinc vulneratis, hinc duobus occisis, qui superarat Horatius, addito ad virtutem dolo, vt distraheret hostem, simulat fugam, singulósque pro vt sequi poterant, adortus exsuperat. Sic rarum decus aliis, vnius manu parta victoria est, quam ille mox parricidio fœdauit. Nam flentem spolia circa se sponsi quidem, sed hostis, sororem viderat: hunc tam immaturum amorem virginis vltus est ferro, vt audiret leges, nefas: sed abstulit virtus parricidam, & facinus infra gloriam fuit. Nec diu in fide Albanus perstat. Nam Fidenates bello missi in auxilium ex fœdere medij inter duos exspectauere fortunam. Sed rex callidus vbi inclinare socios ad hostem videt,

tollit

tollit animum quaſi mandaſſet. ſpes inde Romanis, metus hoſtibus incuſſus. ſic fraus proditorum irrita fuit. Itaque hoſte victo, ruptorem fœderis Metium Suffetium religatum inter duos currus, pernicibus equis diſtrahit, Albamque ipſam, quamuis parentem, æmulam tamen diruit, quum prius omnes opes vrbis ipſumque populum Romam tranſtuliſſet: prorſus vt conſanguinea ciuitas non periſſe ſed in ſuum corpus rediſſe rurſus videretur.

4. *Ancus deinde Marcius nepos Pompilij ex filia, pari ingenio. Igitur & muro mœnia amplexus eſt, & influentem vrbi Tiberim ponte commiſit, Oſtiámque in ipſo maris fluminiſq. confinio poſuit coloniam, iam tunc videlicet præſagiens animo futurum, vt totius mundi opes & commeatus, illo velut maritimo Vrbis hoſpitio reciperentur.*

5. *Tarquinius poſtea Priſcus, quamuis tranſmarinæ originis, regnum vltrò petens*

Digitized by Google

petens accepit, ob industriam atque elegantiam, quippe qui oriundus Corintho, Græcum ingenium Italicis artibus miscuisset. Hic & senatus maiestatem numero amplauit, & centuriis tribus auxit, quamuis Attius Nauius numerum augeri prohiberet, vir summus augurio. Quem rex in experimentum rogauit, fieri ne posset, quod ipse mente conceperat. Ille rem expertus augurio, posse respondit. At qui hoc, inquit, agitabam, an cotem illam secare nouacula possem? Et Augur, potes, inquit, & secuit. inde Romanis sacer auguratus. Neque pace Tarquinius, quàm bello promptior. Duodecim namque Thusciæ populos frequentibus armis subegit. Inde fasces, trabeæ, curules, anuli, faleræ, paludamenta, prætextæ. Inde quod aureo curru quatuor equis triumphatur, togæ pictæ, tunicæque palmatæ. Omnia denique decora & insignia, quibus imperij dignitas eminet, sumpta sunt.

6. *Seruius Tullius deinceps gubernacu-*

la vrbis inuadit, nec obſcuritas inhibuit, quamuis matre ſerua creatum. Nam eximiam indolem vxor Tarquinij Tanaquil liberaliter educauerat, & clarum fore viſa circa caput flamma promiſerat. Ergo inter Tarquinij mortem adnitente regina ſubſtitutus in locum regis, quaſi in tempus regnum dolo partum ſic egit induſtriè, vt iure adeptus videretur. Ab hoc populus Rom. relatus in cenſum, digeſtus in claſſes, decuriis ac collegiis diſtributus, ſummáque regis ſolertia ita eſt ordinata reſpublica, vt omnia patrimonij, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque diſcrimina in tabulas referrentur, ac ſic maxima ciuitas minimæ domus diligentia contineretur.

7. *Poſtremus fuit omnium regum Tarquinius, cui cognomen Superbus ex moribus datum. Hic regnum auitum, quod à Seruio tenebatur, rapere maluit, quàm exſpectare; miſſiſque in eum percuſſoribus, ſcelere partam poteſtatem non melius egit, quàm adquiſierat. Nec abhorrebat mori-*

Digitized by Googl

bus Tullia, quæ vt virum regem ſalutaret, ſupra cruentum patrem vecta carpento, conſternatos equos egit. Sed ipſe in ſenatum cædibus, in plebem verberibus, in omnes ſuperbia, quæ crudelitate grauior eſt bonis, graſſatus, quum ſæuitiam domi fatigaſſet, tandem in hoſtes conuerſus eſt. Sic valida Latij oppida capta ſunt, Ardea, Ocriculum, Gabij, Sueſſa, Pometia. Tum quoque cruentus in ſuos. Neque enim filium verberare dubitauit, vt ſimulantis transfugam apud hoſtes hinc fides eſſet. Quo à Gabiis, vt voluerat, recepto, & per nuncios conſulenti quid fieri vellet; eminentia fortè papauerum capita virgula excutiens, quum per hoc interficiendos eſſe principes vellet intelligi, ea ſuperbia ſic reſpondit, vt ſenſerat. Tamen de manubiis captarum vrbium templum erexit. Quod dum inauguraretur, cedentibus ceteris dus, mira res dictu, reſtitere Iuuentas & Terminus. Placuit patribus contumacia numinum, ſiquidem firma omnia & ater-

na pollicebantur. Sed illud horrendius, quòd molientibus ædem, in fundamentis humanum caput repertum est. Nec dubitauere cuncti, monstrum pulcherrimam imperij sedem, caputque terrarum promittere. Tandiu superbiam regis populus Rom. perpessus est, donec aberat libido. Hanc ex liberis eius importunitatem tolerare non potuit. Quorum cùm alter ornatissimæ fœminæ Lucretiæ stuprum intulisset, matrona dedecus ferro expiauit. imperium tum regibus abrogatum. Hæc est prima ætas populi Romani & quasi infantia, quam habuit sub regibus septem, per annos, vt diximus, CCXLIII, *quadam satorum industria tam variis ingenio, vt reipubl. ratio & vtilitas postulabat. Nam quid Romulo ardentius? Tali opus fuit, vt inuaderet regnum. Quid Numa religiosius? Ita res poposcit, vt ferox populus, deorum metu mitigaretur. Quid ille militiæ artifex Tullus? bellatoribus viris quam necessarius, vt acueret ratione virtutem. Quid*

ædificator

Digitized by Google

ædificator Ancus? vt vrbem colonia extenderet, ponte iungeret, muro tueretur. Iam verò ornamenta Tarquinij & insignia, quantam principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem? Actus à Seruio census quid effecit, nisi vt ipsa se nosset Romana respublica? Postremò Superbi illius importuna dominatio nonnihil imò vel plurimum profuit. Sic enim effectum est, vt agitatus iniuriis populus, cupiditate libertatis incenderetur, mutataq. regali dominatione, ad consulum infulas se conferret; qui bini annis singulis, rempublicam gubernantes, sequenti anno ab aliis venientibus succedebantur, scientesq. se annis tantum singulis præesse in populo, erga alios agebant qualiter eos erga se acturos postea cupiebant. Qui ordo vsque ad Augustum Cæsarem obtinuit priuilegium, per viros nongentos quindecim in annis CCCCLVIII. *Nouem siquidem annis, sine consulibus, sed tantùm sub tribunis plebis fuit, quatuor sine iudicibus.*

ADMINISTRATIO REIP. PER CONSVLES.

POST *exactos reges annum vnum quinis diebus, singulis diebus singuli senatorum Rempub. obtinuerunt, & tunc duobus creatis consulibus, Bruto & Collatino, in posterum vsque ad Pansam & Hirtium seruauerunt per annos prænotatos. Et quia omnium consulum nomina actusque conscribere, & mihi tædium, & tibi, qui legis, fastidio fore præcaui; aliqua exinde prælibans, multa supersedi, quod pæne nonnullis iam vsurpatum esse breuiatumq. opus cognoui. Igitur primi consulum Brutus & Collatinus, quibus vltione sui matrona moriens mandauerat, populus Roman. ad vindicandum libertatis ac pudicitiæ decus quodam quasi instinctu deorum concitatus, regem repente destituit, bona diripit, agrum Marti sacro consecrat, imperium in eosdem libertatis suæ vindices transfert, mutato tamen, vt di-*

ximus,

ximus, & iure, & nomine. Quippe ex perpetuo annuum placuit, ex singulari duplex; ne potestas solitudine vel mora corrumperetur, consulesque appellauit pro regibus, vt consulere ciuibus suis debere meminissent; tantumque libertatis nouæ gaudium incesserat, vt vix mutati status fidem caperent, alterumque ex consulibus Lucretiæ maritum, tantum ob nomen & genus regium, fascibus abrogatis, vrbe dimitterent. Itaque substitutus Valerius Poplicola, summo studio nisus est ad augendam populi maiestatem. Nam et fasces ei pro concione summisit, & ius prouocationis aduersus ipsos dedit: & ne species arcis offenderet, eminentes ædes suas in plana submisit. Brutus verò fauori ciuium etiam domus suæ clade & parricidio velificatus est. quippe quum studere de reuocandis in vrbem regibus liberos suos comperisset, protraxit in forum, & in concione media virgis cæcidit, securique percussit, vt planè publicus parens, in locum

liberorum adoptasse sibi populum videretur. Liber iam hinc populus Rom. prima aduersus exteros arma pro libertate corripuit, pro finibus mox, deinde pro socius, tum gloria & imperio, lacessentibus assidue usquequaque finitimis: quippe cum patrij soli gleba esset, sed statim hostile pomœrium, mediusque inter Latium atque Etruscos quasi in quodam biuio collocatus, omnibus portis in hostem incurreret, donec quasi contagione quadam per singulos itum est, & proximis quibusque correptis totam Italiam sub se redigeret. Nam Porsena rex Etruscorum ingentibus copiis aderat, & Tarquinios manu reducebat. Hunc tamen, quamuis & armis, & fame urgeret, occupatoque Ianiculo, in ipsis vrbis faucibus incubaret; sustinuit, repulit, nouissimè etiam tanta admiratione percu-lit, vt superior vltrò cùm pænè victus amicitiæ fœdera ferret. Nam Mucius Scæuola Romanorum fortissimus, regem per insidias in castris ipsius aggreditur. Sed vbi

frustratus

Digitized by Google

frustratus circa purpuratum eius illatus ictus, teneretur; ardentibus mox focis intulit manum, terroremque geminat dolo. En ut scias, inquit, quem virum effugeris, idem trecenti iurauimus. Cùm interim, immane dictu, hic interritus, ille trepidaret, tanquam manus regis arderet. Sed ne sexus quidem muliebris altera laude cessaret, ecce & virginum virtus. Vna ex obsidibus regi data, elapsa custodia Cloelia per patrium flumen equitabat. Rex quidem tot tantisque virtutum territus monstris, valere liberosque esse iussit. Tarquinij tamdiu dimicauerunt, donec Aruntem filium regis manus sua Brutus occidit, superque ipsum vulnere mutuo exspirauit, planè quasi adulterum ad inferos vsque sequeretur. Nec secus Latini Amulio Tusculano duce apud Regilli lacum expugnantur, vincuntur, atque subiiciuntur. Ocriculum atque Corniculum, Soraque & Alsium, eorum vrbes captæ, prouinciaque effecta. de Verulis & de Bouillis pudet,

ſed triumphauere Romani. Tibur nunc ſuburbanum, & æſtiuæ Præneſte deliciæ, nuncupatis in Capitolio votis petebantur: idem tunc Feſulæ, quod Carrææ nuper: idem nemus Aricinum, quod Herculis ſaltus: Fregellæ, quod Cæſareia: Tiberis quod Euphrates. Coriolos quoque, proh pudor, inuictos adeo gloriæ fuiſſe, vt poſt captum opidum Caius Marcius Coriolanus quaſi Numantia aut Africa nomini induceretur. Extant & de Antis ſpolia, quæ meminimus in ſuggeſto fori, capta hoſtium claſſe, infixit: ſi tamen illa claſſis. nam ſex fuere roſtratæ. Sed hic numerus illis initiis nauale bellum fuit. Peruicaciſſimi tamen Latinorum Æqui, & Volſci fuere, & quotidiani (vt ſic dixerim) hoſtes. Et hos præcipuè Titus Quintius domuit, ille dictator ab aratro, qui obſeſſa & pænè iam capta Mallij conſulis caſtra egregia victoria recuperauit. Medium erat tempus fortè ſementis, quum patricium virum innixum aratro ſuo lictor in ipſo opere deprehendit.

hendit. Inde in aciem profectus, ne quid à ruſtici operis imitatione ceſſaret, victos pecudum more ſub iugum miſit. Expeditione finita, rediit ad boues rurſus triumphalis agricola. Fides numinum, qua velocitate! intra quindecim dies cœptum peractumque bellum prorſus, vt feſtinaſſe dictator ad relictum opus videretur. Pari tenore Veientes, Faliſci, & Fidenates, tunc magno labore deuicti ſunt. Qui modò etſi fuerint, non videntur aliquod reliquiſſe veſtigium. Laborat enim annalium fides, vt Veios, Faliſcos, Fidenates fuiſſe credamus. Galli autem Senones, gens natura ferox, moribus incondita, ad hoc ipſa corporum mole, perinde armis ingentibus, adeo Romano generi terribilis fuit, vt planè nata ad hominum interitum, vrbium ſtragem videretur. Hi quondam ab vltimis terrarum oris, & cingerent omnia oceano, ingenti agmine prouecti, quum iam media vaſtaſſent, poſitis inter Alpes & Padum ſedibus, ne his quidem contenti

per

per Italiam bacchabantur. Tunc Clusium Thusciæ vrbem obsidebant, vbi pro sociis & fœderatis Romanus interuenit, missis ex more legatis. Sed quod ius apud barbaros, ferocius agunt, & inde ad certamen cum exercitu conuersi Galli, Clusio Romam. Quibus ad Alliam flumen cum exercitu Fabius consul occurrit. nõ Cremeræ fœdior clades. Itaque hunc diem fastis Roma damnauit. Fuso exercitu, Galli iam mœnibus vrbis appropinquabant, vbi pænè nulla erant præsidia. Tum igitur sic, vt nunquam aliàs, apparuit illa vera Romana virtus. Iam primùm maiores natu, amplissimis vsi honoribus in foro coëunt. Ibi deuouente pontifice, diis se manibus consecrant. Statimque in suas quisque ædes regressi sunt, sicut in trabeis erant, & amplissimo cultu, in curulibus sellis sese reposuerunt; vt quum venisset hostis, in sua quisq. dignitate moreretur. Pontifices autem & flamines, quidquid religiosissimi in templis erat partim in doliis refossa terra recon-

reconderunt, partim impoſita plauſtris ſecum Veios auferunt: virgines ex ſacerdotio Veſtæ, nudo pede fugientia ſacra comitantur. Tamen excepiſſe fugientes vnus è plebe fertur Albinus, qui depoſitis vxore ac liberis, virgines in plauſtrum recepit. adeo tunc quoque in vltimis religio publica priuatis affectibus antecellebat. Iuuentus, quam ſatis conſtat vix mille hominum fuiſſe, duce Manlio, arcem Capitolini montis inſedit, obteſtata ipſum quaſi præſentem Iouem, vt quemadmodum ipſi ad defendendum templum eius occurriſſent, ita ille virtutem illorum numine ſuo tueretur. Aderant interim Galli, apertamque vrbem adeunt. Ibi ſedentes in curulibus ſuos prætextatos ſenes, velut deos genioſque venerati, mox eoſdem poſtquam eſſe homines liquebat, alioquin nihil reſpondere dignantes, pari vecordia mactant, faceſque tectis iniiciunt, & totam vrbem igni, ferro, manibus, ſolo exæquant. Sex menſibus barbari (quis crederet?) circa

montem

tus, non pro se sed pro sociis Sammitas in-
uadit. Omnium namque non modò Italiæ
tantùm, sed pænè toto orbe terrarum pul-
cherrima Campaniæ plaga est. nihil mollius
cœlo. denique bis floribus vernat. nihil
vberius solo. ideo Liberi Cereriſque certa-
men dicitur. Nihil hospitalius mari. hic ille
nobilis portus Caieta, Misenus, tepentes
fontibus Baiæ, Lucrinus & Auernus, quæ-
dam maris hostia. Hic amicti vitibus mon-
tes, Gaurus, Falernus, Massicus, & pul-
cherrimus cinctorum Vesuuius Aetnei
ignis imitator. Vrbes ad mare, Formiæ,
Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum
Pompeij, & ipsa caput vrbium Capua,
quondam inter tres maximas, Romam
Carthaginemque, numeranda. Pro hac
vrbe, & his regionibus populus Roma-
nus Samnitas inuadit; gentem, si opulen-
tiam quæras, aureis & argenteis armis,
& discolori veste, vsque ad ambitum ar-
matam: si fallaciam, saltibus ferè & mon-
tibus grassatam: si rabiem ac furorem, sa-

cris

Digitized by Google

cris legibus humanisque hostiis in exitium vrbis agitatam: si pertinaciam, sexies rupto fœdere, cladibusque animosiorem. Hos tamen quinquaginta annis per Fabios ac Papirios patres, eorumque liberos, ita subegit & domuit, ita ruinas ipsas vrbium diruit, vt hodie Samnium in ipso Samnio requiratur, nec facilè appareat materia quatuor & viginti triumphorum. maximè tamen nota & illustris apud Caudinas Furculas ex hac gente clades, Veturio Posthumioque consulibus accepta est. Clauso per insidias intra eum saltum exercitu, vnde non posset euadere, stupens tanta occasione dux hostium Pontius, Herennium patrem consuluit, num illos sub iugum mitteret, an occideret. Sapienter, vt senior, suaserat. Hic armis exutos mittere sub iugum maluit, vt nec amici forent beneficio, & post flagitium hostes magis. Itaque & consules statim magnificè voluntaria deditione turpitudinem fœderis dirimunt, & vltionem flagitans miles,

la vrbis inuadit, nec obscuritas inhibuit, quamuis matre serua creatum. Nam eximiam indolem vxor Tarquinij Tanaquil liberaliter educauerat, & clarum fore visa circa caput flamma promiserat. Ergo inter Tarquinij mortem adnitente regina substitutus in locum regis, quasi in tempus regnum dolo partum sic egit industriè, vt iure adeptus videretur. Ab hoc populus Rom. relatus in censum, digestus in classes, decuriis ac collegiis distributus, summáque regis solertia ita est ordinata respublica, vt omnia patrimonij, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur, ac sic maxima ciuitas minimæ domus diligentia contineretur.

7. *Postremus fuit omnium regum Tarquinius, cui cognomen Superbus ex moribus datum: Hic regnum amitum, quod à Seruio tenebatur, rapere maluit, quàm exspectare; missisque in eum percussoribus, scelere partam potestatem non melius egit, quàm adquisierat. Nec abhorrebat moribus*

Digitized by Google

bus Tullia, quæ vt virum regem salutaret, supra cruentum patrem vecta carpento, consternatos equos egit. Sedipse in senatum cædibus, in plebem verberibus, in omnes superbia, quæ crudelitate grauior est bonis, grassatus, quum sæuitiam domi fatigasset, tandem in hostes conuersus est. Sic valida Latij oppida capta sunt, Ardea, Ocriculum, Gabij, Suessa, Pometia. Tum quoque cruentus in suos. Neque enim filium verberare dubitauit, vt simulantis transfugam apud hostes hinc fides esset. Quo à Gabiis, vt voluerat, recepto, & per nuncios consulenti quid fieri vellet; eminentia forte papauerum capita virgula excutiens, quum per hoc interficiendos esse principes vellet intelligi, ea superbia sic respondit, vt senserat. Tamen de manubiis captarum vrbium templum erexit. Quod dum inauguraretur, cedentibus ceteris dus, mira res dictu, restitere Iuuentas & Terminus. Placuit patribus contumacia numinum, siquidem firma omnia & aeter-

na pollicebantur. Sed illud horrendius, quòd molientibus ædem, in fundamentis humanum caput repertum est. Nec dubitauere cuncti, monstrum pulcherrimam imperij sedem, caput que terrarum promittere. Tamdiu superbiam regis populus Rom. perpessus est, donec aberat libido. Hanc ex liberis eius importunitatem tolerare non potuit. Quorum cùm alter ornatissimæ fœminæ Lucretiæ stuprum intulisset, matrona dedecus ferro expiauit. imperium tum regibus abrogatum. Hæc est prima ætas populi Romani & quasi infantia, quam babuit sub regibus septem, per annos, vt diximus, CCXLIII, *quadam satorum industria tam variis ingenio, vt reipubl. ratio & vtilitas postulabat. Nam quid Romulo ardentius? Tali opus fuit, vt inuaderet regnum. Quid Numa religiosius? Ita res poposcit, vt ferox populus, deorum metu mitigaretur. Quid ille militiæ artifex Tullus? bellatoribus viris quam necessarius, vt acueret ratione virtutem. Quid*

ædificator

ædificator Ancus? vt vrbem colonia extenderet, ponte iungeret, muro tueretur. Iam verò ornamenta Tarquinij & insignia, quantam principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem? Actus à Seruio census quid effecit, nisi vt ipsa se nosset Romana respublica? Postremò Superbi illius importuna dominatio nonnihil imò vel plurimum profuit. Sic enim effectum est, vt agitatus iniuriis populus, cupiditate libertatis incenderetur, mutataq. regali dominatione, ad consulum infulas se conferret; qui bini annis singulis, rempublicam gubernantes, sequenti anno ab aliis venientibus succedebantur, scientesq. se annis tantum singulis præesse in populo, erga alios agebant qualiter eos erga se acturos postea cupiebant. Qui ordo vsque ad Augustum Cæsarem obtinuit priuilegium, per viros nongentos quindecim in annis CCCCLVIII. *Nouem siquidem annis, sine consulibus, sed tantùm sub tribunis plebis fuit, quatuor sine iudicibus.*

Digitized by Google

ADMINISTRATIO REIP. PER CONSVLES.

POST *exactos reges annum vnum quinis diebus, singulis diebus singuli senatorum Rempub. obtinuerunt, & tunc duobus creatis consulibus, Bruto & Collatino, in posterum vsque ad Pansam & Hirtium seruauerunt per annos prænotatos. Et quia omnium consulum nomina actusque conscribere, & mihi tædium, & tibi, qui legis, fastidio fore præcaui; aliqua exinde prælibans, multa supersedi, quod pæne nonnullis iam vsurpatum esse breuiatumq. opus cognoui. Igitur primi consulum Brutus & Collatinus, quibus vltionẽ sui matrona moriens mandauerat, populus Roman. ad vindicandum libertatis ac pudicitiæ decus quodam quasi instinctu deorum concitatus, regem repentè destituit, bona diripit, agrum Marti suo consecrat, imperium in eosdem libertatis suæ vindices transfert, mutato tamen, vt diximus,*

ximus, & iure, & nomine. Quippe ex perpetuo annuum placuit, ex ſingulari duplex; ne poteſtas ſolitudine vel mora corrumperetur, conſuleſque appellauit pro regibus, vt conſulere ciuibus ſuis debere meminiſſent; tantumque libertatis nouæ gaudium inceſſerat, vt vix mutati ſtatus fidem caperent, alterumque ex conſulibus Lucretiæ maritum, tantum ob nomen & genus regium, faſcibus abrogatis, vrbe dimitterent. Itaque ſubſtitutus Valerius Poplicola, ſummo ſtudio miſus eſt ad augendam populi maieſtatem. Nam & faſces ei pro concione ſummiſit, & ius prouocationis aduerſus ipſos dedit: & ne ſpecies arcis offenderet, eminentes ædes ſuas in plana ſubmiſit. Brutus verò fauori ciuium etiam domus ſuæ clade & parricidio velificatus eſt. quippe quum ſtudere de reuocandis in vrbem regibus liberos ſuos comperiſſet, protraxit in forum, & in concione media virgis cæcidit, ſecurique percuſſit, vt planè publicus parens, in locum

liberorum adoptasse sibi populum videretur. Liber iam hinc populus Rom. prima aduersus exteros arma pro libertate corripuit, pro finibus mox, deinde pro sociis, tum gloria & imperio, lacessentibus assidue vsquequaque finitimis: quippe cum patrij soli gleba esset, sed statim hostile pomœrium, mediusque inter Latium atque Etruscos quasi in quodam bimio collocatus, omnibus portis in hostem incurreret, donec quasi contagione quadam per singulos itum est, & proximis quibusque correptis totam Italiam sub se redigeret. Nam Porsena rex Etruscorum ingentibus copiis aderat, & Tarquinios manu reducebat. Hunc tamen, quamuis & armis, & fame vrgeret, occupatoque Ianiculo, in ipsis vrbis faucibus incubaret; sustinuit, repulit, nouissimè etiam tanta admiratione perculit, vt superior vltrò cùm pænè victis amicitiæ fœdera feriret. Nam Mucius Scæuola Romanorum fortissimus, regem per insidias in castris ipsius aggreditur. Sed vbi

frustratus

Digitized by Google

frustratus circa purpuratum eius illatus ictus, teneretur; ardentibus mox focis intulit manum, terroremque geminat dolo. En vt scias, inquit, quem virum effugeris, idem trecenti iurauimus. Cùm interim, immane dictu, hic interritus, ille trepidaret, tanquam manus regis arderet. Sed ne sexus quidem muliebris altera laude cessaret, ecce & virginum virtus. Vna ex obsidibus regi data, elapsa custodia Cœlia per patrium flumen equitabat. Rex quidem tot tantisque virtutum territus monstris, valere liberosque esse iussit. Tarquinij tamdiu dimicauerunt, donec Aruntem filium regis manu sua Brutus occidit, superque ipsum vulnere mutuo exspirauit, planè quasi adulterum ad inferos vsque sequeretur. Nec secus Latini Amulio Tusculano duce apud Regilli lacum expugnantur, vincuntur, atque subiiciuntur. Ocriculum atque Corniculum, Soraque & Alsium, eorum vrbes captæ, prouinciaque effecta. de Verulis & de Bouillis pudet,

ſed triumphauere Romani. Tibur nunc ſuburbanum, & æſtiuæ Præneſte deliciæ, nuncupatis in Capitolio votis petebantur: idem tunc Feſulæ, quod Carrææ nuper: idem nemus Aricinum, quod Herculis ſaltus: Fregellæ, quod Cæſarea: Tiberis quod Euphrates. Coriolos quoque, proh pudor, inmiſtos adeo gloriæ fuiſſe, vt poſt captum opidum Caius Marcius Coriolanus quaſi Numantia aut Africa nomini inducerētur. Extant & de Antis ſpolia, quæ memini-mus in ſuggeſto fori, capta hoſtium claſſe, infixit: ſi tamen illa claſſis. nam ſex fuere roſtratæ. Sed hic numerus illis initiis nauale bellum fuit. Peruicaciſſimi tamen Latinorum Æqui, & Volſci fuere, & quotidiani (vt ſic dixerim) hoſtes. Et hos præcipuè Titus Quintius domuit, ille dictator ab aratro, qui obſeſſa & pænè iam capta Mallij conſulis caſtra egregia victoria recuperauit. Medium erat tempus fortè ſementis, quum patricium virum innixum aratro ſuo lictor in ipſo opere deprehendit.

bendit. Inde in aciem profectus, ne quid à rustici operis imitatione cessaret, victos pecudum more sub iugum misit. Expeditione finita, rediit ad boues rursus triumphalis agricola. Fides numinum, qua velocitate! intra quindecim dies cœptum peractumque bellum prorsus, vt festinasse dictator ad relictum opus videretur. Pari tenore Veientes, Falisci, & Fidenates, tunc magno labore deuicti sunt. Qui modò etsi fuerint, non videntur aliquod reliquisse vestigium. Laborat enim annalium fides, vt Veios, Faliscos, Fidenates fuisse credamus. Galli autem Senones, gens natura ferox, moribus incondita, ad hoc ipsa corporum mole, perinde armis ingentibus, adeo Romano generi terribilis fuit, vt planè nata ad hominum interitum, vrbium stragem videretur. Hi quondam ab vltimis terrarum oris, & cingerent omnia oceano, ingenti agmine prouecti, quum iam media vastassent, positis inter Alpes & Padum sedibus, ne his quidem contenti

per

per Italiam bacchabantur. Tunc Clusium Thusciæ vrbem obsidebant, vbi prosociis & fœderatis Romanus interuenit, missis ex more legatis. Sed quod ius apud barbaros, ferocius agunt, & inde ad certamen cum exercitu conuersi Galli, Clusio Romam. Quibus ad Alliam flumen cum exercitu Fabius consul occurrit. nõ Cremeræ fœdior clades. Itaque hunc diem fastis Roma damnauit. Fuso exercitu, Galli iam mœnibus vrbis appropinquabant, vbi pænè nulla erant præsidia. Tum igitur sic, vt nunquam aliàs, apparuit illa vera Romana virtus. Iam primùm maiores natu, amplissimis vsi honoribus in foro coëunt. Ibi deuouente pontifice, diis se manibus consecrant. Statimque in suas quisque ædes regressi sunt, sicut in trabeis erant, & amplissimo cultu, in curulibus sellis sese reposuerunt; vt quum venisset hostis, in sua quisq. dignitate moreretur. Pontifices autem & flamines, quidquid religiosissimi in templis erat partim in doliis refossa terra recon-

reconderunt, partim impoſita plauſtris ſecum Veios auferunt: virgines ex ſacerdotio Veſtæ, nudo pede fugientia ſacra comitantur. Tamen excepiſſe fugientes vnus è plebe fertur Albinus, qui depoſitis vxore ac liberis, virgines in plauſtrum recepit. adeo tunc quoque in vltimis religio publica priuatis affectibus antecellebat. Iuuentus, quam ſatis conſtat vix mille hominum fuiſſe, duce Manlio, arcem Capitolini montis inſedit, obteſtata ipſum quaſi præſentem Iouem, vt quemadmodum ipſi ad defendendum templum eius occurriſſent, ita ille virtutem illorum numine ſuo tueretur. Aderant interim Galli, apertamque vrbem adeunt. Ibi ſedentes in curulibus ſuos prætextatos ſenes, velut deos genioſque venerati, mox eoſdem poſtquam eſſe homines liquebat, alioquin nihil reſpondere dignantes, pari vecordia mactant, faceſque tectis iniiciunt, & totam vrbem igni, ferro, manibus, ſolo exæquant. Sex menſibus barbari (quis crederet?) circa

montem

montem vnum pependerunt, nec diebus modò, sed noctibus quoque omnia experti; quum tamen Manlius nocte subeuntes, clangore anseris excitatus, à summa rupe deiecit: & vt spem hostibus demeret, quanquam in summa fame, tamen ad speciem fiduciæ, panes ab arce iaculatus est: & stato die, per medias hostium custodias, Fabium pontificem ab arce dimisit, qui solenne sacrum in Quirinali monte conficeret: atque ille per media hostium tela incolumis religionis auxilio rediit, propitiosque deos renuntiauit. Nouissimè quum iam obsidio sua barbaros fatigasset, mille pondo auri recessum suum venditantes, subitò aggressus à tergo Camillus cæcidit, vt omnia incendiorum vestigia Gallici sanguinis inundatione deleret.

Igitur pastorum quondam casa, vrbs enituit, & post seruatam à Manlio faciem, restitutamque à Camillo, acrius etiam vehementiusq. in finitimos surrexit. Nec tamen contenti Romani suis eos membris expulisse,

expulisse, quum per Italiam naufragia sua latius traherent, sic persecuti sunt ductante Camillo, vt hodie nulla Senonum vestigia supersint. Semel apud Anienem trucidati, quum singulari certamine Manlius aureum torquem barbaro inter spolia detraxit, vnde & Torquatus est dictus. Item in Pomptino agro, quum simili pugna Valerius insidente galeæ sacro alite adiutus retulit spolia, dictusque est ipse Coruinus. Necnon tandem pòst aliquot annos, omnes reliquias earum in Etruria, ad lacum Vadimonis Dolabella deleuit, ne quis exstaret ex ea gente qui incensam à se Romanam vrbem gloriaretur. Conuersoque à Gallis Torquato, Latini experti sunt, & dicti. Indeque Sabini, qui eorum belli socij ductante Tatio extitissent, à Curio Dentato subiecti, eorumque loca à Baranio fonte Adriatico tenus mari, igni ferroque vastata, tantæque Romano populo additæ opes, vt nec ipse posset æstimare qui vicerat. Precibus deinde Campaniæ motus,

tus, non pro se sed pro sociis Sammitas inuadit. Omnium nanque non modò Italiæ tantùm, sed pænè toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. nihil mollius cœlo. denique bis floribus vernat. nihil vberius solo. ideo Liberi Cereriſque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari. hic ille nobilis portus Caieta, Misenus, tepentes fontibus Baiæ, Lucrinus & Auernus, quædam maris hostia. Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus cunctorum Vesuuius Aetnei ignis imitator. Vrbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum Pompeij, & ipsa caput vrbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam Carthaginemque, numeranda. Pro hac vrbe, & his regionibus populus Romanus Sammitas inuadit; gentem, si opulentiam quæras, aureis & argenteis armis, & discolori veste, vsque ad ambitum armatam: si fallaciam, saltibus ferè & montibus grassatam: si rabiem ac furorem, sa-

cris

Digitized by Googl

cris legibus humanisque hostiis in exitium vrbis agitatam: si pertinaciam, sexies rupto fœdere, cladibusque animosiorem. Hos tamen quinquaginta annis per Fabios ac Papirios patres, eorumque liberos, ita subegit & domuit, ita ruinas ipsas vrbium diruit, vt hodie Samnium in ipso Samnio requiratur, nec facilè appareat materia quatuor & viginti triumphorum. maximè tamen nota & illustris apud Caudinas Furculas ex hac gente clades, Veturio Posthumioque consulibus accepta est. Clauso per insidias intra eum saltum exercitu, vnde non posset euadere, stupens tanta occasione dux hostium Pontius, Herennium patrem consuluit, num illos sub iugum mitteret, an occideret. Sapienter, vt senior, suaserat. Hic armis exutos mittere sub iugum maluit, vt nec amici forent beneficio, & post flagitium hostes magis. Itaque & consules statim magnificè voluntaria deditione turpitudinem fœderis dirimunt, & vltionem flagitans miles,

Papirio duce, horribile dictu, strictis ensibus, per ipsam viam ante pugnam furit, & in congressu arsisse omnium oculos hostis auctor fuit. Nec prius finis cædibus datus, quàm iugum sibi promissum Romani & duci Samnitum & hostibus reposuerunt. Hactenus cum singulis gentibus certatum est, mox certatim. sic tamen quoque par omnibus fuit. Etruscorum duodecim populi, Umbri in id tempus intacti, antiquissimus Italiæ populus Samnitum, & reliqui in excidium Romani nominis repentè coniurant. Erat terror ingens tot simul tantorumque populorum. latè per Etruriã infesta quatuor agminum signa volitabant. Ciminius interim saltus in medio, ante inuius planè, quasi Calydonius vel Hercinius, adeo terrori erat, ut senatus consuli denunciaret, ne tantum periculi ingrederetur. Sed nihil horũ terruit ducem, quin fratre præmisso exploraret accessus, Ille per noctem pastorali habitu speculatus omnia, refert totum iter. Sic Fabius

bius Maximus periculosissimum bellum sine periculo explicuit. Nam subitò inconditos atque palantes aggressus est, captisq. superiorib. iugis, in subiectos suo iure detonuit. Ea namque species illius fuit belli, quasi in terrigenas è cælo ac nubibus tela iacerentur. Nec tamen inruenta illa victoria. nam oppressus in sinu vallis alter consulum Decius, more patrio deuotum dis manibus obtulit caput, solemnemque familiæ suæ consecrationem in victoriæ pretium redegit.

Necdum Etrusco bello exempto, mox sequitur Tarentinum, vnum quidem in nomine, sed multiplex in victoriis. Hoc enim Campanos, Apulos, atque Lucanos, & caput belli Tarentinos, id est totam pæne Italiam, & cum his omnibus Pyrrhum regem Epirotarum, Græciæ regem, vna velut ruina pariter inuolsit, vt eodem tempore & Italiam consummaret, & transmarinos triumphos auspicaretur.

Tarentus Lacedæmoniorum opus, Ca-

labriæ quondam, & Apuliæ, totiusq. Lucaniæ caput, cum magnitudine, & muris, portuque nobilis; tum mirabili situ, quippe in ipsis Adriæ maris faucibus posita in omnes terras, Histriam, Illyricum, Epirum, Achaiam, Africam, Siciliam, vela dimittit. Imminet portui ad prospectum maris positum theatrum, quod quidem causa miseræ ciuitati caput fuit omnium calamitatum. Ludos fortè celebrabant, cum adremigantem litori Romanam classem vident, atque hostem rati, emicant sine discrimine & insultant. Qui enim? aut vnde Romani? Nec satis. Aderat sine mora querelam ferens legatio. Hanc quoque fœdè per obscœnam turpemque dictu contumeliam violant. & hinc bellum. Sed apparatus horribilis, quum tot simul populi pro Tarentinis consurgerent, omnibusque vehementior Pyrrhus, qui semigræcam ex Lacedæmoniis conditoribus ciuitatem vindicaturus, cum totis viribus Epiri, Thessaliæ, Macedoniæ, incognitisque in id tem-

pus

pus elephantis, mari, terra, viris, equis, armis, addito insuper ferarum terrore ꝛue-niebat. Apud Heracleam & Campaniæ fluuium Lirim, Leuino consule prima pugna facta est, quæ tam atrox fuit, vt Ferentanæ turmæ præfectus Obsidius inuectus in regem turbauerit, coëgeritque proiectis insignibus prælio excedere. Actum erat, nisi elephanti conuerso in spectacula procurrissent bello. Quorum cum magnitudine, tum deformitate, & nouo odore simul ac stridore consternati equi, cum incognitas sibi belluas amplius quàm erant suspicarentur, fugam stragemque latè dederunt. In Apulia deinde apud Asculum melius dimicatum est, Curio Fabricioque consulibus. Iam quippe terror beluarum exoleuerat, & Gaius Minutius quartæ legionis hastatus ꝛuius proboscide abscisa, mori posse belluas ostenderat. Itaque & in ipsas pila congesta sunt, & in turres vibratæ faces, tota hostium agmina ardentibus ruinis operuerunt. Nec alius fi-

nis cladi erat, quàm nox dirimeret, poſtremusque fugientium rex ipſe à ſatellitibus ſaucius in armis ſuis referretur. Lucaniæ ſuprema pugna ſub Aruſinis, quos vocant, campis, ducibus iiſdem, quibus ſuperius, ſed cum tota victoria exitum, quem datura virtus fuit, caſus dedit. Nam prouectis in primam aciem rurſus elephantis, vnum ex illis pullum adacti in caput teli grauis ictus auertit. Qui quum per ſtragem ſuorum recurrens ſtridore quereretur, mater agnouit, ſeque, quaſi vindicare vellet, exhibuit; quum omnia circa quaſi hoſtilia grauí mole permiſcuit: ac ſic eadem fera, quæ primam victoriam abſtulerunt, ſecundam parem fecerunt, tertiam ſine controuerſia tradiderunt. Nec verò tantùm armis, & in campis, ſed conſiliis & domi quoque intra vrbem cum rege Pyrrho dimicatum eſt. Quippe poſt primam victoriam, intellecta Romana virtute, ſtatim deſperauit armis, ſeque ad dolos contulit. nam interemptos cremauit, captiuoſ-

captiuosque indulgentius habuit, & sine precio restituit, missisque legatis in vrbem omni modo annisus est, vt facto fœdere in amicitiam reciperetur. Sed & bello, & pace, & foris, & domi omnem in partem Romana virtus tum se approbauit. Nec alia magis quàm Tarentina victoria ostendit populi Romani fortitudinem, senatus sapientiam, ducum magnanimitatem. Nec alius pulchrior in vrbem aut spectosior triumphus intrauit. Ante hunc diem, nihil præter pecora Volscorum; greges Salinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma vidisses. Tum autem, si captiuos aspiceres, Molossi, Thessali, Macedones, Brutius, Apulus, atque Lucanus: si pompam, aurum, purpura, signa, tabulæ, Tarentinæque lauticiæ. Sed nihil libentius populus Romanus aspexit, quàm illas quas timuerat cum turribus suis belluas, quæ non sine sensu captiuitatis submissis ceruicibus victores sequebantur. Post Tarentinam cladem, domiti Picentes, &

caput gentis Asculum, à Sempronio duce; qui tremente inter prælium campo, Tellurem deam promissa æde placauit. Salentini verò Picentibus additi, capitq. his regionibus Brundisium, cum inclyto portu, M. Atilio duce, & in hoc certamine victoriæ pretium templum sibi pastoria Pales vltrò poposcit. Postremi Italicorum in fidei munere Vulsini opulentissimi Etruscorum implorantes opem, aduersus vos quondam suos, qui libertatem à dominis datam in ipsos erexerant, translataque in se republ. dominabantur. Sed hi quoque duce Fabio Gurgite pœnas dederunt.

Domita subactaque Italia, populus Rom. Appio Claudio consule primum fretum ingressus est, fabulosis famæ monstris, æstuque violentum. Sed adeo non est exterritus, vt ipsam illam ruentis æstus violentiam pro munere ampleteretur, quòd velocitas nauium iuuaretur, statimque ac sine mora Hieronem Syracusanum tanta celeritate deuicit, vt

ille

ille ipſe prius ſe victum, quàm hoſtem videret, fateretur.

Duellio Cornelioque conſulibus etiam mari congredi auſus eſt. Tum quidem ipſa velocitas claſſis comparatæ, victoriæ auſpicium fuit. Intra enim ſexageſimum diem quàm cæſa fuerat, centum ſexaginta nauium claſſis in ancoris ſtetit; vt non arte factæ, ſed quodam munere deorum conuerſæ in naues atque mutatæ arbores viderentur. Prælij verò forma mirabilis, quum illas celeres volucresque hoſtium naues, hæ graues tardæque comprehenderent. Longè plus illis nauticæ artis, detorquere remos, & ludificari fuga roſtra. Iniectæ enim ferreæ manus, machinæque validæ, ante certamen multũ ab hoſte deriſæ, coactique hoſtes quaſi in ſolido decernere. Victor ergo apud Liparam merſa aut fugata hoſtium claſſe, primum illum maritimum egit triumphum. Cuius quoddam gaudium fuit, quum Duellius imperator non contentus vnius diei triumpho, per

vitam omnem, vbi à cœna rediret, præ-
cere funalia, & præcinere sibi tibias iuſ-
sit, quasi quotidie triumpharet. Præ tanta
victoria leue huius prœlij damnum fuit,
alter consulum interceptus Asina Corne-
lius, qui simulato colloquio euocatus, atque
ita oppressus fuit, perfidiæ Punicæ docu-
mentum. Calatino dictatore fere omnia
præsidia Pœnorum Agrigento, Drepanis,
Panormo, Eryce, Lilybeoque detraxit.
Trepidatum est semel, circa Camerinen-
sium saltum. Sed eximia virtute Calpurnij
tribuni militum periculo euasimus. Qui le-
cta trecentorum militum manu, infestum
ab hostibus tumulum occupauit, adeoque
moratur hostes, dum exercitus omnis eua-
deret: ac sic pulcherrimo exitu, Thermopy-
larum & Leonidæ famam adæquauit.
Hoc illustrior noster, quod expeditioni
tantæ superfuit, & nihil inscripserit san-
guine. Lucio Cornelio Scipione, quum iam
Sicilia suburbana esset populi Rom. pro-
uincia, serpente latius bello Sardinia ad-

nexa

nexa atque Corsica, transiit Olbiam. ibi Caralæ vrbis excidio incolas terruit, adeóque omni terra & mari Pœnos fugauit, vt iam victoriæ nihil nisi Africa ipsa restaret. Marco Attilio Regulo duce, iam in Africam nauigabat bellum. Nec defuerant qui in ipso Punici maris nomine ac terrore deficerent: insuper augente Manlio tribuno metum, in quem, nisi paruisset, securi districta irruisset imperator; metus mortis nauigandi fecit audaciam, mox deinde ventis remisque properatum est, tantusque terror hostici aduentus fuit Pœnis, vt apertis penè portis Carthago caperetur. Prima præmium belli fuit ciuitas Clypea. Prima enim à Punico littore, quasi arx & specula procurrit. & hæc, & trecenta amplius castella vastata sunt. Nec cum hominibus modo, sed cum monstris quoque dimicatum est; quum quasi in vindictam Africæ nata miræ magnitudinis serpens posita apud Bragadam castra vexauerit. Sed omnium victor Regulus,

quum

Digitized by Google

quum terrorem nominis ſui latè circumtuliſſet, quumque magnam vim iuuentutis ducesque ipſos aut cepiſſet aut haberet in vinculis, claſſemque ingenti præda onuſtam & triumpho grauem in vrbem præmiſiſſet; iam ipſam belli caput Carthaginem vrgebat obſidione, ipſisque portis inhærebat. Hic paululum circumacta fortuna eſt tantũ, vt plura eſſent Rom. virtutis inſignia, cuius ferè magnitudo calamitatibus approbatur. Nam conuerſis ad externa auxilia hoſtibus, quum Xanthippum illis ducem Lacedæmon miſiſſet, à viro militiæ peritiſſimo Regulus victus eſt, fœdáque clades, Romaníſque vſu incognita. nam viuus in manus hoſtium venit fortiſſimus imperator. Sed ille quidem par tantæ calamitati fuit. nam nec Punico carcere infractus eſt, nec legatione ſuſcepta. quippe diuerſa quàm hoſtis mandauerat cenſuit, ne pax fieret, nec commutatio captiuorum reciperetur. Sed nec illa voluntario ad hoſtes ſuos reditu, nec vltimo ſine car-

cere,

cere, ſeu crucis ſupplicio deformata maieſtas. In omnib. admirabilior, quid aliud quàm victor de victoribus? Ad quæ etiam Carthago non ceſſerat, de fortuna triumphauit. Populus autem Roman. multo acrior intentiórq. pro vltione Reguli, quàm pro victoria fuit.

Metello igitur conſule conſpirantibus arctius Pœnis, & reuerſo in Siciliam bello, apud Panormum ſic hoſtes cæcidit Rom. exercitus, ne amplius eam inſulam aggredi cogitarent. Argumentum ingens victoriæ centum circiter elephantorum captiuitas. Sic quoque magnas egit prædas, vt gregem illum, non bello, ſed venatione cepiſſet. Appius Claudius conſul non ab hoſtibus ſed à diis ipſis ſuperatus eſt, quorum auſpicia contempſerat; ibi ſtatim claſſe demerſa, vbi ille præcipitari pullos iuſſerat, quod pugnare ab his vetaretur. Marcus Fabius Buteo claſſem iamiam in Africo mari apud Ægimurum oſtium in Italiam vltro nauigantem cæcidit. Quantus tum

trium-

Digitized by Google

triumphus tempestate intercidit cum opulenta præda? Classis aduersis acta ventis, naufragio suo Africam & Syrtes, omnium imperia gentium, insularumque litora impleuit. Magna clades fuit, sed non sine aliqua principis populi dignitate interceptam tempestate victoriam, & triumphum perisse naufragio constat. Et tamen cum Punicæ prædæ omnibus promontoriis insulisque fluitarent, populus Rom. & sic triumphauit. Lutacio Catulo consule tandem bello finem impositũ apud insulas, quibus nomen Ægates. Nec maior aliâs in mari pugna quippe commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis grauis classis, & in ea quasi tota Carthago, quod ipsum exitio fuit. Romana classis prompta, leuis, & expedita, & quodam genere castrensis, ad similitudinem pugnæ equestris, sic remis agebatur quasi habenis, & in hos vel illos ictus mobilia rostra, speciem viuentium præferebant. Itaque momento temporis laceratæ hostium rates, totum

inter

inter Siciliam Sardiniamque pelagus naufragio ſuo operuerunt. Tanta denique fuit illa victoria, vt de excidendis hoſtium mœnibus non quæreretur. Superuacuum viſum eſt in arcem muroſque ſæuire, quum iam in mari eſſet deleta Carthago.

Peracto quidem bello Punico, nec dum aliquantulum reſpirato, ſequitur Liguricum. Nam Ligures hi, imus Alpium iugis adhærentes, inter Varum Macramque amnem impliciti, dumis ſilueſtribus victitabant; quos panè maius fuit munire, quàm vincere. Tuti ſiquidem locis & fuga, durum atque velox genus, ex occaſione latrocinia magis quàm bella faciebant. Itaque quum diu multumque eluderent ſaltu, viis, latebris, Deceates, Oxybij, Euburiates, Iuganni, tandem Fuluius latebras eorum igni ſepſit, Bebius verò in plana deduxit, Poſtumius ita exarmauit, vt vix reliquerit ferrum quo terra coleretur. Poſt quos mox Galli. Inſubribus & his alpium incolis, animi ferarum, cor-

pora

pora pluſquam humana erant. Sed experimentum deprehenſum eſt. quippe virtus eorum ſicut primo impetu maior quàm virorum eſt; ita ſequens minor quàm feminarum. Alpina corpora humente cœlo educata, habent quoddam ſimile niuibus ſuis. Cum mox caluere pugna, ſtatim in ſudorem eunt, & leui motu quaſi ſole laxantur. Hi ſæpè & aliàs, & Britomaro duce non prius poſituros ſe balthea quàm Capitolium aſcendiſſent iurauerant. Factum autem eſt, & victos eos Amilius in Capitolio diſcinxit. Et quòd dux eorum de Romano milite prædam Marti ſuo torquem aureum deuouiſſet, intercepit Iuppiter votum, & de eius ipſius Ariouiſtinis aliorúmque Gallorum torquibus aureum trophæum Ioui erexit Flaminius. Rex quoque eorum Viridomarus Romana arma Vulcano promiſerat. Aliorſum vota ceciderunt. Occiſo enim eo, Marcellus tertia poſt patrem Romulum Feretrio Ioui arma ſuſpendit. Illyrici autem, id eſt,

Veneti

Digitized by Google

Veneti ſeu Liburni ſub extremis Alpium radicibus agunt, inter Arſiam Fituméque flumen longiſſimè per totum Adriatici maris littus effuſi. Hi regnante Teutana muliere populationibus non contenti, licentiæ ſcelus addiderunt. legatos Romanos ob ea quæ deliquerant iure agentes ne gladio quidem ſed vt victimas ſecuri percuſſerunt. Præfectos nauium igni comburunt. Idque quo indignius foret, mulier imperauit. Itaque Gnæo Fuluio Centimalo duce latè domãtur, Strictæ ſecures in principum colla legatorum manibus litauere. Poſt primùm autem Punicum bellum, vix quadriennium requies: ecce alterum bellum, minus quidem ſpacio, (nec enim amplius decem nouem annos tenens) ſed adeo cladium atrocitate terribilius, vt ſi quis conferat damna vtriuſque populi, ſimilior victo ſit populus ille qui vicit. Vrebat nobilem populum mare ablatum, raptæ inſulæ, dare tributa, quæ iubere conſueuerat. Hinc vltionem puer Hannibal ad aram

patris iurauerat, nec morabatur. Igitur Saguntus in causam belli deleta est, vetus Hispaniæ ciuitas, & opulenta; fidei erga Romanos magnum quidem sed triste monumentum. Quam in libertatem communi fœdere exceptam, Hannibal causas nouorum motuum quærens, & suis & suorum manibus euertit, vt Italiam sibi rupto fœdere aperiret. Summa fœderum Romanis religio est. Itaque ad auditam sociæ ciuitatis obsidionem, memores icti quoque fœderis cum Pœnis, non statim ad arma procurrunt, dum prius more legitimo queri malunt. Interim iam nouem mensibus fessi fame, machinis, ferro, versa denique in rabiem fide, immanem in foro excitant rogum, dum desuper se suosque cum omnibus opibus suis ferro & igni corrumpunt. Huius tantæ cladis autor Hannibal poscitur. Tergiuersantibus Pœnis, dux legationis; Quæ, inquit, mora est, Fabius. In hoc sinu bellum pacemque porto, vtrum eligitis? Succlamantibus bellum; Bellum ergo,

ergo, inquit, accipite. Et excusso in media curia togæ gremio, non sine horrore, quasi pleno sinu bellum ferret, effudit. similis exitus belli initiis fuit. Nam quasi has inferias sibi Saguntinorum vltimæ diræ in illo publico parricidio incendioque mandassent: ita manibus eorum vastatione Italiæ, captiuitate Africæ, ducum & regum qui id bellum gesserunt exitio parentatum est. Igitur simul se in Hispaniam mouit illa grauis & luctuosa Punici belli vis atque tempestas, destinatumque Romanis iamdiu fulmen Saguntino igne conflauit; statim quodam impetu rapta medias fregit Alpes, & in Italiam ab illis fabulosæ altitudinis nimbus velut cœlo missa descendit. Ac primi quidem impetus turbo inter Padum & Ticinum valido statim fragore detonuit. Tunc Scipione duce fusus exercitus, sanciusetiam ipse veniisset in hostium manus imperator, nisi protectum patrem prætextatus admodum filius ab ipsa morte rapuisset. Hic erit Scipio, qui in ex-

itium Africæ crescit, nomen ex malis eius habiturus. Ticino Trebia succedit. hic secunda Punici belli procella desæuit, Sempronio consule. Tum callidissimi hostes, frigidum & nivalem diem nacti, quum se ignibus prius oleoque fouissent (horribile dictu) homines à meridie & sole venientes, nostra nos hieme vicerunt. Thrasimenus lacus tertium fulmen Hannibalis, imperatore Flaminio. Ars noua Punicæ fraudis: quippe nebula lacus, palustribusque virgultis tectus equitatus, terga subitò invasit pugnantium. Nec de diis possumus queri, imminentem temerario duci cladem prædixerant insidentia signis examina, & aquilæ prodire nolentes: commissamque aciem secutus terræ tremor, nisi illum horrorem soli equitum virorumque discursus, & mota vehementius arma fecerunt. Quartum, id est pæne vltimum vulnus imperij, Cannæ ignobilis Apuliæ vicus, sed magnitudine cladis emersit, & quadraginta millium cæde patrata nobilitata.

Simul

Simul in exitium infelicis exercitus, dux, terra, cœlum, dies, tota rerum natura consensit. Siquidem non contentus simulatis transfugis Hannibal, qui mox terga pugnantium cæciderunt; insuper callidus imperator, in patentibus campis, obseruato loci ingenio, quod & sol ibi acerrimus, & plurimus puluis, & Eurus ab oriente semper; quasi ad constitutum ita instruxit aciem, vt Romanis aduersus hæc omnia obuersis, quasi secum cœlum tenens, vento, puluere, & sole pugnaret. Itaque duo maximi exercitus cæsi ad hostium satietatem, donec Hannibal diceret militi suo, Parce ferro. Ducum alter fugit, alter occisus est, dubium vter maiore animo. Paulum puduit, Varro non desperauit. Documenta cladis, cruentus aliquamdiu Aufidus: pons de cadaueribus iussu ducis factus, in torrente Vergello: modij duo anulorum missi Carthaginem, dignitatisque equestris taxata mensura. dubium deinde non erat, quin vltimum

mum illum diem habitura fuerit Roma, quintumque intra diem epulari Hannibal in Capitolio potuerit (sic Pœnum illum dixisse Mabarbalem Hamilcari ferunt) si Hannibal, quemadmodum sciret vincere, sic vti victoria sciisset. Sed tum quidem illum, vt vulgo dici solet, aut fatum vrbis imperaturæ, aut ipsius mens mala, & auersi à Carthagine dij in diuersum abstulerunt. Et cum victoria posset vti, frui noluit; relictaque Roma, Campaniam Tarentumque perrexit, vbi mox & ipse, & ipsius exercitus ardor elanguit; adeo vt verè dictum sit, Capuam Hannibali Cannas fuisse. Siquidem inuictum Alpibus, indomitumq. armis Campaniæ (quis crederet) soles, & tepentes fontibus Baiæ subegerunt. Permissum est interim Romanis respirare, & quasi ab inferis emergere. arma non erant, detracta sunt templis: deerat iuuentus, in sacramentum liberata seruitia: egebat ærarium, opes suas senatus in medium libens protulit: necnon

 pariter

pariter quod in bullis cingulisq. & annulis erat, nec quicquam sibi auri reliquerunt. Eques secutus exemplũ, imitatæq. equitem tribus. Denique vix suffecerunt tabulæ, vix scribarum manus, Lenino Marcelloque consulibus, quum priuatorum opes in publicum referrentur. Quid autem in eligendis magistratibus, quæ centuriarum sapientia, cum iuniores à senioribus consilium de creandis consulibus petierunt? Quippe aduersus hostem toties victorem, tam callidum, non virtute tantùm sed suis etiam pugnare consiliis oportebat. Prima redeuntis, & vt ita dixerim, reuiuiscentis imperij spes Fabius fuit, qui nouam de Hannibale victoriam commentus est, non pugnare. Hinc illi cognomen nouum & reipublicæ salutare, Cunctator: hinc illud ex populo, vt imperij Scutum vocaretur. Itaque per Samnium totum, per Falernos, Gauranosque saltus sic macerauit Hannibalem, vt quia frangi virtute non poterat, mora comminueretur. Inde Claudio Mar-

cello duce, etiam congredi ausus est; comminus venit & pepulit è Campania sua, & ab obsidione Nolæ vrbis excussit. Ausus est & Sempronio Graccho duce per Lucaniam sequi, & terga premere cedentis; quamuis cum, ô pudor, seruili pugnaret exercitu (nam hucusque tot mala compulerunt) sed libertate donatos, de seruitute Romanos fecerunt. ô horribilem in tot aduersis fiduciam, ô singularem animum & spiritum populi Romani. tam arctis afflictisque rebus, vt de tota Italia dubitare debuisset, ausus tamen est in diuersa respicere; quumque hostis in iugulo per Campaniam & Apuliam volitaret, mediamque de Italia Africam faceret, eodem tempore & hunc sustinebat, & in Siciliam, Sardiniam, Hispaniamque diuisa per terrarum orbem arma mittebat. Siciliam mandat Marcello. nec diu, restituit. tota enim insula in vna vrbe superata est. Grande illud, & ante id tempus inuictum caput Syracusæ, quamuis Archimedis

ingenio

ingenio defenderetur, aliquando cesserunt. longè illi triplex murus, totidemque arces, portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethusæ; nisi quòd hactenus profuere, vt pulchritudini victæ vrbis parceretur. Sardiniam Gracchus arripuit. nihil illi gentium feritas, Insanorumque (nam sic vocantur) immanitas montium profuere. Sæuitum in vrbes, vrbemque vrbium Caralim, vt gens contumax vilisque mortis, saltem desiderio patrij soli domaretur. In Hispaniam verò missi Gnæus & Publius Scipiones, pænè totam Pœnis eripuerunt prouinciam. Sed insidentes Punicæ fraudis insidiæ, alterum ferro castrametantem, alterum, quum euasisset in turrim, cinctum facibus oppresserunt. Igitur in vltionem patris & patrui missus est cum exercitu Scipio, cui iam grande nomen de Africa fata decreuerant. Bellatricem illam viris, armisque nobilem Hispaniam, illam seminarium hostilis exercitus, illam iam Hannibalis eruditricem, incredibile di-

Digitized by Google

ctu, totam à Pyrenæis montibus, in Herculis columnas, in Oceanum recuperauit. Eodem quidem die quo obsessa est Carthago capta est, nescio citius an felicius; quàm facile, uel una probat; omenque Africanæ uictoriæ fuit quod tam facilè victa est Hispaniæ Carthago. Certum est tamen, ad profligandam prouinciam maximè profecisse ducis sanctitatem; quippe qui captiuos pueros puellasque præcipuæ pulchritudinis barbaris restituerit, ne in conspectū suum quidem passus adduci, ne quid de uirginitatis integritate deliberasse saltem oculis uideretur. Hæc in diuersa terrarum populus Romanus. nec ideo tamen uisceribus Italiæ inhærentem submouere poterat Hannibalem. Pleraque ad hostem defecerant, & dux acerrimus contra Romanos Italicis quoque viribus utebatur. Iam tamen eum plerisque opidis & regionibus excussere Romani. Iam Tarentum tulerant, iam & Capua sedes, domus, & patria altera Hannibalis tenebatur; cuius amissio

tantum

tantum Pœno duci dolorem dedit, vt deinde totis viribus Romam conuerteretur. O populum dignum orbis imperio, dignumque omnium fauore & admiratione hominum ac deorum! compulsus ad vltimos metus ab incepto non desistit, & sua de vrbe sollicitus, Capuam tamen non omisit; sed parte exercitus sub Appio consule relicta, parte Flaccum in vrbem secuta, absens simul præsensque pugnabat.

Quid ergo miramur, mouenti castra à tertio lapide Hannibali iterum ipsos deos restitisse? Tanta enim ad singulos illius motus, suis imbrium copia effusa est, tantorum ventorum violentia coorta est; vt diuinitùs hostem submoueri, non à cœlo, sed ab vrbis ipsius mœnibus & Capitolio videretur. Itaque fugit & cessit, & in vltimum se Italiæ recepit sinum, quum vrbem tantum non adortam reliquisset. Siquidem ab Hispania Hasdrubal frater Hannibalis cum exercitu nouo, nouis viribus, noua belli mole veniebat. actum esset

procul-

proculdubio, ſi vir ille cum fratre ſe iunxiſſet. Sed hunc quoque tantum quod ab Alpe deſcenderat, apudque Metaurum caſtrametantem Claudius Nero cum Liuio Salinatore debellat. Nero in vltimos Italiæ angulos ſubmouerat Hannibalem. Liuius in diuerſiſſimã partem, id eſt, in ipſas naſcentes Italiæ fauces ſigna conuerterat. Tanto, id eſt, omni qua longiſſima eſt Italia ſolo interiacente, quo conſilio, qua celeritate conſules caſtra coniunxerint, inopinatumque hoſtem collatis ſignis oppreſſerint, neque id fieri Hannibal ſenſerit, difficile dictu eſt. Certè Hannibal re cognita, quum proiectum fratris caput ad ſua caſtra vidiſſet; Agnoſco, inquit, infelicitatem Carthaginis. Hæc fuit illius viri non ſine præſagio quodam fati imminentis prima confeſſio. Iam certum erat Hannibalem etiam ipſius confeſſione poſſe vinci; ſed tot rerum proſperarum fiducia plenus populus Romanus magni æſtimabat, aſperrimum hoſtem in ſua Africa debellare. Duce igitur

Digitized by Google

ce igitur Scipione in ipſam Africam tota mole conuerſus, imitari cæpit Hannibalem, & Italiæ ſuæ clades in Africa vindicare. Quas ille, dij boni, Haſdrubalis copias fudit! quos Syphacis Numidici regis equitatus! quæ quantaque vtriuſque hoſtis caſtra facibus illatis vna nocte deleuit! denique iam non à tertio lapide, ſed ipſas Carthaginis portas obſidione quatiebat: ſic factum, vt inhærentem atque incubantem Italiæ extorqueret Hannibalem. Non fuit maior ſub imperio Romano dies quàm ille, quum duo omnium & antea & poſtea ducum maximi duces, ille Italiæ hic Hiſpaniæ victor, collatis cominus ſignis direxere aciem. Sed & colloquium fuit inter ipſos de legibus pacis. ſteterunt diu mutua admiratione defixi: vbi verò de pace non conuenit, ſigna cecinere. Conſtat vtriuſque confeſſione, nec melius inſtrui aciem, nec acrius potuiſſe pugnari. Hoc Scipio de Hannibalis, Hannibal de Scipionis exercitu prædicauerunt. Sed tamen

men Hannibal cessit, præmiumque victoriæ Africa fuit, & secutus Africam statim terrarum orbis. Post Africam iam vinci neminem puduit, sed æquo iure vbique subacti. Primùm igitur Leuino consule Populus Romanus Ionium mare ingressus, tota Græciæ litora velut triumphante classe peragrauit. Spolia quippe Siciliæ, Sardiniæ, Africæ præferebat, & manifestam victoriam, quam nata in prætoria puppi laurus pollicebatur. Aderat sponte in auxilium Attalus rex Pergamenorum, aderant & Rhodij, nauticus populus, quibus à mari consul, à terris omnia equis virisque quatiebat. Bis victus, bis fugatus rex Macedonum, bis exutus castris, quum tamen nihil terribilius Macedonibus fuit ipso vulnerum aspectu, quæ non spiculis, nec sagittis, nec vllo Græculo ferro, sed ingentibus pilis, nec minoribus adacta gladius vltra morem patebant. Enimuerò Flaminio duce, ad inuios antea populo Romano Chaonum montes, Sauumque amnem

nem per abrupta vadentem, & ad ipsa Macedoniæ claustra penetratum victoria fuit. Nam postea nunquam ausus congredi rex, ad tumulos, quos Cynocephalos vocant, vno ac ne eo quidem in iusto prælio opprimitur. In Numidia tunc amici Populi Romani regnabant. Sed Iugurtha contra se bellum mouit Romanorum, propter necem Adherbalis & Hiempsalis Micipsæ liberorum; expugnatáque est primum à Metello consule, debinc à Mario Numidia domita. Mauritaniam verò Bochoris tuebatur. Sed quum collectio omnium Maurorum facta est, Jubas rex videns quæ pugnæ fuisset offensio, mox superatum sese sensit. veneno hausto defecit, omnisq. Mauritania Romanis subacta. Tripolis namque, & vtraque Mauritania, Sitifensis, & Cæsariensis, similiter Romano imperio, ceterorum formidine tactæ, vltro se subegerunt. Hispanias quamuis, vt superius diximus, Saguntina clades ab amicitiis Romanorum segregasset, Scipio tamen eos

tam

tam gratia quàm virtute rursus coniunxit Romanis, rursúsque resistentes Sylla consul sedauit. Celtiberos similiter cum Numantinis aduersus Romanos insurgentes, Scipio iunior sedauit, compescuit, atque pænè subuertit. Cantabri & Astures confisi montium suorum munimine, dum resistere moliuntur, plenissimè demoliti sunt, & in prouinciam redacti. Tarraconenses, Lusitani, Galleci, Carthaginisii, & Seticani contra promontorium Africæ sitæ, omnes vno pænè prælio superatæ, & in prouincias Romanas descriptæ sunt. Epirotæ, qui in Illyrico quamuis cum Pyrrho rege suo contra Italiam conspirassent, tamen primùm pacem moliti, secundò ac tertiò rebellantes, cum Achiuis & Thessalis edomiti, Romano iugo subacti sunt. Macedonia namque primum sub Philippo, deinde sub Perseo, tertio sub Pseudophilippo arma contra se prouocauit Romana, oppressáque primo Flaminio consule, secundo à Paulo, tertio à Metello superata, colla submisit,

Digitized by Google

ſubmiſit, Romanáque prouincia facta. Illyriam autem cum Gentione ſuo rege, Macedonibus auxiliantibus vicit Romanorum Lucius prætor, & in prouinciam redegit. Dardanos Mœſiosque Curione primum proconſule domuit, primusque omnium Romanorum Danubium amnem vſque profectus, cuncta eius loca vaſtauit. Pannoniarum quoque regem in certamine ſuperans, idem Lucius redegit in prouinciam vtraſque Pannonias. Amantinos autem qui inter Sauum Draumque flumina inſident, rege eorum interempto, ipſa vice Romanam fecit prouinciam. Marcomanni & Quadi in illa Valeria quæ inter Draum Danubiumque interiacet, ab eodem tunc ductore oppreſſi, finesque inter Romanos & barbaros ab Auguſto per Vindeliciam, per Noricum Meſiamque diſpoſiti. Daces autem poſthac iam ſub imperio ſuo Traianus Decebalo eorum rege deuicto, terras vltra Danubium, quæ habent decies centum mille paſſus, ſpacia,

in prouinciam redegit. Sed Galienus eos dum regnaret amisit; Aurelianusque imperator, euocatis exinde legionibus, in Mesia collocauit, ibique aliquam partem Daciam mediterraneam, Daciamque Ripensem constituit, & Dardaniam iunxit. Illyricus autem cuncta per partes quidem & membra deiecta, ad vnum tamen corpus aptata est, quæ habet intra se prouincias decem & octo. hæ sunt, Norici duæ, duæ Pannoniæ, duæ Valeriæ, Sueuia, Dalmatia, Mesia superior, Dardania, Daciæ duæ, Macedonia, Thessalia, Achaia, Eiros, Præuales, Creta, simul decem octo. Thracias autem non aliter nisi occasio Macedonici belli fecit aggredi. Diri nanque homines omniumque gentium ferociſſimi sunt Thraces, quorum sæuitiam pariter habent & Scordisci, & Emimontij, Asticique, ob quorum immanitatem Romani multa & grauia pertulerunt, crebrisque certaminibus exercitus cæsus. Ad postremum à Marco Didio & ipsi subacti, &

loca

loca eorum in prouinciam redacta, iugum excepere Romanum. Nam Marcus Druſus intus eos in montibus eorum contriuit, Minutius in Gebro amne eorum multos extinxit & vicit. Rodopeni per Appium Claudium deuicti ſunt, & ciuitates maritimas Europæ, quæ dudum Romanæ fuiſſent, & poſtmodum rebellaſſent, Marcus Romanis ſubegit. Lucullus ſiquidem primus in Thracia contra Beſſos pugnans, eos qui in fortitudine famaque præibant deuicit; Emimontiosque debellans, Pulendenam quæ nunc Philippopolis, & Uſtudamam quæ Adrianopolis vocatur, in Romanorum redegit dominium. Similiter & capiens ciuitates quæ litori Pontico inhærebant, id eſt Apolloniam, Galatam, Parthenopolim, & Tomos Iſtri, omniaque loca vſque ad Danubium ſubdens, Scythis Romanorum oſtendit virtutem. Hactenus ad partes occiduas. nunc quæ in Eoa plaga ſunt percurramus. Primum quidem in Aſia locum Romani hæreditario iure in-

Digitized by Google

uenerunt. Nam Attalus rex, amiciſſimus populi Romani, humanis rebus excedens, per teſtamentum ſuum Romanos ſuo in regno hæredes conſtituit: quod pænè non ante Romanus populus adiit, niſi & ſuo labore vicina loca cepiſſet, id eſt Lydiam, Cariam, Helleſpontum, utramque Phrygiam. Nam Rhodus opinatiſſima inſula, & totius Adriæ inſularum metropolis pænè cum omnibus Cycladibus arma pertimeſcens Romana, iam dudum ſe fœderatam populo illi coniunxerat, & nauali bello ſolatia condonabat. Cum quibus Seruilius proconſul directus, quaſi piratico bello, obtinuit tamen Pamphyliam, Lyciam, Piſidiamque domicit, fecitque prouincias. Bithyniam uerò Nicomedes rex moriens, teſtamentali uoce reliquit. Gallogræciam autem, id eſt Galatiam Syriaci belli ruina conuoluit. Fuit nanque inter auxilia regis Antiochi. An fuiſſet cupidus triumphi Mumius, dubium eſt. Dubiis nanque prœliis fuſi fugatique ſunt, quam-

uis

tuis ſub aduentu hoſtis ſedibus relictis in altiſſimos ſe montes recepiſſent. colonos abegit. Olympum tecti ſago & magaba inſederant. Utrimque fundis ſagittiſque detracti, in perpetuam ſe pacem dederunt: ſed alligati miraculo quodam fuere, quum cathenas morſibus & ore tentaſſent, quum offricandas in vices fauces præbuiſſent. Nam Orgia Contis vxor à centurione ſtuprum paſſa, memorabili exemplo cuſtodiam euaſit, renulſumque adulteri caput ad maritum reportauit. Deiotarum ſiquidem amicum ſenatus præfecit Galatiæ, ſed poſthæc Cæſar eos redegit, prouinciamque fecit. Cappadoces quoque ſub Epaphra rege conſtituti, primùm per legatos ſuos Romanorum amicitias petierunt, dehinc Ariobarzane rege ſuccedente, & à Mithridate expulſo, vltrò ſe Romano ſeruitio tradiderunt, magnamque ciuitatem ſuam Mazacam in honorem Cæſaris Cæſaream appellauerunt. Poſt hæc iterum ſub Claudio imperatore rex eorum

Digitized by Google

Archelaus Romam aduenies, quaſi amicus populi Romani. ibiq́ue defunctus, teſtamentali voce Cappadociam Romanis dedit, & ſic iam ex integro in prouinciam facta eſt. Pontus à Pompeio deuicta cum ſuo rege Mithridate, facta prouincia eſt. Paphlagoniæ Pylemenes rex amicus populi Romani, à multis dum iniquietaretur, Romanorum petiit auxilium. Se quoque dum de inimicis vlciſceretur, defunctus, Romanos per teſtamentum hæredes reliquit. Hactenus intra Taurum. nunc vlterius tranſgrediamur, & quæ patriæ aut quibus ſubiugantibus populo Romano coniunctæ ſint, memorabimus. Antiochus Syriæ fortiſſimus rex magnum apparatum belli contra populum Romanum commouit. trecenta milia ſiquidem armatorum, currusq́ue falcatos, quamplures elephantos, innumeros turritos, & inſtar muralis in acie ordine ſitos; cui obuiauit Scipio Africani Scipionis frater in Aſia ad Magneſiam ciuitatem; commiſſoq́ue prælio,

Antiochus

Antiochus victus est, percussúmque fœdus cum Romanis, ab Asia discessit, & vltra Taurum ex Senatusconsulto regnare permissus est, filiosque eius in obsidatu Romæ deductos post patris obitum regnare genitali loco concessum. Cilices cum Isauris piratæ effecti, & in mari magno sæpè latrocinia concitantes, à Seruilio proconsule victi & prostrati sunt. hic quoque Seruilius primus Romanorum Tauri iugum peruium fecit, triumphansque de eorum spoliis, Isauricus & Cilicus vocatus est. Cyprum Cato classe nauigera directus inuasit. Cypris negantibus habere se aliquid, magnas illic opes reperit, proscriptionibusque multauit. Quod non ferens Gnosius rex eorum, veneno hausto semet occidit, & sic Cyprus Romana facta prouincia. Libyam, id est Pentapolim totam, primo illo Ptolemæo Romanis sub libertate concessam, tamen resistentes dehinc, Appionis consilium populo Romano subdidit. Ægyptus omnis ab amicis Romanorum, id

Digitized by Google

est Lagitis per Ptolemæos possessa. post-hæc Cleopatra & Antonius iure proprio vindicantes, & se & illam amittunt. Montes verò Armeniæ primùm per Lucullum Romana arma viderunt, per quem & Osræne & Saracenorum phylarchi devicti Romanis se dediderunt: Mesopotamiámque idem ipse, Nisiben quoque urbem invasit. Post quem Pompeius eadem loca ingrediens, Romano confirmauit imperio. Syriam Comagenen iusto prælio Tigrane devicto invaserat. Arabes & Palestini eodem Pompeio ductante devicti sunt. Babylonij autem crebro concertantes, sæpenumero victi, nunquam tamen ad integrum domiti sunt. Quos tamen primùm Lucius Sylla proconsul sub Arsace eorum rege devicit, ab eóque rogatus per legatos pacem concessit. Secundò dum Lucius Lucullus à Pontico regno Tigranem regem Armeniæ cum decem & octo millibus superatum expelleret, omni Armenia invasa, ad Mesopotamiam ve-

nit,

Digitized by Google

nit, ibi Nisiben cum fratre regis Parthorum cepit, æqua sorte Persidem cupiens devastare, nisi Pompeius à Senatu directus ei aduenisset successor. Hic etenim Pompeius ilico veniẽs, mox nocturno prælio in minori Armenia super Mithridatem irruens, XLII *milia Armeniorum prosternens, eius castra succendit. Vnde Mithridates cum vxore & duobus satellitibus fugiens Bosporum venit, nimiáque desperatione detentus venenum accepit. Sed dum nec sic mors ei accederet, alterum è duobus satellitibus rogauit vt se perimeret. Pompeius autem maiori Armenia dum persequeretur Tigranem contra Romanos auxilium commodantem, ille in Artaxata vrbe regno deposito, vltro diadema suum Pompeio obtulit: sed Pompeius pietate ductus, vltra minorem Armeniam ei concessit regnare, auferens ab eo Mesopotamiam & Syriam, partemque Phœnicis cum Armenia. Nam Bosporanis Colchisque Aristarchum regem Pompeius*

 præposuit,

præposuit, Albanosque insequens, Orodem regem eorum tertiò superauit, ad postremum rogatus pacem concessit. Hiberiam similiter cum Artace rege in deditione excepit. Sarracenos Arabasque exsuperans, Hierosolymam inde captiuauit. Cum Persis fœdere percusso, reuertens Daphnensem agrum Antiochenis concessit ob nimiam loci amœnitatem pro munere. His & aliis rebus in Syria bene gestis, vnius fœdauit auaritia. Nam Crassus consul, dum Parthico inhiat auro, vndecim legiones pænè cum suo capite amisit. Cuius in conspectu & filius hostilibus telis confossus, & ipse peremptus, caputque eius præcisum cum dextera manu, ad regem reportatum ludibrio fuit; neq. indigno: Aurum enim liquidum in rictum oris infusum est, vt cuius animus auri arserat cupiditate, eius etiam mortuum exsangue corpus auro vreretur. Reliqui verò infelicis exercitus, quò quemque rapuit fuga, in Armeniam, Ciliciam, Syriamq. distracti, vix cladis tantæ nuncium

cium retulerunt. Hac ergo clade altius Parthi animos eleuantes, per Pacorum ducem Syriam inuadunt, ducemque Labienum, quem dudum ceperant, exercitui præponentes, contra ſocios, id eſt Romanos, in prælio dirigunt.

Sed Ventidius Baſſus Perſas ſub vtroque duce Syriam populantes, ſuperatos effugat, Labieniúmque interfecit; Pacorum verò regium iuuenem telis vndique circumſeptum extinxit, moxque capite eius dempto & circumlato per vrbes quæ deſciuerant, Syriam ſine bello recepit. Sic Craſſianam cladem Ventidius Pacori capite, Labieniique morte penſauit. Nec ſic contentus populus Romanus, Craſſianum interitum obliuiſci, inde adhuc ſæuit in Parthos. Nam Marcus Antonius in Mediam ingreſſus, contra eos arma commouit, ibi ſuperans eos, deinde cum duabus legionibus inedia hiemeque correptus, vix in Armeniam Parthis ſequentibus fugit, ibique ereptus eſt. Sub Auguſto dehinc

Octauiano

Octauiano Armenij cum Parthis commixti, per Claudium Cæsarem nepotem Augusti ocyus superantur. Armenij siquidem vtilius rati Romanorum amicitiæ reconciliari, & proprias sedes incolere; quàm cum Parthis coniuncti, & sedes perdere, & Romanos infestos habere. Sic quoque dum in partibus orientalium Romanus laborat exercitus, occiduæ plagæ infestæ sunt. Norici qui in Alpibus Noricis habitantes credebant quasi in rupes & niues bellum non posse ascendere: sed mox omnes illius cardinis populos, Brennos, Teutones, Senones, atque Vindelicos, per eundem Cæsarem gladio Romanus vicit exercitus. Quæ tamen fuerit Alpinarum gentium feritas, facile est vel per mulieres ostendere, quæ deficientibus telis, infantes suos afflictos humi in ora militum aduersa miserunt. Nec minore his sæuitia Illyrici pariter accenduntur. Contra quos Augustus è vicino egressus, pontẽ vnde aquam transiret fieri imperauit. Dumq. aquis & hostibus

hostibus ad ascensum milites turbarentur, scutum ipse rapuit, & viam primus ingressus est. Tum agmine secuto, cum subruptus multitudine pons succidisset, sauciis manibus & cruribus, speciosior sanguine, & ipso periculo augustior, terga hostium cæcidit. Pannonij verò duobus saltibus, tribus fluuiis, Drao, Sauo, Histróque vallantur, contra quos Vibium misit, qui eos plus feliciter vicit, quàm eorum flumina cursu rapido currant. Dalmatæ similiter siluis commanentes, plurimam partem latrocinando vastabant: ad quos edomandos Vibium mandat, qui efferum genus fodere terras coëgit, aurumque è venis repurgare. Mœsi verò quàm feri, quàm truces erant? vnus ducum ante aciem postulato silentio; qui vos estis? inquit. Responsum est, Romani gentium domini. Et ille, Ita fiet inquit, si nos viceritis. Sed mox ad bellum ventum est, nec classicum audire valuerunt. sic à Marcio superati sunt. Thraces antea sæpe, tunc tamen Rometalca

Digitized by Google

metalca regnante ſibi à Romanis deſciſcunt. Nam hic barbaros & diſciplinæ & ſignis militaribus aſſuefecerat: ſed à Piſone perdomiti, in ipſa captiuitate rabiem oſtendebant. nam cathenas quibus ligati erant morſibus vellicantes, feritatem ſuam ipſi puniebant. Daciam quoque vltra Danubium ſitam, exindeque ſæpius elatos, gelato Danubij alueo ad furta in Pannoniam tranſeuntes, Lentulo miſſo vicit, expulit, atque ſubegit. Sarmatas quoque per eundem Lentulum vltra Danubium pepulit. Qui nihil aliud vbi degunt præter niues pruinasque & ſiluas habent, tantaque barbaries in illis eſt, vt nec intelligant pacem. Marmaridas verò & Garamantes in orientali hiemali plaga per Quirinum ſubegit. Germanos, Etallos, Britones, Hiſpanos, Hiberos, Aſtures, Cantabros occiduali axe iacentes, & poſt longum ſeruitium deſciſcentes, per ſe ipſe Auguſtus accedens rurſus ſeruire coëgit, Romanisque legibus viuere. Cleo-

patra

Digitized by Google

patra verò Alexandrinorum regina ex genere Lagitarum, Ptolemæorumque successor, prius contra viri sui Ptolemæi insidias Caium Iulium Cæsarem interpellauit, qui ob stupri (vt perhibent) gratiam, regnum eius confirmauit, ipsamque in vrbem cum magna pompa deductam Alexandriæ permisit regnare. Cassius Iudæa capta templum spoliauit. Occiso verò in curia Romæ Cæsare Iulio, nepos eius Augustus suscepit principatum, quem Antonius, dum inuideret, nihilque lædere posset, vrbem Romam ingreditur, & ad partes Ægypti, quasi Romanæ prouisor reipublicæ, accedit. Ibi iam viduam à viro regnantem reperiens Cleopatram, se quoque cum illa consocians, cæpit sibi dominationem parare. nec tacitè; sed patriæ, nominis, togæ, fascium oblitus, in monstrum illud vt mente ita animo cultuque desciuerat. aureus in manu baculus, in latere acinaces, purpurea vestis ingentibus obstricta gemmis. Diadema deerat, vt regina

rex

rex & ipſe frueretur. Quòd Auguſtus Cæſar audiens, à Brundiſio Calabriæ in Epirum, vt eum à cœpta remoueret tyrannide, tranſierat. Nam Antonius omne Actiacum litus iam claſſibus obſidebat. Sed mox vbi ad prælium ventum eſt, & Cæſaris claſſis illius cœpit turbare nauigium; prima mox fuga regina cum aurea puppi veloque purpureo in altum ſe dedit. Mox ſecutus Antonius. ſed inſtat veſtigiis eorum Cæſar. Itaque nec præparata in Oceanum fuga, nec munita præſidiis vtraque Ægypti cornua Paretonium atque Peluſium profuere. Prope fuere, prope manu tenebantur. primus ferrum occupauit Antonius; regina ad pedes Auguſti prouoluta tentauit oculos ducis. frustra quidem. nam pulchritudo intra pudicitiam principis fuit. nec illa de vita, quæ offerebatur, ſed de parte regni laborat. Quòd vt deſperauit à principe, ſeruitique ſe triumpho cognouit, incautiorem nacta cuſtodiam, in mauſoleum ſe regum recepit, ibique maximos,

mos, vt ſolebat, cultus induta, in referto odoribus ſolio, iuxta ſuum ſe collocauit Antonium, admotiſque ad venas ſerpentibus, ſic morte quaſi ſomno ſoluta eſt. Hic finis bellorum Auguſti Cæſaris tam cum ciuibus quàm cum extraneis. Sic quoque Auguſtus, vt Cæſar Octauianus; quo nullus imperatorum in bellis felicior, nec pace moderatior fuit, ciuiliſſimus in omnibus; qui ab oriente in occidentem, à ſeptentrione in meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus vna pace compoſitis, Iani portas ipſe tunc clauſit, & cenſum Romæ cum Tiberio cogitans, inuenit hominum nonagies trecenta ſeptuaginta milia, omnemque orbem venientis Ieſu Chriſti natiuitate pacatum cenſeri præcepit, regnauitque annos quinquaginta ſex: ſed imperio eius ſecundo ac quadrageſimo anno, Dominus Ieſus Chriſtus ex ſpiritu ſancto ac Maria virgine Deus verus ac homo verus naſci dignatus eſt. quatuordecim reſiduos annos poſt Domini aduen-

tum corporali præsentia, in pace regnans, & ipse singularem obtinuit principatum; & posteris eandem imperij potestatem cum suo nomine Augusti derelinquens, rebus excessit humanis, successorem relinquens Tiberium priuignum suum.

Tiberius Augustus Cæsar regnauit annos viginti tres, qui multos reges ad se blandicus euocatos, nunquam ad propria regna remisit, in quibus & Archelaum Cappadocum regem. Cuius & regno, postquam defunctus est, in prouinciam verso, Masacam ciuitatem eius de nomine suo Cæsaream vocitauit. huius verò anno XVIII dominus noster Iesus Christus sub Pontio Pilato in Iudea carne passus est, non deitate.

Caius Cæsar cognomento Caligula regnauit annos tres, menses decem. hic namque Memmium Regulum coëgit, vt vxorem suam sibi lege filiæ coniugem daret, instrumentaque matrimonij vt pater conscriberet. hæc & his similia perpetrans, necnon

necnon & in templo Hieroſolymitano lo-
mis ſtatuam per Gaium Petronium ſta-
tuens, & in Alexandria Iudæos per Flac-
cum Anilium præfectum opprimens, po-
ſtremo à protectoribus ſuis in palatio Ro-
mæ occiſus eſt, anno ætatis ſuæ ſexageſimonono.

Claudius deinc huic ſuccedens, regna-
uit annos tredecim, & menſes nouem. fe-
cit etiam hic Claudius expeditionem in
Britanniam inſulam, quam iam nemo ante
Iulium Cæſarem neque poſt eum quiſquam
adire auſus fuerat, exercitum duxit, ibique
ſine vllo prælio ac ſanguine, intra pauciſſi-
mos dies, plurimam inſulæ partem in de-
tionem recepit. Orchadas autem inſulas in-
tra Britanniam in Oceano poſitas, Roma-
no adiecit imperio. Ac ſexto quo profectus
erat menſe Romam repedauit, ibique de-
functus eſt annorum ſexaginta quatuor.

Nero nepos Caij Caligulæ regnauit an-
nos tredecim, menſes octo: tantæque lu-
xuriæ fuit, vt frigidis & calidis lauaretur
vnguentis. Is etenim non ſolum quidem

non profuit reipublicæ, imò obfuit nimis. Nam duas legiones in Armenia cum ipſa prouincia ſimul amiſit, qui Parthico iugo ſeruientes, grauem infamiam Romanis dederunt. Iuxta omne ſcelus & paricidium quod in proprios parentes commiſerat, addidit facinus, vt ad inſtar Troiæ Romam incenderet, manuſque iniiciens in Chriſtianos, perſecutionem concitat, ipſoſque doctores fidei Petrum ac Paulum in vrbe interemit, alterum cruci affigens, alterum capite plectens. eoque cum dedecore regno euulſo, Galba in Hiberia, Vitellius in Germania, Otthо Romæ imperium arripuerunt, omnesque tamen celeri interitu interierunt.

Veſpaſianus apud Iudæam ab exercitu in regnum aſcitus, regnauit annis decem. Nam relicto filio ſuo Tito ad expugnationem Hieroſolymorum, ipſe Romam profectus regnauit in pace.

Titus filius Veſpaſiani, idemque Veſpaſianus debellator Iudææ gentis, regnauit annis

Digitized by Google

annis duobus mensibus duobus. hic nanque secundum Iosephi fidem, undecies centena millia Iudæorum fame & gladio interemit, & alia centum millia captiuorum publicè vendidit. Tantam multitudinem in Hierosolymis paschalis festiuitas adunauerat.

Domitianus frater Titi, filius Vespasiani, regnauit annos XV, menses quinque; tantæque fuit superbiæ, vt se deum ab omnibus primùm appellari præciperet. multosque nobilium exilio relegans, nonnullosque occidens, de substantiis eorum aureas argenteasque sibi statuas fecit, manúsque in Christianos iniiciens, Ioannem apostolum & euangelistam, postquam in feruenti oleo missum non potuisset extinguere, in Pathmos eum insulam relegauit, vbi apocalypsim vidit. Cuius crudelitatem non tolerantes Romani, in palatio Romæ interficere statuerunt; omnéque quod constituerat irritum fecêre.

Nerua admodum senex regnauit an-

no uno, mensibus quatuor, qui ut priuata uita leuis, leuior fuit in regno, nec quicquam profuit Reipublicæ, nisi quòd Traianum se uiuente elegit.

Traianus pæne omnium Imperatorum potior regnauit annis XVIII, *mensibus* VI. *hic enim de Dacis Scythisque triumphauit, Hiberósque & Sauromatas, Osdroenos, Arabas, Bosforanos, Colchos edomuit, postquam ad feritatem proruperunt. Seleuciam, & Ctesiphontem, Babyloniamque persasit & tenuit. Netnon & in mari rubro classem, unde Indiæ fines uastaret, instituit; ibique suam statuam dedicauit, & post tot labores apud Seleuciam Isauriæ profluuio uentris anno ætatis extinctus est sexagesimo tertio, ossaque eius in urna aurea collocata, & in foro sub columna posita, solusque omnium Imperatorum intra urbem sepultus.*

Adrianus Italicæ de Hispania natus, consobrinæ Traiani filius, regnauit annis uiginti unum. hic pænè nil profuit reipub.

nisi

niſi quòd dudum ſubuerſas Alexandriam & Hieroſolymam propriis reparauit expenſis, nonnullisque in locis publica relaxauit tributa. Hieroſolymam ſiquidem ſuo de nomine Æliam appellans, nulli ludæorum ingredi permiſit. Nam claret eum inuidum factis Traiani, quia mox vt ei ſucceſſit ilicò nulla neceſſitate faciente exercitum ad ſe reuocans, Meſopotamiam, Aſſyriámque, & Armeniam Perſis reliquit, Euphratem fluuium finem terminúmque inter Parthos Romanóſque conſtituens. Quo regnante, Aquila Ponticus ſcripturas de Hebræo tranſtulit. Adrianus morbo apud Baias quatiente obiit.

Antoninus cognomento Pius cum ſuis liberis Aurelio & Lucio regnauit annis XXII, *menſibus* III. *Et ſi non profuit quidquam Antoninus, nullam tamen læſionem reſpublica ſenſit. Defunctus eſt duodecimo vrbis miliario, in villa Sualoris nuncupata, anno ætatis ſeptuageſimo ſexto. Regnauit annis* XIX. *menſe vno.*

Marcus Antoninus, qui & Verus, & Lucius Aurelius Commodus affinitate coniuncti, æquo iure imperium administrauerunt. E quibus iunior contra Parthos arma mouens, magna egit & fortia, Seleuciamque vrbem eorum cum quadringentis milibus accepit pugnatorum. Senior verò multis sæpe bellis interfuit, sæpiúsque per duces suos triumphum reuexit maxima de gente Quadorum, è quibus cum magna gloria triumphauit. Sed vnus in Alteno apoplexiam passus defunctus est, alter in Pannonia vrbe periit.

Commodus filius Antonini regnauit annis tredecim, magnúmque triumphum de gente reuexit Germanica, & posthæc in domo Vestiliani strangulatus defecit.

Helius Pertinax maior sexagenario, quum præfecturam ageret, ex senatusconsulto imperator creatus, regnauit menses sex. Hic etenim obsecrante senatu vt vxorem suam Augustam, filiúmque Cæsarem appellaret; Sufficere, inquit, debet, quòd

ego

ego ipſe inuitus regnaui, quum non mererer. Nimis æquiſſimus, omniumque communis, quem Iulianus iuriſperitus in palatio eius peremit, ipſeque poſtea à Seuero occiſus eſt.

Seuerus genere Afer, Tripolitanus, regnauit annis decem & octo, cuiusque eſt occiſionem Pertinacis in Iuliano. ſe quoque Pertinacem appellauit. Hic etenim Parthos & Adiabenos contra Romanos inſurgentes mirabiliter ſuperauit. Arabas quoque interiores ita cæcidit, vt regionem eorum Romanam faceret prouinciam. Sic quoque triumphans, Parthicus, Arabicus, Adiabenicus dictus eſt. Hoc regnante Samarites quidam Symmachus, Iudæorum factus proſelytus, item diuinas ſcripturas ex Hebræo ſermone Græca lingua tranſfudit, ſuamque condidit editionem. poſt quem pænè tertio anno ſecutus Theodotion Ponticus, item ſuam in eodem ſuo opere editionem ſcripturarum compoſuit. Britannicum bellum exortum, vnde Se-

Digitized by Google

uerus mirabiliter triumphauit.

Antoninus cognomento Caracalla, filius Seueri, regnauit annos septem. Nam ideo hoc nomen nactus est, quòd eiusmodi uestium genera Romæ de manibus erogans, sibi nomen Caracalla, & uesti Antoniana dederit. Sub hoc iterum editio scripturarum diuinarum, quam Quintam uocamus, in Hiericho in dolio reperta est. Hic etenim Imperator, dum contra Persas mouit procinctum, in Osdroenes Edessa defunctus est.

Macrinus præfecturam agens prætorianam, Imperator creatus est. regnauitq. anno uno, occiditurque ab Archelaide.

Marcus Aurelius Antonini Caracallæ filius, templique Heliogabali sacerdos, imperator factus; annò quarto Emaus in Iudæa constructa, & Nicopolis nominata. Tunc & Africanus egregius scriptor temporum, pro ipsa legationem suscepit ad principem. Sed imperator dum nullum genus obscœnitatis in regno suo quod non

faceret

Digitized by Google

faceret prætermittebat; occisus est à tumultu militari. regnauit annis III.

Alexander Mameæ filius, ignobilis fortunæ existens, adhuc iuuenis, regni moderationem suscepit; moxque contra Xerxem regem Persarum arma arripiens, mirabiliter de Parthorum spoliis triumphauit. Sub huius item imperio, in Nicopoli Aetiaca, id est, Epiro, editio, quæ sexta dicitur diuinarum scripturarum, in dolio reperta est: ipseque Mogontiaco tumultu occiditur militari.

Maximinus genere Gothico, patre Micca, Abaqua Alanagenitus matre, sola militum voluntate ad imperium conscendens, bellum aduersus Germanos feliciter gessit; indeque reuertens, contra Christianos intestina prælia, vix annos tres regnans, Aquileiæ à Pupieno occisus est.

Gordianus admodum puer Imperator factus, vix regnauit annos sex. Hic etenim mox vt Romam ingressus est, ilicò Pupienum & Balbinum, qui Maximinum

num occidentes tyrannidem arripuerunt, occidit: Ianumque geminum aperiens, ad Orientem prouectus, Parthis intulit bellum, indeque cum victoria reuertens, fraude de Philippi præfecti prætorij haud longè à Romano solo interfectus est.

Philippus imperium impudenter ingressus, regnauit annis septem. Hic etenim filium suum, id est, Philippum consortem regni fecit, ipseque omnium imperatorum Christianus primus effectus est, tertioque anno imperij sui festiuitatem Romana vrbis millesimo anno quem expleuerat celebrauit; vrbemque nominis sui in Thracia, quæ dicebatur Pulpudena, Philippopolim reconstruens nominauit.

Decius Pannonia inferiore Bubalia natus, occisis Philippis vtrisque, regnauit anno vno, mensibus tribus. armisque in Christianos erectis, ob Philipporum nominis odium, ipse bellantibus Getis cum filio suo crudeli morte occubuit abrupto.

Gallus & Volusianus regnauerunt annis

Digitized by Google

annis duobus, mensibus quatuor. Hi quum aduersum Æmilianum, qui in Mœsia res nouas moliebatur, ex urbe profecti essent, in Foroflaminij interfecti sunt.

Æmilianus verò tertio mense inuasæ tyrannidis extinctus est.

Valerianus & Gallienus, dum unus in Rhetia à militibus, alter Romæ à senatu in imperio leuarentur, regnauerunt annos quindecim. Valerianus siquidem in Christianos persecutione commota, statim à Sapore rege Persarum capitur, ibique seruitute miserabili consenescit. Gallienus illius exitum cernens, Christianis pacem dedit: sed dum nimis in regno lasciuiret, nec virile aliquid ageret, Parthi Syriam Ciliciamque vastauerunt. Germani & Alani Gallias deprædantes, Rauennam usque venerunt. Græciam Gothi vastantes, Quadi & Sarmatæ Pannonias inuaserunt. Germani rursus Hispanias occupauerunt. idcirco Gallienus Mediolani occisus est.

Claudius

Claudius regnauit anno vno mensibus octo. Qui Gothos iam per XV annos Illyricum Macedoniamque vastantes bello adortus, incredibili strage deleuit, scilicet vt in curia ei clypeus aureus, & in Capitolio statua aurea poneretur, occisusque apud Sirmium est.

Post huius mortem Quintilius frater eius à senatu Augustus appellatus, octauo decimo imperij sui die Aquileiæ occisus fuit.

Aurelianus Dacia Ripensi oriundus, regnauit annos quinque, menses sex. Qui mox Tetrico apud Catalaunios prodente exercitu Gallias recepit, expeditioneque facta vltra Danubium, Gothos magnis præliis profligauit, cultoresque diuini nominis persecutus est. Odenatus Palmyrenus ante ipsum collecta rusticorum manu, Persas de Mesopotamia expellens, ipse ea loca inuaserat. Quo occiso, vxor sua orientis tenebat imperium: contra quam expeditionem suscipiens Aurelianus, apud

Hymnas

Digitized by Google

Hymnas vicum Antiochiæ ſuperauit, Romæque in triumpho viuam perduxit; ac dehinc ſecundò arripiens expeditionem, inter Byzantium & Heracleam in Cenophrurio viæ veteris occiditur.

Tacitus regnauit annos ſex. Quo occiſo apud Pontem, Florianus ſuſcepit imperium, tenuitque diebus trecentis quinquaginta octo. Similiter & ipſe apud Tarſum interfectus eſt.

Probus regnauit annos ſex, menſes quatuor. Hic enim Gallos & Hiſpanos vineas habere permiſit. Quo tempore Saturninus magiſter militum dum ad reſtaurationem Antiochenæ ciuitatis miſſus fuiſſet, abrepta ibidem tyrannide, mox oppreſſus eſt, & Apamiæ interfectus. Ipſe quoque imperator Probus tumultu militari Sirmio in turre quæ vocatur Ferrata occiſus eſt.

Carus cum filiis Carino & Numeriano regnauit annos vndecim, oriundus Narbona Galliæ. Hic admirabiliter pæne omni

Digitized by Google

omni Perſide vaſtata nobiliſſimas earum vrbes occupauit, Seleuciam & Cteſiphontem. Bellum Sarmaticum feliciter ſuperauit. Ipſe quoque Carus ſuper Tigridem amnem dum caſtrametaret, fulmine ictus occubuit.

Numerianus autem oculorum dolore tentus, dum in lecticula veheretur, ſoceri ſui Apri inſidiis occiſus eſt. factor cadaueris vix tertio die agnitus eſt.

Carinus verò apud Margum in prælio victus occiditur.

Diocletianus Dalmata ſcribæ filius Imperator elatus, regnauit annis viginti. Hic etenim mox vt in regno eleuatus eſt, ilicò Aprum in militum concione percuſſit, iurans ſine ſuo ſcelere illum Numerianum interemiſſe, & mox in conſortium ſuum Maximianum Herculium aſciuit.

Maximianus ruſticorum multitudine oppreſſa, quos Bagandas dicunt, pacem Gallis reddidit. Quo tempore Carauſius ſumpta purpura Britannias occupauerat.

Narſeus

Narſeus rex Perſarum Orienti bellum intulerat. Quinquegentiani Africam infeſtauerant, Achilleus Ægyptum inuaſerat.

Ob quæ Conſtantius, & Galerius, ac Maximianus Cæſares aſſumuntur in regnum.

Conſtantius, Claudij ex filia nepos fuit: Galerius in Dacia, non longè à Sardica natus. Atque vt eos Diocletianus etiam affinitate coniungeret, Conſtantius priuignam Herculij Theodoram accepit, ex qua ſex liberos procreauit: Galerius autem Valeriam Diocletiani filiam accepit, vtraque priſtina matrimonia repudiantes. Carporum ſiquidem gens tunc deuicta, & in Romanum ſolum tranſlata eſt. Tunc etenim primus omnium imperatorum Diocletianus adorari ſe vt deum præcepit, & gemmas veſtibus calciamentisque inſeruit; diademataque in capite ante eum omnes cum chlamyde tantùm purpurea vt à priuatis diſcernerentur habebant, & vt iu-

dices ceteri ſalutabantur. Aſſumpta ergo vnuſquiſque principum expeditione, Diocletianus Ægypti tyranno octauo menſe deiecto, prouinciam cunctam ſubegit. Maximianus Herculius in Africa Quinquegentianos exſuperauit. Conſtantius iuxta Lingonas vna die ſexaginta milia Alemannorum cæcidit. Galerius Maximianus victus primo prælio à Narſeo, ante carpentum Diocletiani purpuratus cucurrit. Qua verecundia compunctus, ſecundo viriliter dimicauit, ſuperauit Narſeum, vxores eius abegit ac liberos, & cum debito honore à Diocletiano ſuſceptus eſt. Poſt quam victoriam mirabiliter Diocletianus & Maximianus Romæ triumpharunt, præcedentibus ſibi liberis vxoribuſque regis Perſarum, prædáque illa ingenti gentium diuerſarum. Sic quoq. concitata perſequutione in Chriſtianos, Diocletianus in Cappadocia defunctus eſt. Conſtantius

* * *

Iulianus apoſtata regnauit anno vno, menſibus

menſibus octo, relictaque Chriſtianitate ad idolorum culturam conuerſus eſt, multosque blanda perſecutione illiciens ad ſacrificandum idolis compulit. Ipſe quidem vir egregius, & Reipub. neceſſarius, Parthis ingenti apparatu intulit bellum. Vbi proficiſcens, Chriſtianorum poſt victoriam ſanguinem diis ſuis votauit. Nonnulla Parthorum oppida in deditionem accepit, multaque vi populatus eſt, caſtraque aliquandiu apud Cteſiphontem habuit. Vnde egreſſus, dolo cuiuſdam transfugæ in deſerta perductus, cum vrentis ardore ſolis confectus periret exercitus, ipſe tantorum diſcriminum anxius, dum per vaſta deſerti euagatur incautius, ab obuio quodam hoſtium equite conto ilia percuſſus interiit, anno ætatis ſuæ triceſimo tertio.

Poſt quem ſequenti die ab exercitu Iouianus tribunus domeſticorum in regno aſcitus eſt.

Iouianus regnauit menſes octo; qui mox neceſſitate compulſus, Nizibin, &

magnam Mesopotamiæ partem Sapori regi Parthorum contradidit, ipseque odore prunarum præfocatus defunctus est Dadastanis, anno ætatis tricesimo tertio.

Valentinianus & Valens regnauerunt annis tredecim, mensibus quinque. Nam Pannones erant Cibalienses, vtrinque germani. in Nicomedia tribunatum Valentinianus agebat, qui Imperator creatus, fratrem suum Valentem regni socium assumpsit. Ipse verò egregius, & Aureliano similis moribus, nisi quòd seueritatem nimiam & parcitatem, quidam crudelitatem & auaritiam causabantur. relicto germano Orientali in regno, ipse Hesperium tenuit. Quo tunc regnante, alter Valentinianus in Britannia tyrannidem assumens, in continenti oppressus est. Constantinopoli quoque Procopius quidam contra Valentem insurgens, nihilque præualens, vrbe egreditur, & in Phrygiam Salutarem tyrannizans extinctus est, multique partis Procopianæ cæsi atque proscripti.

ſcripti. Valens ab Eudoxio Arianorum epiſcopo ſuaſus & baptizatus, contra Orthodoxos infeſtus inſurgit.

Gratianum filium ſuum Valentinianus Ambianis imperatorem conſtituit, quem habuit de Seuera priore iugali; & contra Saxones & Burgundiones, qui plus octoginta milia armatorum primùm Rheni in limbo caſtrametaſſent, mouit procinctum, ſed apoplexia ſubitò & ſanguinis eruptione Brigione defunctus eſt.

Tunc Gratianus Valentinianum fratrem, de Iuſtina Sicula vxore natum, in regno conſortem aſſumit. Nam Valentinianus ſenior dudum laudante Seuera vxore ſua pulchritudinem Iuſtinæ, ſibi eam ſociauit in matrimonio, legesque propter illam conceſſit, vt omnes viri qui voluiſſent, impunè bina matrimonia ſuſciperent; quia ideo populoſa Parthorum gens eſt, quia hoc apud eos ſolenne eſt, & multarum vxorum vnus auditur maritus. Decepta ergo, vt diximus, Iuſtina Valenti-

nianus edidit ex ipsa quatuor filios, Valentinianum supradictum imperatorem, Gratam, Justamque, & Gallam. de qua Galla debinc Theodosius Imperator, Flacilla defuncta, quæ Arcadium Honoriumque pepererat, Placidiam genera uit, quæ mater fuit moderni Valentiniani iunioris imperatoris. Sed nos ad propositum redeamus. Valens Imperator lege lata, ut monachi militarent, nolentes iussit interfici. quando & Theodosius, Theodosii Imperatoris postea pater, multique nobilium occisi sunt Valentis insania. Gratianus Imperator Alemannorum plus triginta milia apud oppidum Argentarium Galliæ in bello prostrauit, Galliasque pacauit. Gens Hunnorum super Gothos irruens, certos ex ipsis subiugat, alios fugat. Qui uenientes in Romaniam, sine armorum suscepti dispositione, per auaritiam ducis Maximi fame compulsi, rebellare coacti sunt; superatisque Romanis in congressione, funduntur in Thracias. Contra quos Valens ab Antiochia

Digitized by Google

tiochia exire compulsus, in Thraciam proficiscitur, ibique lacrymabili bello commisso, imperator sagitta saucius, in casam deportatur vilissimam, vbi superuenientibus Gothis, igneque suppositio, incendio concrematus est. Gothi verò occiso imperatore, iam securi ad vrbem properant Constantinopolitanam, vbi tunc Dominica Augusta Valentis vxor multam pecuniam plebi largita, ab vrbis vastatione hostes submouit, regnumque cognati, vsque dum ille Theodosium ordinasset, fideliter vtiliterque seruauit.

Theodosius Hispanus, Italicæ diui Traiani ciuitatis, à Gratiano Augusto apud Sirmium post Valentis interitum factus est imperator, regnauitque annos XVII; *veniensque Thessalonicam, ab Anatolio sancto episcopo baptizatus est, admodumque Ecclesiæ religiosus enituit propagator, Reipublicæque defensor eximius. Nam Hunnos & Gothos, qui eam sub Valente defatigassent, diuersis prælis vicit, at-*

que à praua vastatione compescuit. cum Persis quoque petitus pacem pepigit. Maximum autem tyrannum, qui Gratianum interfecerat, & sibi Gallias vindicabat, apud Mediolanum vnà cum Valentiniano imperatore aggrediens ab Oriente clausit, cepit, occidit. Eugenium quoque tyrannum atque Arbogastem diuino auxilio præditus vicit, deletis eorum decem milibus pugnatorum. Hic etenim Eugenius confisus viribus Arbogastis, postquam apud Viennam Valentinianum extinxerat, inuasit; sed mox simul cum vita imperium perdidit. Nam occiso Arbogaste desperans, sua se manu peremit: omnibusque inimicis Theodosius superatis, in pace rebus humanis apud Mediolanum excessit, vtramque Rempub. vtrisque filius quietam relinquens. Corpus eius eodem anno Constantinopolim allatum atque sepultum.

Arcadius & Honorius fratres, filij Theodosii Imperatoris, vtrumque imperium diuisis tantùm sedibus tenere cœperunt,

Digitized by Google

runt, id est, Arcadius senior Constantinopolitanam vrbem, Honorius verò Romanam. Tunc Ruffinus patricius Arcadio insidias tendens, Alaricum Gothorum regem vt Græcias deuastaret missis clam pecunijs inuitauit. Porro delectus Ruffinus, ab Italiæ militibus Arcadio cum Gaina comite missis, ante portas vrbis detruncatus est. caput eius cum dextera manu Constantinopoli ad ludibrium circumductum; vxoreque eius exsulata, opes cunctas Eutropius spado promeruit. Gildo Africæ comes à Theodosio dudum ordinatus, ac si iuuenile regnum vtrumque despiciens sibi velle cœpit Africam tenere, & à fratre proprio Mascelzer dum se vidisset dilectum oppressionique vicinum, propria se manu peremit. Gaina verò suprà nominatus comes Constantinopoli ciuile bellum commouens, totam vrbem igni ferroque turbauit, fugiensque ad Hellespontum piratico ritu viuebat. contra quem nauali prælio dato, multi Gotho-

rum eius extincti. ipse quoque bello euadens, mox tamen complectitur. post cuius oppressionem, Isauri per montem Taurum cursitantes, ingens dispendium Reipubl. impetrarunt. contra quos Arbazacius directus, maius continuò rependit incommodum. Hesperiam verò plagam in regno Honorij imperatoris primùm Radagaisus Scytha cum ducentis milibus suorum inundauit. Quem Huldi & Sarus Hunnorum Gothorumque reges superantes, omnes captiuos quos retulerant singulis aureis vendiderunt. Stilico verò comes, cuius duæ filiæ Maria & Thermantia, singulæ vxores Honorij principis fuere, & vtraque virgines sunt defunctæ, spreto Honorio; regnumque eius inhians, Alanorum Suauorumque gentes donis pecuniisque illectas, contra regnum Honorij excitauit Eucherium filium suum paganum, & Christianis insidias molientem, cupiens Cæsarem ordinare. Qui, cum eodem filio suo deiecto, dolo occisus est. Quo anno & Arcadius

Arcadius orientalis imperator moriens post obitum patris annos XIII *in imperio fuit.*

Theodosius iunior Arcadij filius loco patris successit in imperio, adolescens egregius, regnauitque annos quadraginta tres. Alaricus rex Vuisegothorum vastata Italia Romam ingressus est, opesque Honorij Augusti deprædatus, Placidiam sororem eius duxit captiuam; quam posthæc Ataulfo successori suo in matrimonium vt acciperet delegauit. Constantinus tunc quidam Gallus occupatis inuasit imperium. Hostes eius contra eum sæuientes, filiumque eius regno priuare cupientes, monachum fecerunt eum. Ipse sanus à Gallia reuertens, statim filium suum Constantem ex monacho Cæsarem ordinauit. Sed mox ipse apud Arelatum, filius eius apud Viennam regnum cum vita amiserunt. Itemque eorum exitus immemores Iouinus et Sebastianus in Galliis tyrannidem moliuntur: sed & ipsi ilicò esse desierunt.

Heraclea-

Heracleanus posthæc cum septingentis & tribus nauibus armatis ad urbem Romam depræ dandam uenit; contra quem Marinus comes egressus, sic eum perterruit, ut tantùm cum una naui Carthaginem fugeret, ubi mox ingressus interfectus est. Valia rex Uuisigothorum facta pace cum Honorio, Placidiam sororem eius reddidit: quam Constantio patricio, qui eam reuocauerat, in matrimonio iungens, Honorius rebus excessit humanis. Maximus & Iouinus de Hispaniis ferro uincti, adducti, atque interfecti sunt.

Joannes verò Honorio defuncto regnum Occidentale inuasit. contra quem Placidia creata Augusta, & Valentinianus filius eius Cæsar diriguntur: quem & dolo potius Asparis & Artaburis quàm uirtute superauit.

Occiso Joanne tyranno, Valentinianus Rauennæ imperator à patruele Theodosio ordinatur, cuius germana Honoria dum ad aulæ decus uirginitatem suam cogeretur custodire,

Digitized by Google

cuſtodire, clàm miſſo clientulo, Attilam Hunnorũ regem inuitat in Italiam. quumque veniente Attila votum ſuum nequiret explere, facinus quod cum Attila non fecerat cum Eugenio procuratore ſuo committit. Quam ob rem tenta à germano, & in Conſtantinopolim Theodoſio principi deſtinata eſt. Poſthæc tertio anno Valentinianus Imperator à Roma Conſtantinopolim ob ſuſcipiendam in matrimoniũ Eudoxiam Theodoſii principis filiam venit, dataq. pro munere ſocero ſuo tota Illyria, celebratis nuptiis ad ſua regna cum vxore receſſit. Africana prouincia per Bonifacium comitem Vuandalis tradita, à Romano iure ſubtracta eſt. quia Bonifacius dum in offenſam Valentiniani veniſſet, malo publico ſe defendere voluit; inuitatoque ab Hiſpaniis Gizericho Vandalorum rege, dolum quem conceperat peperit. Hunnorum rex Attila iunctis ſecum Gepidis, cum Ardarico Gothisque & Vualamis, diuerſisque aliis nationibus, ſuis cum regibus, omnem

omnem Illyricum Thraciamque, & vtramque Daciam, Mœsiam, & Scythiam populatus est. Contra quem egressus Arnegistlus magister militum Mœsiæ, apud Marcianopolim fortiter dimicauit: eo quoque sub se decidente præuentus est, & nec sic quiescens bellare, occisus est. Marcianus Imperator regnauit annos sex, menses sex. Hic enim mox defuncto Theodosio in regno ascitus, Pulcheriam germanam Theodosii, quæ in palatio matura mulier virginitatem seruauerat, in matrimonio adsumens; regnum quod delicati decessores prædecessoresque eius per annos ferè sexaginta vicissim imperantes minuerant, diuina promissione sic reparauit, vt exultatio ingens cunctis accresceret. Nam cum Parthis & Vuandalis omnino infestantibus pacem instituit, Attilæ minas compescuit, Nobades Blemmyesque Æthiopiæ prolapsos per Florum Alexandrinæ vrbis procuratorem sedauit, & pepulit à finibus Romanorum, obitúmque Attilæ, &

Zenonis

Digitized by Google

Zenonis Isauri interitum, antequam moreretur felix comperit: infelicium omniumque inimicorum suorum colla domini virtute calcans, sexto anno sextóque mense regnans in pace quieuit. Valentinianus autem occidentalis imperator, dolo Maximi patricij, cuius etiam fraude Aetius perierat, in campo Martio, per Obtilam & Thransfistilam Aetij satellites, iam percusso Cerealio spadone, truncatus est. Imperium quoque eiusdem Maximus inuasit, tertióque tyrannidis suæ mense membratim Romæ à Romanis discerptus est. Gizericus tunc rex Vandalorum ab Eudoxia Valentiniani uxore inuitatus, ex Africa Romam ingressus est, eáque urbe rebus omnibus exspoliata, eamdem Eudoxiam cum duabus filiabus secum in Africam rediens duxit. Leo Bessica ortus progenie, Asparis patricij potentia ex tribuno militum factus est imperator. Cuius nutu mox Valentiniani apud Rauennam Maioranus Cæsar est ordinatus, qui tertio necdum an-

no expleto in regno, apud Dertonam occiditur, locúmque eius ſine principis iuſſu Leonis Seuerianus inuaſit: ſed & ipſe tyrannidis ſuæ tertio anno expleto, Romæ occubuit. Tunc Leo Anthemium diui Marciani generum ex patricio Cæſarem ordinans, Romæ in imperio deſtinauit, Bigelemque Getharum regem per Ardaburem Aſparis filium interemit, Baſiliſcum cognatum ſuum, id eſt, fratrem Auguſtæ Verinæ in Africam dirigens cum exercitu, qui nauali prælio Carthaginem ſæpe aggrediens, ante eam victus cupiditate, pecuniis vendidit regi Vuandalorum; quam in Romanorum poteſtatem redegerat. Aſparem autem patricium, cum filius Ardabure & Patriciolo, Zenonis generi ſui inſtinctu in palatio trucidauit, occiſoque Romæ Anthemio Nepotem filium Nepotiani, copulata nepte ſua in matrimonio, apud Rauennam per Domitianum clientem ſuum Cæſarem ordinauit. Qui Nepos regno potitus legitimos Glycerium, qui ſibi tyrannico more re-

re regnum imposuisset, ab imperio expellens, in Salona Dalmatiæ episcopum fecit. Sic quoq. Leo Leonem iuniorem ex Ariadne filia nepotem suum in imperio ordinans orientali, anno sui sextodecimo obijt. Leo iunior mox paucis mensibus quum puerile, ordinanter tamen, rexisset imperium; manu sua genitorem suum Zenonem coronans, imperatoremque constituens, rebus excessit humanis.

Zenon natione Isaurus, gener Leonis imperatoris, regnauit annis decem & septem. Hic etenim dum processibus Chalcedone degeret, subitò Verina Augusta socrus sua fratrem Basiliscum in imperium inducens, Augustum in urbe appellauit. Quod comperiens Zenon, Chalcedone sine aliqua Reipub. læsione in Isauriam recessit, malens se solum cum Ariadne Augusta exsulare, quàm sua causa Reipubl. aliquid ex bellis ciuilibus incommodum prouenire. Quod Basiliscus cognoscens, Zenonisque fuga lætatus, Marcum filium suum Cæsa-

rem ordinauit. Qui perfidia Nestoriana inflatus, multa contra ecclesiam tentauit protinus agere: sed volente Deo antè inflatus crepuit medius, quàm panitens stare potuerat. Nam reuertens Zenon rursus in regnum proprium, & eum, & patrem, & matrem in exilium oppidi Slemnij prouinciæ Cappadociæ destinauit. Vbi quia charitas dei & proximi in illis refrixerat, frigore consumpti sunt, vitamque cum regno amiserunt. Parte verò Hesperiæ, Nepote Imperatore Orestes fugato, Augustulum suum filium in imperium collocauit. sed mox Odouacer, genere Rugus, Thorcilingorum, Scirorum, Herulorumque turbis munitus Italiam inuasit, Augustulumque Imperatorem de regno euulsum in Lucullano Campaniæ castello exilij pœna damnauit. Sic quoque Hesperium regnum Romanique populi principatū, quod septingentesimo nono vrbis conditæ anno primus Augustorum Octauianus Augustus tenere cœpit, cum hoc Augustulo periit, an-

no

no deceſſorum regni imperatorum quingenteſimo vicesimo ſecundo: Gothorum dehinc regibus Romam tenentibus. Theodericus autem, Triarij filius, cognomento Strabo, rex Gothorum, à Sciris ſuis vſque ad Apulum quarto vrbis miliario armatus aduenit: nulli tamen Romanorum noxius, continuò eſt reuerſus. Porrò in Illyricum properans, dum inter ſuorum mouentia plaustra progreditur, iacentis ſuper carpentum teli acumine pauitantisque equi ſui impulſione fixus, tranſuerberatus interiit, & Reipubl. diem feſtum morte ſua donauit. Vualamero rege Gothorum in bello Scirorum defuncto, Theodemir in regno fratris ſucceſſit, cum Vuidimero fratre & filio Theoderico. ſed miſſa ſorte Vuidimero partes Heſperias, Theodemiro cum filio Theoderico Illyricum obuenit. Relicta ergo Pannonia, alter Italiam, alter Illyricum ſuſcepit populandum: ſed vtrique reges mox vbi ſortita loca ingreſſi ſunt, ilicò rebus humanis excedunt. Vuidimer

Italia, Illyrico Theodemir relictis filiis decesserunt. Quorum Vuidimer ab Italicis præmiis victus, ad partes Galliæ Hispaniæque, omissa Italia, tendit. Theodericus verò Zenonis Augusti pellectus humanitate Constantinopolim venit, vbi magister militum statim effectus, consulis ordinarij triumphum ex publico dono peregit. Sed quia tunc, vt diximus, Odouacer regnum Italiæ occupasset, Zenon imperator cernens iam gentes illam patriam possidere, maluit Theoderico ac si proprio iam clienti eam committi, quàm illi quem nec noverat. Secumque ita deliberans, ad partes eum Italiæ mittens, Romanum illi populum senatumque commendat; quansque rex gentium, & consul Romanus Theodericus in Italiam petit, magnisque prælijs Odouacrum vicit, & Rauennam in deditione suscepit. Deinde verò ac si suspectum Rauennæ in palatio iugulans, regnum gentis suæ, & Romani populi principatum prudenter & pacificè per XXX continuit annos.

Digitized by Google

nos. Ilus autem Isaurus, magister officiorum, & Zenoni imperatori in priuata vita amicissimus, charitatéque coniunctus, dum secretò inde Thraticionem Ariadnes Augustæ, cum eius viro loquutus est, in zelo Augustum concitauit. Qui deliberans eam perimere, vni suorum rem tacitè demandauit. Quod dum ille agere nititur, cuidam cubiculariæ prodit scelus eadem nocte facturum. Regina scelus cognouit, suoque in lectulo eadem quæ rem suggesserat collocata, in episcopium ad Acacium nemine sciente subterfugit. Postera die Zenon rem æstimans perpetratam, dum luctum quendam quasi mœrens simulat, neminem suscepit, Acacius episcopus ingressus, & facti arguit impietatem, veniæque fidem exposcit, Augustamque suspicionis inuoxiam compromittit, acceptáque fide, veniæ pactione Augusta reuertitur, secumque dum crebrò deliberat qua sorte de inimico exigat vltionem, nacta (vt opinata est) opportunitatem, vni suorum mandat in

abditis ſtanti, vt illum à ſe recedentem perimeret. Qui parens præceptis reginæ, dum auidus ferit in capite; enſe non ceruicem, vt cupiebat, ſed aurem illius amputauit. Quod periculum euadens Ilus, mox ad vrbem recedens, Zenoniſque infeſtus, orientem inuaſit. Contra quem Leontius directus, pellicibus verbis illectus, diadema arripuit, ſimulque Leontius & Ilus Reipubl. inimici effecti, tyranni in partes Syriæ & Iſauriæ debachabantur. Additoque ſuperſoluto Iſauris dono, omnes ſimul conſpirant contra Zenonem, cuius theſauris in Papyrio caſtello munitiſſimo repertis deſæuiunt. Sed non poſt multum ab exercitu Zenonis in eodem caſtello capti decollatique ſunt, & capita eorum Conſtantinopolim allata, præfixaque haſtilibus ſtatuerunt. Sic quoque Zenon ſuperatis inimicis ſuis, in pace bona quieuit. Anaſtaſius ex ſilentiario ſubito ab Ariadne Auguſta in imperio aſſumptus, ſimulque imperator & maritus innotuit, regnauitq. annis XXVII,

menſibus duobus. Contra quem Iſauri dum ſibi, quòd Ilus tyrannus ille adiecerat donatiuum, & Zenon reconciliationis gratia inuitus largitus eſt, ab iſto fraudantur; arma arripiunt, conſertóque prælio, iuxta Cotzianum Phrygiæ ciuitatem caſtrametati, pænè per ſex continuos annos Reipubl. aduerſantur: vbi & Lilingis eorum & in bello & in conſilio præuius, quanuis pedibus ob corporis debilitatem ſegnis, eques tamen in bello acerrimus, dum peremptus fuiſſet, omnes Iſauri fugerunt, atque diſperſi ſunt & deuicti, & perquaquam exſilio ablegati, vrbéſque eorum nonnullæ ſolo vſque proſtratæ. Variis namque ſub Anaſtaſio miles præliis fatigatus, & nunc in Illyrico cum Sabiniano & Mundone ad Margum, nunc cum Pompeio ad Adrianopolim, nunc cum Ariſto ad Zortam, nunc cum Parthis in Syria, vt omittam inteſtinas clades & pugnas in foro regiæ ciuitatis, ad poſtremum contra Italiam plus piratico quàm

publico Marte concertans, frustratus est. Sed quòd sit plus dolendum, contra vltimum suum famulum Vitalianum de Scythia per sex annos ciuile bellum extruxit. Is siquidem Vitalianus cum LX *milibus armatorum, tertio pænè miliario, non Reipub. sed regi infestus, accedens, multa suburbana regiæ vrbis prædis spoliisque attriuit. Contra quem dum Hypatius nepos Cæsaris cum exercitu numeroso pugnaturus egreditur, antè ab Hunnis auxiliaribus capitur, & Vitaliano turpiter venditur, antè quàm aperto prælio parte aduersa sese inimicus ostenderet. Post quem iterum suus gubernator magisterque militum sæpe superati, sæpe irrisi ab eo & spreti sunt. Sic quoque diuersis partibus inimicorum vallatus agminibus Anastasius sæpe congemuit, nulliúsque tamen meruit inimicorum suorum vindictam audire: sicut nec ipse ecclesiæ iura seruauit, imò mœrens & furens maior octogenario ætatis anno, regnique vicesimo & octauo, rebus excessit*

sit humanis, contritáque Respub. vix Iustino ei succedente aliquantulum respirauit. Iustinus ex comite excubitorum à senatu imperator electus annos regnauit IX. *Qui mox inhiantes regno suo Amantium præpositum palatij, Andream & Misaelem & Ardaburem cubicularios sentiens, afflixit: Nam Amantium & Andream ferro truncauit, Misaelem & Ardaburem Perdicam in exilium misit. Theocritum quoque satellitem Amantij, quem idem quoque Amantius ad regnandum clàm præparauerat, comprehensum carceratumque, saxis contisque ingentibus cæsum, salsum in gurgitem iecit, sepultum tamen, imperio cui inhiauerat eum priuans: fœdúsque cum Vitaliano percussit, & ad se euocatum magistrum militum præsentem & consulem ordinari tum fecit: quem rursus in suspicione habens prioris facti, sedecim vulneribus in palatio cum Celeriano & Paulo satellitibus confossum perimit. Hic quoque imperator ante quartum*

menſem obitus ſui, ſenectuti ſuæ conſulens & Reipub. vtilitatibus, Iuſtinianum ex ſorore ſua nepotem conſortem regni ſucceſſoremque imperij ordinans, rebus humanis exceſſit. Iuſtinianus regnat iam iubente domino annos XXIIII. *qui vt ſceptris genióque ab auunculo ſuo mancipatus eſt, mox Parthos bella mouentes deſtinato exercitu compeſcuit, & fines proprios tutans, Parthorum ſæpe multos occidit. Poſtea verò facientibus peccatis, in die ſabbati ſancti paſchæ inito certamine, exercitus & non ducis inſtinctu, in fluuio Euphrate fugiens Parthos, Romanus numeroſus ruit exercitus; Illyricúmque ſæpe ab Herulis Gepediſque & Bulgaris deuaſtantibus, per ſuos iudices frequenter obſtitit vi, ſubtérque cæcidit. Poſt hæc Hypatium Pompeiúmq. regni ſui inſidiatores, coaduna-*

ta manu ciuili Circum ingreſſos, & Hipatium torque aureo redimitum pro diademate, locáque imperatoris iam occupantem; Pompeium verò ſub chlamyde loricatum,

& iam palatium inuadentem, vtrumque detentum ante fores palatij captum cathenatúmque discussit, amputatísque eorum capitibus, antè eos fecit imperium perdere quàm haberent, sociísque eorum qui euaserant hac cæde proscriptis; veluti grandi hoste prostrato de manubiis triumphauit. Eodémque anno post diuturnum immanémque belli laborem, quod contra Parthos Romanorum fuisset gestum sudoribus, per Ruffinum patricium, perque Hermogenem magistrũ officiorum, & vtrumque legatum directũ ad principem pax depacta est, fœdúsque initum, & munera ab vtroque principe sibi inuicem destinata. Mox quoque soluto de orientali parte exercitu, eumdem ductorem, quem dudum orienti transmiserat, elegit Belisarium, & numerosos fortissimósq. milites deputans, ad australem plagam contra Vuandilos mittit; qui fauente deo qua venerat facilitate, ea celeritate Vuandilos superauit, Libyamque ad corpus totius Reipub. iungens,

gens, Gelimerem regem opesque Carthagi-nis in urbe regia principi spectante popu-lo obtulit. Cuius nutu remuneratus, con-sulque ordinarius mox designatus, de ma-nubiis Vuandilicis Belisarius triumpha-uit. In Italia verò Theoderico rege defun-cto, Athalaricus nepos eius ipso ordinante successit, & annos octo quamuis pueriliter uiuens, matre tamen regnante Amala-suentha degebat, quando & Gallias diu tẽtas Francis repetentibus reddidit. Mor-tuoque Athalarico, mater sua Theodaba-tum consobrinum suum regni sui partici-pem faciens, non post multum ipso iuben-te occisa est. Et quia dudum se suumque fi-lium commendauerat principi Iustiniano, is mortem eius audiens doluit, nec passus est inultum transire: sed mox eundem du-cem belli qui Pœnorum domitor fuit, & de opibus Vuandilicis triumphans adhuc in fascibus erat, agmini diuersarum præpo-nens nationum, ad partes Hesperias desti-nauit: qui primo accessu mox Siciliam per-

uadit,

Digitized by Google

uadit, duce eius Sinderich ſuperato: vbi dum aliquantum temporis ob ordinandam patriam reſideret, comperit in Africa ciuilia bella inteſtinaque prælia debacchari. Nam Stozas pænè vltimus militum, & Martini clientulus magiſtri militum, tyrannidem arripiens, autoréque ſeditioſorum effectus, Cyrillo, Marcello, Fara, aliiſque diuerſis iudicibus dolo peremptis, in ducem Salomonem ſæuiebat, totamque Africam tyrannico ritu vaſtabat. Emenſo ergo Beliſarius à Sicilia in Africam pelago, ſolita felicitate rebelles fugat, prouinciam liberat, Salomonemque rurſum Carthagine collocans, Siciliam redit. Vbi mox Eurimund Theodahati Gothorum regis gener, qui contrarius cum exercitu venerat, cernens proſperitatem conſulis, vltrò ſe dedit ad partes victoris, oraturque vt iam anhelanti ſuo aduentu ſuſpectæ ſubueniret Italiæ. Conſtructo ergo Beliſarius exercitu, & tam naualia quàm equeſtria ductans agmina, vallauit Neapolim, pauciſque

quæ diebus eam obsidens per aqueductum noctu inuasit, & tam Gothis qui aderant quàm Romanis bellantibus interfectis, vrbem plenissimè spoliauit. Quod Theodahatus animaduertens, Vuitigem vnum inter alios ductorem exercitus præponens, contra Belisarium dirigit. Qui Campaniam ingressus, mox vbi ad campos venisset barbaricos, ilicò exercitus fauorem, quem contra Theodahatum suspectum habebat, rex cepit. & quid, inquit, vultis? At illi, tollatur, inquiunt, de medio, qui cum sanguine Gothorum & interitu sua cupit scelera excusari. factóque impetu in eum, consona voce Vuittigim regem denuntiant. At ille regno leuatus, quod ipse optauerat, mox populi voto consentit, directis è sociis Theodahatum Rauennam reuertentem extinguit, regnumque suum confirmans expeditionem soluit, & priuata coniuge repudiata, regiam puellam Mathesuentam Theoderici regis neptem sibi plus vi copulat quàm amore. Dumque ille no-

uis

uis nuptiis delectatur Rauennæ, consul Belisarius Romanam vrbem ingressus est, exceptusque ab illo populo quondam Romano & senatu, iam pænè ipso nomine cum virtute sepulto, confestim vicina occupat loca, vrbium oppidorumque munimina. Primáque Græca congressione Hunila ductante, Perusinum ad oppidum superat, & plusquam VII. M. *trucidatis, reliquos Rauennam vsque proturbat. Secunda verò cum ipso Vuitige Romanas arces vallante congreditur, machinasque illius & turres quibus vrbem adire tentabat igni consumptas, per anni spatium quamuis inedia laborans deludit. Post hæc ad Ariminum persequutus, exindeq. effugatum, Rauenna clausum in deditionem suscepit: atque vnus consul qui contra Getas dimicat, pænè pari euentu de Francis qui cum Theodeberto rege suo plus ducenta mlia aduenerant triumphauit. sed quia ad alia occupatus alibi noluit implicari, rogantibus Francis pacem concessit, & sine suo-*

rum dispendio de finibus Italicis expulit, sumptóque rege & regina, simulque & opibus palatij, ad principem qui eum miserat reportauit. Sicque intra pauci temporis spatium Iustinianus imperator per fidelissimum consulem duo regna duasque Respub. suæ ditioni subegit. Quod Parthus comperiens facibusque inuidiæ exardens, in Syriam mouit procinctum, & Callinicum Cæsareámque deuastans, Antiochiam venit. Vbi Germanus patricius cum Iustino filio suo, eodémque consule, postquam ab Africana prouincia remeasset, dum aduentui Parthorum obuiare nequit, relicta vrbe ad partes secessit Ciliciæ. Perse verò vacuam ab exercitu Antiochiam nacti, populum quidem per Orontis alueum ad Seleuciam maritimam cum militibus mixtis fugientem aspiciunt, nec sequuntur; sed prædas per vrbem certatim diripiunt, vicinasque vrbes & oppida partim inuasa partim pecuniæ quantitate multata prætereunt; & totius Cœlesyriæ

bona

bona ſibi vnius in anni ſpatium pænè Parthus aſſumit. Nec ſic quoque recedit, ſed iugiter aduerſus Rempub. Romanam dimicat. contra quem Vuandalicus & Getieus conſul ſolitè deſtinatur. qui etſi non vt reliquas gentes eam edomuit; tamen vt intra ſuos ſe fines recolligeret compulit; fuiſſetque de hac gente felici duci parta victoria, ni clades in Italia, quæ poſt eius diſceſſum emerſerat, celerem ei ſucceſſorem dediſſet Martinum. Qui etſi viribus impar, conſilio tamen quamuis cum Conſtantiano coniuncto non minor, dum reſiſtere contra Parthos non præualet, ne bella diu teneret, pacem effecit. Cladem verò quam diximus in Heſperia plaga, vt liquidius lector cognoſcat, apertius memorabo. Egrediente Beliſario conſule ab Italia, &, vt diximus, rege & regina, opibuſque palatij ad principem reportante; Gothi qui trans Padum in Liguria conſiſtebant, recrudeſcentes animo ad bella conſurgunt, & ordinato ſibi regulo Hildebal-

do milite, exiſtunt aduerſi: contra quos dum non vnius ſed diuerſorum tentantur apparatus, illi fortiores effecti perſiſtunt, annique ſpatio vix emenſo Gildebaldus interficitur, & loco eius ſuccedit Errarius: qui & ipſe vix anno expleto peremptus eſt, & in regno malo Italiæ Badiula iuuenis nepos aſciſcitur Gildebaldi. Qui mox & ſine mora Fauentino in oppido Æmiliæ ſolo, prælio commiſſo, Romanum ſuperauit exercitum: & nec diu poſt hæc item per ſuos ad cancellos annonariæ Thuſciæ feliciter dimicans, fugat exercitum, iudices partim donis partim blanditiis ſibi conſociat, totámque Italiam cum ipſa Roma peruadit, omniumque vrbium munimenta deſtruens, cunctos ſenatores nudatos, demolita Roma, Campaniæ terra tranſmutat. Contra quem, vt ſuperius diximus, Beliſarius de oriente digreditur cum paucis, ratus omnem exercitum quem dimiſerat integrum reperire. Et ideo poſtquam Rauennam ingreſſus eſt, nec cum quibus ei obuiaret

obuiaret inuenit, remenſo Adriatico mari Epirum reuertitur, vbi Ioannes & Valerianus coniuncti, dum in conciones & iurgia concertant, Totila hoſtile opus in Italia peragit. Beliſarius quoque impatiens tantæ crudelitatis, naualem claſſem à Sicilia ſoluens, per Tyrrheni maris æſtum, Romani in portus ſe recepit ſtationem, egreſſuſque ad vrbem quam vi deſtructam & deſolatam attendit, hortanſque ſocios ad reparationem tantæ vrbis accingitur. vbi necdum vallo circumſeptus, inſeſtum experitur Totilam, ſed ſolitis victoriis intrepidus, quamuis cum paucis contra eum egreſſus, ſic effugauit, vt plures fugientes Tiberi demergerentur quàm gladio caderent. Indeque hortatus exercitum, regreditur in Siciliam, quatenus & Romæ faceret copiam annonæ, & vicinius ad fretum, Totilam turbaret in Campania commorantem. Sed vt aſſolet, rerum immutatione, & principum voluntate diuerſa, quieſcente in domino Theodora Augu-

ſta, euocatur ad vrbem Beliſarius de Sicilia. Poſt cuius diſceſſum Totila ſecurus, iterata rabie, & furentibus Iſauris, inuadit Romam: & ſic ſumptis vndique viribus, militariq́ue vallatus auxilio ingreditur, cepitque Siciliam. Contra quem Germanus patricius dum exire diſponit cum exercitu, Matheſuentam Theoderici regis neptem, & Vuittigi mortuo derelictam, tradente ſibi principe in matrimonio ſumptam, in Sardicenſi ciuitate extremum halitum fudit, relinquens vxorem grauidam, quæ poſt eius obitum poſthumum edidit filium, vocauit q́ue Germanum. Qua felicitate ſibi Totila comperta, totam pænè inſultans Romanis deuaſtat Italiam. In Africa verò à Mauris dudum perempto Salomone, Stozas & Ioannes inuicem ſingulari certamine corruunt; alius q́ue Ioannes, qui Stozas iunior dicebatur, ſuſcepta tyrannide, Gunthariu magiſtrum militum ſecum eſſe ſuadet. Qui interfecto Areobindo, iugalem

galem eius, neptem imperatoris, ſibi cupiens ſociare, præuenitur ab Artabane. Qui eo in conuiuio trucidato, neptem imperatoris ereptam ad vrbem principi dirigit cum honore, ſimulque ferreis vinculis colligatum & tyrannum deſtinauit Ioannem, qui Stoza perempto in eadem ſucceſſerat tyrannide. Quem in vrbem diſcuſſum, manibusque truncatis, ad exemplum cæterorum in patibulo fixit. Ioanni dehinc patricio cognomine Troglita Africæ procuratione commiſſa, Artabanus euocatus magiſtri militum præſentis accepit dignitatem. Nec diu intercedente in ipſum principem manus iniicere geſtiens, detectus & comprobatus, pietati tamen principali impunitus permanſit, & quaſi beneuolus congratulatione in Siciliam cum Liberio patricio properauit. Ioannes verò in Africana prouincia feliciter degens, Mauris partis aduerſæ per Pacificos Mauros ſuperatis, vna die decem & ſeptem præfectos extinxit, pa-

cemq. totius Africæ iuuante Domino impetrauit. Longobardorum gens, ſocia Romani regni principibus, & Theodahati ſororis filiam, dante ſibi imperatore, in matrimonio iungens regi ſuo, contra æmulos Romanorum Gepidas, una die pugna commiſſa, eorum pene caſtra pernaſit, ceciderunteque ex utraque parte amplius quadraginta milia; nec par, ut ferunt, audita eſt in noſtris temporibus à diebus Attilæ in illis locis, præter illam quæ antehac contigerat ſub Calluce Magmilide cum Gepidis, aut certè Mundonis cum Gothis, in quibus ambobus autores belli pariter corruerunt. Hæ ſunt cauſæ Romanæ Reipublicæ præter inſtantiam quotidianam Bulgarorum, Antarum, & Sclauinorum. Quæ ſi quis ſcire cupit, annales conſulumque ſeriem reuoluat ſine faſtidio, reperietque dignam noſtri temporis Repub. tragœdiam; ſcietque unde orta, quomodo aucta, qualiterve ſibi cunctas terras ſubdiderit, & quomodo iterum

rum eas ab ignaris rectoribus amiserit. quod & nos pro captu ingenij breuiter tetigimus, quatenus diligens lector latius ista legendo cognoscat.

DE GOTHORVM IN HISPANIAM ADVENTV, *& regum serie*.

EX

LVCII MARINEI SICVLI

LIBRO SEXTO

De rebus Hispaniæ memorabilibus.

GOTHI *tempore Valentis principis ad Danubij ripam iuxta Mœsiam ea conditione consedere, vt non vltra procederent, & vnà omnes Christiani fierent. Valens itaque missis ad eos Arrianis, quorum sectæ se addixerat, totam gentem eo dogmate pollutam reddidit. Post aliquot verò annos, cùm gens barbara non posset à maleficio contineri, coactus Valens aduersus eos proficisci, superatus est & interfectus. Qua victoria illi elati, Constantinopolim cum exercitu confestim petiere, & cum Dominica, quæ Valentis fuerat*

Digitized by Google

fuerat coniux, muliere sapientissima, pecunia transfegerũt, ac domũ pacati se receperunt. Quos Gratianus, qui tunc Orientis imperio successerat, reprimere cupiens, neque bello satis idoneus, Theodosium ex Hispania accersiuit; qui pluribus postea praliis cum eis commissis, postremo pacem fecit. Qua fretus Atanaricus Rex eorum Constantinopolim vrbis visendæ studio profectus, honorificeque à Theodosio exceptus, ibidem paucis post diebus morbo extinctus est. Quapropter Gothi rege carentes Theodosio tunc militare cœperunt. Sed fraude Stiliconis, vt dicitur, eos Italiam inuadere cupientis exautorati, Rege Alarico creato è Baltonum nobili familia, Pannonias & Illyricum occupantes incommodis omnibus affecerunt. Anno Salutis CCCC. VII. *Coniunctiq. cum Radagaso altero Gothorum rege, de inuadenda Italia cogitarunt. Radagasus itaque primum ingressus ad Appenninum circa Fesulas consedit, vbi locorum angustiis ac montium asperitate*

fameque oppressus à Stilicone cum toto exercitu superatur & capitur. Alaricus Rex alter subsequutus in agro Rauennate occurrentem cum copiis Stiliconem habuit. Qui cum triennio bellum cum eis duceret potius quàm gereret, iussu Honorij pacem fecit hac conditione, vt in Galliæ parte considere possent. Post aliquot deinde annos Stilico contra fœdus Gothos in Gallia per Saulem Hebræum in die Paschæ incautos, & ex religione resistere non audentes, adoritur. Postero vero die Alaricus Saulem cum toto exercitu infectatus sustulit. Deinde Stiliconi ab Honorio auxilium petenti missus est successor. Qui eum ob temeritatem quam gesserat obtruncauit. Alaricus rebus fœliciter gestis, in Italiam hostiliter ingressus omnia ferro ignique vastans, vrbem nemini defensam facilè occupat; Anno quadringentesimo duodecimo, vrbis autem conditæ millesimo centesimo quarto. Iussitque primum confugientes ad sacras ædes esse saluos; inde magna ciuium

facta

facta strage, post diem tertium discessit, ac per Campaniam iter faciens populabundus apud Cosentiam ciuitatem morbo correptus interiit. Cui successit Ataulphus, qui & ipse vrbem ingressus, si quid erat reliqui, diripuit, rapta insuper Placidia Honorij sorore, cuius nuptias discedens apud forum Cornelij celebrauit. Cuius consortio dicitur barbari pectus delinitum, vt non ea patraret, quæ sæuiter in Romanos cogitauerat. In animum enim suum induxerat Romam Gothiam vocare. Itaque Italia relicta in Galliam se recepit. Quem postea Theodosius iunior bello petens compulit, vt relicta Narbone & omni Gallia, in Hispaniam confugeret. Vbi breui deinde tempore à suis interfectus est, propterea quòd vrbi Romæ pepercisset. Cui Segericus succedens, & ipse quoque, quòd pacem cum Imperatore feciisset, à suis necatur. Vallias post hunc regnum suscipiens, fœdus cum eodem iniuit, vt ei sedes apud Tolosam in Gallia darentur, Placidiamque viduatam remisit.

remiſit. Aduerſus inſuper & alios Barbaros, qui Hiſpaniam occupauerant, opes & auxilium pollicitus. His itaque fretus Honorius Conſtantinum ducem aduerſus Alanos & Vandalos miſit: Qui totam Hiſpaniam præter Cantabros vaſtauerant, & quamquam fuſi, fugatiq́ue apud Emeritam fuiſſent, paulo pòſt vires redintegrabant. Itaque vno tempore Gothi, Alani, Vandali, Hiſpaniam poſſidebant. Vallia extincto Rhodoricus ſucceſſit, qui mito cum Aetio fœdere, Valentiniani principis duce, in campis Catalaunicis in Galliam contra Attilam Vnnorum Regem è Pannonia Italiam petentẽ, in prælio occubuit. Cui Turiſmundus filius ſucceſſit, qui ab Aetio in Hiſpaniam ad regnum paternum remiſſus, paulo poſt à Theodorico fratre interficitur. Re poſtremò Romam ad Auguſtum deducta, Gothi rurſus excitati cùm tertiam agri partem in Italia peterent, Oreſtes Auguſtuli pater minimè conſentiens eis ad Ticinum occurrens in prælio occubuit. Odo-

acer

Digitized by Google

acer eius miles vir Italicus Gothorum simul & Erulorum auxiliis, vt ait Procopius, fugato Augustulo & omni nobilitate, Romam inuadit, tenuitque annos quatuordecim. Donec Theodoricus Rex à Gothis appellatus, amicitia Zenonis principis fretus, à quo etiam statua honoratus fuerat, petiit vrbis Romæ imperium, si Odoacrum expelli ab eo contingeret. Quo impetrato in Italiam cum maxima manu ingressus eundem ad Aquileiam occurrentem prælio superauit. Ille Romam reuertens ac clausas portas offendens, Rauennam petiit, quam breui tempore per Theodorici obsidionem relinquere coactus est. Specie deinde concordiæ inuitatus ab eodem ad cœnam, contra iusiurandum interficitur. Theodoricus post hæc tota potitus Italia Romam pacificus adiit, templisque ac rebus aliis cum omnium gratia restitutis, Rauennam reuertitur, quam sibi regiam delegerat. Eaque animi magnitudine simul & mansuetudine fuit, vt nemini barbarus videretur. Quippe qui

Germa-

Digitized by Google

Germanum præſulem Ticinenſem virum ſanctiſſimum in Burgundiam cum pecunia ad redimendos captiuos miſerat, aliáque opera pietatis obiuerat. Quo vita ſancto eius filia Amalaſuntha cum paruo filio Atalarico regnum adminiſtrauit, adhibito Theodoro propinquo, cuius opera mox interfecta eſt; ipſéque ſolus regno potitur. Miſſus interim Belliſarius à Iuſtiniano in Italiam cum exercitu ad vlciſcendam Amalaſuntam cum filio, ac Romam tyrannide Gothorum liberandam, Theodorum interfectum offendens, vrbem capit. Gothi itaque tanto priuati imperio, qui ad eam diem annos XLVIII *regnauerant, in Italia;* XXXVIII *ſub Theodorico,* VIII *ſub Amalaſuntha & filio, duoſque ſub Theodoro, Vitigem Regem ſuffecerunt, non regio ſane genere, ſed probata militia, qui Amalaſunthæ filiam Theodorici neptem in matrimonium duxerat. Hic ad vrbis obſidionem cum* CC. *mill. proficiſcitur, ac primùm molis Hadrianæ ambitu cingit, mox*

Por-

Portuenſe caſtrũ. Vnde commeatus prohibebat: aquæ ductus XIIII. *rupit. Quare Belliſarius intus piſtrinã in Tyberi conſtituit, qui mos adhuc durat. Liberium Pon. quòd Gothis fauere videbatur, in exilium miſit. Suffecto Vigilio. Cumque diu reſiſteret ac multis Vectigem prælijs peteret, profligatum ad extremum cum toto exercitu cæpit, ac Conſtantinopolim in triumphum duxit. Creatis poſt eum Ildebaldo, deinde Alarico Regibus, ad poſtremum Totila regnum accepit, cuius pater Tauriſcis regnabat, qui cum Belliſario variis prælijs congrediens, victor tandem vrbem cæpit, ac eueſtigio Pelagium Pontificem ad Iuſtinianum Conſtantinopolim oratorem de pace mittit, qui rediens retulit Imperatorem nihil aliud reſpondiſſe, quàm ſe Italiæ reſſemel Belliſario delegaſſe, cum eo tranſigeret. Et Totila furiatus tertiam murorum partem vrbis diſiecit, Capitolium incendit, omniaque diripuit. Ex quo Dei flagellum cognominatus eſt. Hunc Totilam Procopius*

magnis

magnis extollit laudibus, vt liberalitate aluſque animi virtutibus præditum. Cùm tamen alij crudelem ac ſingulari arrogantia virum taxauerint. Duces plures ſub ſe habuit, inter quos Barbatia princeps nominatur. Poſtquam Belliſarius ab vrbe diſceſſit, eam recepit, mœnibus ædificiiſque refecit, portas reſtituit, earum claubus Imperatori miſſis, Totilam vrbem repetentem ac vi magna obſidentem repulit. Verùm cùm apud portum poſtea in valetudinem incideret, reſque paulatim rurſus amitteretur, omni ſtudio per Antoninam vxorem reditum à Iuſtiniano impetrauit, atque item quinque poſt annos quàm venerat, reuerſus Diogenem cum tribus milibus Romæ præſidio dimiſit, qui Totilæ furorem non expectans Centumcellas aufugit. Ille rurſus vrbem ingreſſus mitius ſe geſſit, multaque à ſe prius vaſtata reſtituit. Quod fama eſt diui Benedicti cõtigiſſe beneficio: qui incognitum Totilam iuxta cœnobium eius prætereuntem placauerit.

Iuuit

Iuuit etiam Pelagij Pontificis occurrentis cum fago & lachrymis aspectus venerabilis. Ea tempestate plures Iustiniani duces per Italiam diuisi, magnis viribus resistebant, vt scribit Procopius; Ioannes circa vrbem tutandam, Iustinus Florentiam, Constantinus Rauennam, Cyprianus Perusiam, Bessas Spoletum, Mundus Illyricum tuebatur. Vbi post Salonas receptas multasque de Gothis victorias, ad extremum periit. Germanus postremo Iustiniani patruelis in Italiam missus & ipse breuiter interficitur. Deinde Conon, qui Anconæ præfuit, item Vitalianus Belisarij fratris filius post annos IX. quàm Totila vrbem secundo ingressus est, cum Narsete, iuuantibusque Longobardis, apud Brixellum prælio congressus interficitur. Narses interea, qui Belisario successerat, vrbem iterum recuperarat. Deinde Teiam post Totilam regnantem in Apuliam consectatus prælio interfecit. Atque ita demum post annos XVIII Gothorum bello

finis impositus. Qui ab initio regni Theodorici Italiam annos septuaginta duos tenuerunt. Anno Salutis DLXII. *Pax deinde Gothis data ac volentes permissi circa Padum remanere. Qui tamen non contenti sæpe Francorum auxilia quæsiuere; vt testatur Agatius, qui post Procopium scripsit; ac omnem eorum postquàm regno Italiæ sunt eiecti, prosequitur historiam. Ego verò Raphaelem Volaterranum sequutus cùm tantùm quid in Hispania Gothi gesserint, ab initio scribere proposuerim, mihi necesse fuit hæc altiùs explicare, vt eorum in ea res gestæ meliùs apparerent. Nam Theodoricus, quem suprà diximus in prælio Vnnorum cecidisse, tris reliquit filios, Thurismundum, Theodoricum, & Henricum. Thurismundus vlciscendi patris Vnnosque bello persequendi cupidus, Aetio prohibente destitit, & in Hispaniam adregnum paternum redit. Qui post annos tris à Theodorico fratre interficitur. Henricus verò alius frater regno Hispaniæ succedens*

ad

ad annos XVIII. *tenuit, leges primus scriptas Gothis tradidit, sedente Simplicio & imperante Leone primo, filiumque hæredem reliquit Alaricum* II. *Qui ex concessione & hæreditate patrui Theodorici, Tolosæ in Gallia regnum obtinuit, vbi sedem constituit. Inde postea expulsus à Clodoveo Francorum rege prælio ingenti, amissis omnibus, quæ in Gallia possidebat, in Hispaniam se recepit, vbi regnauit annos sedecim, interfectus demum à Childeberto Francorum rege, quòd Clotildem coniugem eius sororem Arrianæ sectæ repugnantem malè tractaret. Post hunc Tenda annos* XVII. *Quo à suis trucidato, Theodegosilus annos sedecim. Qui ob libidinem in matronas interficitur. Agila annos nouem. Hic aduersus Cordubam bellum sumpsit, in quo eius filius fuit interfectus. Nec multo pòst ipsemet à suis apud Emeritam. Athanagildus annos viginti duos, & ipse apud Toletum interfectus. Lenogildus cum Luiba fratre, & postea solus annos quadra-*

Digitized by Google

ginta sex, regni fines dilatauit. Cantabria deuicta & Andegam Regem Sueuorum è Callecia expulit. Cuius maiores annos CLXXVII in ea parte regnauerant, & filium Hermogildum, quòd à secta parentum abhorreret, ac Childeberti Francorum Regis orthodoxi filiam duxisset in matrimonium, bello persequutus, & in potestatem redactum supplicio affecit, quem pro martyre colunt. Anno sal. DLXXII. circiter ferè tempora Gregorij primi. Recaredus alter filius patri similis, vir Christianissimus, concilium Toleti celebrauit, vbi Arrianam sectam improbauit, à Leandro & Fulgentio præsulibus rite ab incunabulis in fide institutus: cum Francis bellum gessit, ex eisq. XL. milia in campis Catalaunicis interfecit. Post hunc Luiba à successore Veterico interficitur. Gundamidus deinde regnauit annos XXVIII. Vascones domuit, Romanorum exercitum fugauit: decessit Toleti. Sisebatus orthodoxus fuisse dicitur. Præterea Iudæos omnes expulisse,

aduersus Romanos & Africam feliciter dimicasse. Quo fautore permotus Isidorus præsul Hispalensis concilium habuit contra Acephalorum sectam. Recaredus II. *huic succeßit. Deinde Suitilla in bello exercitatus: quo duce vsus est olim Sisebatus rex in propulsando Romanorum exercitu. Primusque, vt ait Lucas Tudensis, Hispaniæ monarchiam est assecutus. Deinde succeßit Sisenandus Suitilla* II. *Tulgas Bidesuindus & Recensuindus imperauit Rex optimus annos* XXIII. *Cuius tempora diuus Illefonsus præsul Toletanus illustrauit. Bamba Rex omni bonitate præditus ab Heringio successore propinatus memoriam amisit, regnique deinde administratione prohibitus, se cœnobio addixit, in quo vixit annos septem, cùm prius octo regnasset. Dum tamen sensus viguit, res præclaras ac indignas tali calamitate gessit. Primùm Vascones, deinde Nemansenses rebelles, præterea Narbonenses perdomuit. Ducem quoque Bitterensem in Gallia res Gotho-*

rum infestantem superauit. Saracenorum naues CCLX. *Hispaniæ littus primùm applicantes magna vi animi classe ingenti obuiam missa, partim cæpit, partim depressit. Postremò Toleti concilium celebrauit. Herigius annos tredecim. Egicam generum successorem reliquit. Qui annos* XIIII *regnauit. Fafillam ducem Tudensem, vt eius vxore potiretur, interfecit. Vitizam filium ei ciuitati præfecit. Qui postea regno successit vir admodum facinorosus. Nam Theodebertum Recensuindi Regis filium parum olim relictum, cui regnum debebatur, oculis priuauit. At ille diuina benignitate ac prouidentia, ducta nihilominus vxore, Rhodoricum genuit, qui postea regno successit, auxilioque Pelagij patrui, Vitizam vnà cùm filius captum Cordubæ relegauit.*

DE

DE THEODERICO REGE GOTHORVM,

Sumpta è quarta parte Historiæ Generalis MS.

RICOBALDI FERRARIENSIS,

Cui titulus est, Pomœrium Ecclesiæ Rauennatis. in quibus nonnulla pleniùs, nonnulla etiam aliter quàm à Iornande scribuntur.

ANNO *Vrbis conditæ* MCCXXVIIII. *A natiuitate autem Christi* CCCCLXXVIII; *Odoacer, deiecto de Augustali dignitate Augustulo, Vrbem ingressus est, & totius Italiæ imperio est potitus; quod dum per annos* XIIII. *nullo inquietãte tenuisset, adueniens ex Orientis tunc partibus rex Gothorum Theodericus, Italiam possessurus intrauit.*

Vt verò quis fuerit & vnde Theodericus agnoscatur, oportet aliqua præterita memorare. Walamir Ostrogothorum rex in obsequium Attilæ regis Hunnorum in

Digitized by Google

Italia militauit. Vbi verò Attila occubuit, ab Hunnorum se suosque dominio, pristinæ libertatis memor, abduxit. Idem quoque Ardaricus rex Gepidarum ceteræque gentes Hunnis subiectæ fecerunt. At Hunni dolentes, Walemirem eiusque exercitum non solùm se à suæ dominationis iugo excussisse, sed & ceteris gentibus vt similia facerent fuisse incentores, Gothos vt fugitiua mancipia insequentes armis infestant, vt ad seruitutem denuo subigant. Conglobatis igitur suis, Walamir irruit super Hunnos, tantáque cæde debacchatus est, vt de cetero Hunni Ostrogothorum arma metuerent. Leo Imperator cum Gothis mox Illyricum vastantibus fœdus iniuit, ac Theodericum Theodamiris filium ex concubina nomine Arileuna genitum à Walemire eius patre obsidem accepit. Occiso in Assyriis Walemire, Theodimer eius germanus regia iurà suscepit. Diuiso deinceps regno, Theodimer Orientis, Widimer verò occidui sortitur imperium deuastandum. Sed

mox vt Widimer in Italiam ingressus est, rebus excessit humanis, successorem regni Widimer filium relinquens. Widimer acceptis à Glicerio Imperatore muneribus, contendit in Gallias, & secum propinquis Vesogothis iungens vnum efficit populum. Interea Theodimer dum parta Victoria domum reuertitur, Theodericum filium à Leone Imperatore redditum gratanter excepit. Theodericus annum agens XVIII. *patre inscio aliquantis ascitis satellitibus, vicinam sibi Sarmatarum gentem inuadens, opima ex eorum manibus spolia patri prædam portauit. Theodimer mox vita excedente, cunctorum suorum fauore ad regni gubernacula Theodericus ascendit. Quod factum denuntiatum Zenoni, ipse lætanter audiuit; ipsumque ad se Constantinopolim euocatum, magno honore & diuitiis extulit; in tantum vt eum & fascibus sublimaret; quæ dignitas post Imperiale fastigium est prima; erectamq. illi statuam ante suum palatium collocauit. At verò dum*

 huius-

huiusmodi deliciis Theodericus affluere
apud Constantinopolim, illius gens Ostro-
gothi, dum eis propter fidei sanctionem
prædas agere more solito non liceret, nec ab
Imperatore oblata stipendia sufficerent, ce-
*perunt * agere. Execrantur fœdus, vitu-*
perant inutilem pactionem; mittuntque
continuò ad Theodericum qui dicerent,
quòd dum ipse Græcorum epulis superfluit,
ipsi inopiæ miserias sustinerent. Hortan-
tur, vt si sibi suisque velit consulere, ci-
tius redeat; quatenus ne cuncta gens pes-
sum detur, nouas ad habitãdum terras ex-
quirat. His Theodericus auditis ad Zeno-
nem accedit Augustum; questus suorum
penuriamque exponit; Italiam sibi dari po-
stulat; absolutionem efflagitat; adiciens
quòd si superaret Odoacrem, Italiamque
obtineret, ad eius gloriam redundaret, à
quo fuisset directus; si superatus fuisset
bello, eius nihilominus lucris accresceret;
quandoquidem quotidianorum stipendio-
rum exactoribus careret. Talia Zeno au-
diens,

diens, contristatus est, eò quòd illum nollet amittere. Deliberato tandem consilio, & reipublicæ vtilitate prouisa, eius petitionibus annuit, eique Italicam per pragmaticam tribuens, sacri etiam velaminis dono confirmauit; Senatum illi Populumque Romanum commendans, abire permisit. Egressus Constantinopolim Theodericus, ad suos reuertitur Ostrogothos, hortaturque vt quàm primùm parati sint, vt inde migrent, Italiam possessuri. At verò priusquam in Italiam venirent, Tratillam Gepidarum regem, insidias sibi molientem, bello superans extinxit. Brisam quoque Bulgarorum regem magna cum suis agminibus cæde prostrauit. Egressus itaque à Mysia, cum omni Ostrogothorum multitudine, vniuersaque supellectile, per Sirmium Pannoniasque iter faciens, ad Italiam venit; ac primùm quidem Sontium flumen, quod ab Aquilegia modico obstat, castra posuit, dum vberrimis quæ eo loco habentur pascuis fatigata ex itineris longitudine

gitudine aliquandiu iumenta reficeret. Ibi mox ei cum grandi suorum exercitu, totisque Italiæ viribus Odoacer occurrit. Quem Theodericus libenter excipiens, magno superauit prælio; postremò in fugam conuertit. Exinde Veronam properat Theodericus; vbi Odoacer non minore exercitu illi occurrit in pugnam. Theodericus iterum non procul Verona confligit, cùm Odoacrum in acie ipsum etiam nimia cæde protriuit, & cum suo exercitu dare terga compellit. Quidam metu fugæ præcipites se in Athesim flumen mergunt, & magna ex parte illius vndis implicati suffocantur. Theodericus insequitur fugientes, & Veronam ilico, eius ciuibus cõsternatis, inuadit & occupat. Odoacer cum suis qui euaserant Romam contendit; sed obseratis portis excluditur. qui dum sibi ingressum vetari videt, omnia per quæ iter facit gladio flammisque consumpsit. & inde Rauennam se confert; vtque ibi se tueri aduersus hostes possit, munitionum præ-

parare

Digitized by Google

parare obstacula cœpit. Theodericus Verona digrediens Mediolanum peruenit. Ibi dum consisteret, magna ad eum multitudo militum, plures Italiæ populi conuenere. Sed paucis interiectis diebus, rursus deditiuus exercitus Tuffa quodam nomine instigante, Odoacris partibus se tradidit. Ea res in tantum Theodericum perterruit, vt se summque exercitum apud Ticinensium vrbem muniret. Burgundionum rex Gundibacus talium rerum varietates aspiciens, Ligutiam cum ingenti exercitu est ingressus; cunctaque quæ reperire potuit pro voluntate diripiens, infinitam secum ad Gallias captiuorum multitudinẽ traxit. Theodericus aliquandiu exercitum intra munitiones retinens, demum relictis ibi matre, sororibus, & vniuersi vulgi multitudine, nihil planè dubius de Epiphanij sanctissimi viri fide, cum expeditis armatorum cuneis, ad Odoacris obsidionem Rauennam perrexit. dum eo in loco cui Pinetum nomen est castra posuissent, per triennium fere con-

tinuum

tinuum Odoacrem obsedit; qui, dum frequenter ex urbe cum suis egrediens, eius exercitum inquietaret, nouissimè noctu in castra ruens, magna Theoderici exercitum cæde prostrauit. Verùm ad extremum, fortissimè resistentibus Gothis, in urbem confugit; nec multo pòst à Theoderico in fidem susceptus, ab eo temulenter peremtus est. Egressis è Tiemensium urbe Gothis, post triennium, eandem mox urbem Rugi inuasere, cuncta per circuitum loca, simul & ciuitatem per continuum biennium populatione vastantes, cum adhuc beatus Epiphanius superesset; cuius in tantis periculis sanctitate ciues replebantur affecti. Epiphanius igitur Episcopus à Theoderico in Gallias ad Gundibacum pro captiuis redimẽdis directus, excepta innumera multitudine, pro quibus precium tribuit, VI. M. *captiuorum ob solam sanctitatis suæ reuerentiam concessa secum reduxit. Theodericus extincto apud Rauennam Odoacre, totius Italiæ di-*

tionem

Digitized by Google

tionem est adeptus. Mox Romam profectus, à Romanis cum gaudio susceptus est; quibus ille ad subsidium, tritici singulis annis CXXM *modiorum concessit. Post hæc Theodericus ut regni sui vires stabiliret, Audasledam Lodoini Francorum regis filiam sibi in matrimonium iunxit. Wandalorum regi Hunerico Amalasredam germanam suam matrimonio sociat. Eius Amalasredæ filiam Malabergam, Turingorum regi Emensredo; Theodicodo quoque & Ostrogotho filias ex concubina, alteram Alarico Wesogothorum regi, alteram Sigismundo Burgundionum regi consociat. Amalasuentham verò tertiam filiam Eutarico ex Alamanorum stirpe venienti, ex Hispania euocato, tradit. Sic Italiæ nulla gens affinis prætermissa, quæ Theoderico aut coniunctionis affinitate, aut pactionis fœdere sociata non fuerit.*

Et paulo pòst: *Theodericus verò per idem tempus dum pacificè apud Italiam regnaret, per singula quæque loca celebriora, regia*

regia ſibi habitacula conſtruxit. Equum quoque æreum fecit Rauennæ, quem Karulus inde abſtulit, vt deferret in Franciam. Sed non perduxit. Nam permanſit Rapiæ. Poſthæc Theodericus ſubita morte eſt defunctus: cui ſucceſſit Athalaricus filius ex Amalaſuentha genitus.

IN IORNANDEM VARIÆ LECTIONES & Notæ aliquot

BON. VVLCANII.

STATVERAM *initio, Lector beneuole, Specimen tantùm linguæ Gethicæ edere, eiq; adjicere Iornandem, de Rebus Gethicis, cum iis quæ in editione Basiliensi Petri Pernæ ad eius calcem erant adiecta; quod & feceram. & iam Indice colophonis vice apposito, nihil aliud mihi restare putabam, quàm vt eum in lucem emitterem; quum me amici quidam monuerunt, consultum fore vt & Iornandis librum De regnorum ac temporum successione adiungerem; alioquin, fore vt fucus aliquis alienis laboribus insidians, vtrunque hunc librum coniunctim excudi curaret, eaq; ratione typographo fraudem faceret. Quorum quidem consilio eo libentiùs acquieui, quòd in hoc etiam libro multa sint ad res Geticas pertinentia. Quibus adieci nonnulla ex L. Marineo Siculo & Ricobaldo Ferrariensi non absimilis argumenti, tametsi hi Go-*

this parum æquos ſeſe oſtendant, ſtudio, vti arbitror, ſuæ nationis, & barbarorum, vti eos vocant, nativo quodam odio exſtimulati. Superest vt varias aliquot lectiones ſubiiciam. Supervacaneis enim Lectorem onerare nihil attinet. Si quid verò in contextu ipſo ſententiæ id neceſſario requirente immutauì, eius te ſuis locis monebo; & nonnulla quæ ad explicationem, tam Gothicorum quàm Latinorum Vocabulorum pertinent, aſpergam.

PAG. 2. LIN. vlt. Sileſtantinam. *al.* Silephantinam Etheron. *al.* & Theron.

4, 2. Scanziam. *alias* Scandiam. *Sic & Plinius eam vocat. Iacobus Zieglerus Scondaniam appellatam fuiſſe ait; Scondiæ vero nomen manſiſſe, quod amœnitatem pulchritudinemq; ſignificat; quoniam cæli beneficio, telluris obſequio, portuum & emporiorum commoditate, maritimis opibus, lacuum & fluminum piſcatione, venatione nobilium ferarum, auri, argenti, æris, & plumbi inexhauſtis venis, colonorum in agro exercendo induſtria, oppidorum frequentia, cæteris inſtitutis nulli cedit beatæ regioni.*

6, 3. Memua. *al.* Miniamque.

18. in Calydoniorum conceſſiſſe metallum nominandi. *alia* in cal. meatarumque conceſſiſſe nomina &c. *forte legendū* Memmatarum.

7, 18. cedro. *al.* citri.

8, 20. nunquam. *al.* nuſquam.

9, 23. viuunt. *rectius* viuant.

10, 21. Granij &c. *al.* Aigrandi, Aganziæ, Vnixi,

Digitized by Google

Vnixi, Herrelrugi, Arochi, Rannij.

11, 4. infestæ sæuitia pugnæ) *al.* pugnabant beluina sæuitia.

23. applicuere) *Rectius ita quàm*, appellauere.

12, 21. Ouim) *alias* Oium.

13, 9. Iosephus) *al.* Ioseppus.

16, 4. ad coronæ speciem arduis montibus emunita. *forte* cincta. *Nam ita infra*, corona montium cingitur.

19, 4. Zarabos Tereos) *al.* Taraboster eos.

2012. Hanalæ) *rectius* Amalæ.

21, 1. Danubiuin *al.* Danabrum.

12. Danubius. *al.* Danaber.

23, 1. Sorno rege) *al.* Sormi regi.

25, 8. Garganum) *al.* Gorgarum.

27, 12. locatim) *al.* elocatim. *al.* paulatim.

19. Iamnium. *forte* Imaum.

31, 16. Thamyris) *al.* Thomiris.

33, 5. Crebris fatigatus intaphis) *alias* e. f. in scaphis. *Locus corruptus. nec quid sibi velit vox intaphis, scio. nisi forte ab Italico* Intopo, *quod occursum illis significat. tametsi & hanc ipsam vocem Italos, vt & Hispanos* Topar *à Gothis mutuatos existimarim.*

12. ducentis) *al.* septingentis.

34, 10. Paternis) *rectius* patriis.

14. tenentur) *alias* terrentur.

37, 1. propriis legibus viuere fecit, quas vsque nunc Bellagines vocant) *Bellagines Gothicum vocabulum esse nemo mihi persuaserit, sed ex Gothico corruptum. Id verò fuisse crediderim*, Wel hagen *breuitatis causa ita contractum à* Welbehagen.

quod ſignificat Beneplacitum; ita vt Bellagines, meaquidē ſententia, nihil aliud ſint quam Placita principum; quæ fortaſsis iis temporibus, vt & hodie, in hanc formulam deſinebant, Want ons alſo gelieft. *quod idē eſt ac ſi dicas* Want ons alſo welbehaegt. *Quod verò prima vocabuli litera* W *in* B *mutata fuerit, vitio aliarum nationum factum putarim, quibus pronuntiatio gemini* V, *plane eſt inſolens; ac præcipue Hiſpanis, quos (quemadmodum olim Hebrei Ephratæos pronuntiatione vocis* Schiboleth *ſemel exploraruntnulla ratione certius cognoueris, quàm ex vocis alicuius quæ geminum* V *habeat, pronuntiatione. Audies enim ſtatim, pro* Water, *&* Wijn, *pronuntiantes* Oubater, *&* Oubyn. *Prius enim* V *in* W, *pronuntiant vt* U *vocalem ſuo more, ſcilicet* Ou, *(neque enim* U *breue ſiue Gallicum agnoſcunt) alterum verò* V *in* W, *pronuntiant vt* B. *Quod quidem vitium non tantum in poſteriore litera gemini* W *committunt, ſed in omnibus aliis vocabulis quorūm ſyllaba aliqua ab* V *conſonante initium facit. Qui quidem error in Latinis etiam Gloſſariis eſt frequentiſsimus; in quibus promiſcuè* B *pro* V *conſonante, &* V *pro* B *poſitum reperias; vt in Gloſſariis vtriuſque linguæ, quæ iam apparo, oſtendam. Mirum autem videri non debet, ſi Vocabulum hoc* Bellagines *ab Hiſpanis ita corruptum cenſeam quum veriſimile ſit Leges haſce à regibus Gothorum in Hiſpania fuiſſe conditas. Neque enim Gothi vſpiam diutius continuata regum ſerie quàm in Hiſpania regnum obtinuerunt. & Iſidorus eas ipſas Leges Latinas fecit. Sed erit de his aliâs commodior dicendi locus, quum ſecundas meas in Origenes Iſidori curas edam. vbi & de Longobardicarum legum*

legum inſcriptione, & de aliis aliorum librorum Veterum appellationibus agam; Laterculi videlicet, Codicis Homerici ἐκ τοῦ πάθους dicti, & vetuſtiſſimi Codicis Hiſpanici, cui titulum faciunt, El Libro del Bezerro.

18. imbuebantur) *rectius* imbuerentur.

38, 4. inuenitur) *al. & quidem rectius* enituit.

lin. vlt. ſua iuſtitia) *lege*, ſumma iuſtitia.

39, 20. Tamazites) al. Taziges.

40, 1. Almanicis) *al.* Alemanicis.

41, 3. Poppæus) *al.* Oppius.

6. Poppæi) *al.* Oppij.

22. Semideos,id eſt, Anſes vocauere) *Semideos,interpretor Heroas, quos & Heſiodus ἡμιθέους ſiue Hemideos vocat. ſed Heroas de quibus hic ſermo,non in media aëris regione, vt Heſiodus, conſtituimus, ἀέρα ἐναμένους, vt ille ait; neque vt Apuleius Lib. De deo Socratis, interruntios atque interpretes deorum facimus; ſed primariæ in gente Gothica nobilitatis ac dignitatis homines. Eadem fere ratione Galli vocant Les pairs de France. Hiſpani, Los grandes del reyno. Vide autem an ab hoc vocabulo* Anſes, *dicta ſit Anſa Teutonica, & Ciuitates Anſaticæ fœderatæ: tametſi non ignoro alios aliam huius vocis interpretationem ſiue Etymologiam adferre.*

42, 10. Horum ergo &c.) *aliâs* Heroum &c. *quam ego genuinam lectionem eſſe cenſeo; hoc eſt Semideorum, quos præcedente pagina* Anſes *vocauit.*

43, 8. Berimund.) *al.* Berimuth.

12. Witichis. *al.* Vitigis. *& ita lin.* 15.

49, 1. Thaphilis & Aſtringis) *alias*, Thaifalis & Aſdingis.

Digitized by Google

51, 17. Quomodo verò Getiæ Gepidæq. sint parentes) *Parentes hic vocat, quos Latini Affines, ratione loquendi vsitata etiam historicis posterioris ætatis. Qua significatione etiam hodiè Galli Parens & Parẽtage, & Hispani Parientes, vocant, & Parentesco; & Iulius Capitolinus in Gordianis Parentelam vocat cognationem, sine affinitatem.*

52, 22. Burgundiones) *al.* Burgozones.

53, 20. ne nimij iudicarentur) *al.* ne minor iudicaretur.

l. vlt. fluuius Aucha) *al.* Houna.

54, 3. viuaxque ingenium iuuat) *al.* viuacitasque ingenij iuuit.

11. noſtri) *al.* feliciter.

55, 14. iugo montis) *al.* iugo Hemi montis.

56, 13. Veniensque abrupto) *al.* veniensque ad Abiurum &c.

57, 7. peſtilens morbus) *al.* peſtilens annus morbis.

58, 6. inuadebat) *al.* inhiabat.

59, 7. Thuro Varoque duces) *al.* Taruaroque ducibus.

16. ciuitate) *al. & rectius,* Vicinitate.

20. partibus Aſiæ) *al.* partes.

60, 1. reſpirantes) *al.* ſe reparantes.

10. à quintodecimo miliario) *al.* ad XII. miliarium.

11. fontis igni) *al.* ignei.

61, 9. quinquegentianos) *al.* Quinquaginitanos.

62, 4. Ararici & Aorici) *al.* Ariarici & Atrici.

63, 8. Hermunduri) *al.* Hermundui.

19. col-

Digitized by Google

19. collecta imbellium ſuorum manu) *al.* in bellum.

65, 15. fecitque cauſa) *rectius fortaſſe* fuitque cauſa.

22. ſed nihil valet multitudo in bello) *alias & rectius* imbellium.

66, 9. prudentiæ virtute) *al.* prudentia & virtute.

67, 2. poſt egreſſum) *legebatur antea*, qui poſt &c. *expunxi* nè qui *vt ſuperuacuum.*

7. Aliorumnas) *al.* Aliorunas. *quæ & hodie vocantur Alrunæ. Hiſp. Bruxas.*

10. in ſolitudinem coëgit terræ) *al.* in ſolitudine coëgit errare.

68, 7. tribuit) *al.* præbuit.

18. notiſſimum) *rectius* notum.

l. vlt. quantoſcunq. prius in ingreſſu Scytharum habuere) *Ita habent omnia exemplaria. Sententia tamen videtur poſtulare, vt pro* prius, *legamus*, obuios.

69, 3. Alipzuros, Alcidzuros, Itamaros, Tuncaſſos & Boïſcos) *al.* Alpidzyros, Aichridzyros, Itimaros, Tuncarſer & Bairchos.

70, 17. nanciſcitur) *Rectius fortaſſe*, paciſcitur.

73, 10. Gepidis parentibus) *hoc eſt, affinibus, vt ſupra.*

11. per affectionis gratiam) *al.* pro cauſa affectionis.

74, 21. pro magno contradere) *Ita habent exemplaria omnia. Malim tamen legere*, precio magno &c.

75, 2. mercator victus neceſſitate expo-

(cit) *al.* m. victor famis &c.

9. Lupicino & ductori Romanorum) *vel ſuperest τὸ* &, *vel legendum eſt* Lupicino & Maximo ductoribus &c.

78, 2. principe meliore mutato) *al.* renouato.

19. inito fœdere) *al.* inita fœdera.

81, 7. generiſque Gothorum)*al.* gentiſq. &c.

82, 1. Firmium. *lege* Sirmium.

8. Eneri) *lege* Ἐνετοί.

10. in modum influentium aquarũm) *Ita habent omnia exemplaria. Non dubitarim tamen quin legendum ſit*, In modum inſulæ, influenium &c.

l. vlt. altiſſima foſſa) *al.* latiſſima.

83, 13. plena mollitie) *Rectius meo iudicio*, plana &c.

84, 7. etiam ſecurus) *ſenſus requirit vt legamus* & iam ſecurus &c.

85, 1. Ermantiam) *al.* Thermantiam.

87, 1. Barentinum amnem) *al.* Buſentum.

88, 12. Foroliuij) *lege* Forocornelij.

90, 13. Conſtantinũ)*al.* Conſtantiã. *vt & l.* 21.

91, 5. Clauſtra Pyrenei) *Quæ aliis* clauſuræ *vel* cluſuræ, *Græcè* πύλαι. *vt & Hiſp. Puertos & Sierras. Græci poſterioris ætui* χλεισούρας vocant.

92, 2. in partibus Galliæ) *al.* Galiciæ.

5. extinſſent) *al.* proceſſiſſent.

93, 3. ſermone ratus) *Quædam exemplaria habent* rarus; *hoc eſt verborum paucorum : ſed & prior lectio proba eſt, vt ſit*, Sermone ratus, *quod Græcis* ἀσφαλοεπὴς. *cui contrarium eſt* ἀμαρτοεπὴς.

95, 20. Beriſmundus. *al.* Beremuth.

97, 12. ani-

Digitized by Google

97, 12. animi corporisque virilitate abundans) *Corruptißimus erat hic in omnibus exemplaribus locus, qui ita legebatur* , animi corporisque vtilitate habendus. *pro* vtilitate *tamen, alibi legebatur*, vt illa ætate, *æquè corruptè. Non dubitaui itaque meam emendationem in contextum referre.*

18. Conſtantinopolim ſe fœderaſſet) *al.* Conſtantinopolim efferaſſet.

98, 5. mouit procinctum) *Sententia requirebat vt ita emendarem, & in contextum referrem; cum anteà paßim legeretur*, motus procinctum.

19. Vidicula) *aliâs* Vidigoia.

99, 7. area vero curtis) *Legendum omnino eſt* Cortis. *Eſt enim Cors, ſpatioſißimus Palatij locus, quem Itali Còrte & Cortile vocant; Hiſpani, La corte. Tametſi hi , hac appellatione etiam Palatium ipſum ſignificant.*

l. vlt. Bleta. *al.* Bleda. *Proſper Budam vocat.*

103, 23. vrbis. *al.* orbis.

105, 17. Solatia illorum quos delectat) *Repoſui* quos *pro* quibus. *niſi quis illam fortaßis fuiſſe rationem loquendi illis temporibus velit. Solatia vero frequenter vocat, ſubſidia.*

107, 17. deſtruunt) *Rectius legas*, præſtruunt.

112, 21. Abſciſa autem &c. *lege* Abſciſis autem &c.

113, 11. inermibus cedere &c.) *Ita omnino legendum, non* condere.

114, 8. Manu manibus &c.) *lege* Manus manibus.

115, 17. muralis agger) *corruptè antea legebatur* naturalis agger.

Digitized by Google

21. proturbauerat) *ita rectius quàm* perturbauerat.

117, 6. piram. *lege* pyram.

9. aut in poteſtatem hoſtium, tantorum hoſtium gentium dominus perueniret) *al.* aut in poteſtatem tantorum hoſtium gentium dominus perueniret) *vtrobique malè. Senſus autem erit planus ſi ita legas,* aut in poteſtatem hoſtium, tantarum gentium dominus perueniret.

119, 9. miſerabiliter) *al.* miſeriterque.

13. Sic hum. fragilitas &c.) *al.* Sic.h.f.dum ſuſpicionibus incurrerit, magna pleruinq. agendo, occaſionem rerum intercipit.

120, 1. de inordinatis) *al.* inopinatis.

122, 12. Non hoc vacuum) *hoc eſt, Vanum & inane. qua ſignificatione Tacitus non ſemel Vacuum vſurpat.*

18. in Acrouentu Mamboleio) *al.* In agro Venetum Ambuleto.

123, 20. Qui mox depoſito exercitus furore. *al.* Quimox depoſuit exercitus furorem.

126, 13. ab Aſcalcruo) *al.* Aſcalihamo.

139, 4. Balamber) *ſupra* Balamir.

5. aſcito ad ſe Sigiſmundo) *al.* accerſito ad ſe Geſiſmundo.

18. Waladamarcam) *al.* Vallamaricam.

140. habitum) *al.* ambitum.

142, 21. extinctionis ſuæ) *al.* exitus ſui.

143, 2. magna hilaritate) *al.* nimia.

21. & ne præda reliqua ſubderent) *legendum omnino,* Et ne prædæ reliqua ſubderet.

145, 7. ſtrauam ſuper tumulum eius &c. concelebrant)

Digitized by Google

celebrant) *Strauæ Gothicum vocabulum quid ſignificet, non immerito dubitetur. Commentator Statij, in locum illum Thebaid.* 2. *Hoſtiles ſuper ipſe it* [ita enim legendum, non *vt*] *victor aceruos: Aceruos, inquit, Exuuiarum moles. Exuuiæ enim hoſtium regibus exſtruebantur mortuis ſepultura. Quem ritum ſepulturæ hodie quoque barbari ſeruare dicuntur, quem* STRABAM *dicunt ſua lingua. Ego verò* Strauam *vocabulum mere Gothicum, Straſſam ab illis dictam fuiſſe contenderim; quod vocabulum ſupplicium & pœnam ſignificat; vt & hodie apud Germanos & Belgas; à verbo* Straffen, *quod Punire, ſiue pœnam ab aliquo exigere ſignificat. Veriſimile itaque eſt, Hunnos Attilæ non hoſtilium tantum Exuuiarum aceruis ad tumulum congeſtis, ſed captorum cæde parentaſſe. Iudicent docti an coniectura meæ ſit* ἔυσοχος.

147, 11. Netad. *al.* Nedæ.

21. cunctis, pugnantem. *al.* contis pugnantem.

22. in vulnere ſuorum cuncta tela frangentem) *al.* in vulnere ſuo regum t. f.

149, 12. annua ſolemnia) *Rectius* ſolatia.

150, 21. Ego item (quamuis agrammatus) Iornandes, ante conuerſionem meam notarius fui) *Demiſſe de ſe ſentit Iornandes, qui ſe agrammatum vocat.*

23. Biozimetas. *al.* Bioximetas. *al.* Brizim & Archadiopolim.

151, 3. Emnadzar & Vzindur) *al.* Eumezur & Vltzindur. *al.* Emedzar.

5. Vto & Iſcalmus) *al.* Hiſto Aliuoq. &c.

20. En-

Digitized by Google

20. Encopolitanam. *al.* Necopolitanam,

ibid. Ad pedes enim montis) *al.* Ad pedes Emi &c.

153, 8. Danubij) *al.* Daſſapri.

10. Huniuar) *hoc eſt*, *Traiectum Hunnorum.*

23. Triarij. *al.* triani.

155, 16. Dinzio) *al.* Dindzic.

158, 21. Vulfo) *al.* Hunulfo.

160, 22. Alpes erectas. *Vide an pro* erectas *legendum ſit* Brettias. *Si verò* erectas *omnino*, *tum intellige arduas admodum & ſublimes.*

161. amatores. *hoc eſt, beneuolos & ſuarum partium ſtudioſos.*

162, 21. ipſe ceu fortior) *Ita emendaui, quum antea legeretur*, fortiter.

163, 15. Saum amnem. *al.* Spadum.

164, 12. Clarianus. *al.* Hilarianus.

22. Sium. *al.* Phtium.

166, 15. tantum ſi. *lege*, tamen ſi.

168, 4. reſediſſet. *al.* conſediſſet.

169, 19. Audefledam. *al.* Odelfledam.

170, 9. Theudicodo. *al.* Thiudigotam.

171, 2. Theodati. *al.* Theodahati &c. *atque ita deinceps.*

14. Margo plano) Margum planum *ſupra.*

15. Martianumque. *al.* Margum.

19. Attilanis) *forte* ab Attilanis.

23. Scamariſque) *Legendum forte* Sicariis, *niſi Scamari Gothicum vocabulum fuerit*; *Sicarium ipſis ſignificans.*

172, 22. Theodigis gloſſa) *al.* Thodigis Toloſa.

175, 4. vbi

175, 4. vbi pauciſſimos dies) *al.* vbi Amalaſuntha plures dies &c.

19. de Africa à Wandalis) *lege* de Africa & Wandalis.

20. Beliſarium) *al.* Bertramum.

176, 15. Euermor. *al.* Euermundum.

177, 8. occiſum Theodatum regem. *al.* occiſo Theodahato rege.

IN IORNANDEM DE REGNORVM *ac temporum ſucceſſione.*

LONGVM eſſet, imo ſuperuacaneum, omnes quotquot ſeſe obtulerunt variantes lectiones annotare; è quibus multæ vitioſæ & nullius rei. Ego eas quæ mihi ſunt viſæ ſaniores in contextum retuli. Locos verò aliquot corruptos, quos citra vllam variantis exemplaris opẽ emendaui, indicabo.

P. 56, L. 17. fabuloſis famæ monſtris. *lege*, fab. infame monſtris &c.

62, 14. Nec maior aliàs in mari pugna) *adde notam diſtinctionis poſt* pugna;

64, 16. & de eius ipſius Ariouiſtinis) *legẽdum cenſuerim*; & de Ariouiſtinis &c.

66, 2. Igitur Saguntus in cauſam belli deleta eſt. *lege*, delecta eſt.

74, 13. deliberaſſe ſ. oculis &c. *lege*, delibaſſe.

101, 22. ir-

Digitized by Google

101, 22. irritum fecere) *ita emendaui, quum antea legeretur*, irritum fore.

116, 3. odore prunarum præfocatus) *Ita repaſui; quum antea corruptè legeretur*, prouocatus.

133. dum luctum quendam quaſi mœrens ſimulat, neminem ſuſcepit) *Ita mihi viſum eſt legendum; quum antea legeretur*, dum luctum quendam quaſi mœrens neminem ſuſcepit.

146. feliciter dimicans, fugat exercitum, iudices partim donis &c. *Ita repoſui; quum antea tranſpoſita ſuoq; loco mota verba ſententiam turbarent. Ita enim legebatur*, dimicans iudices fugat exercitum, partim donis &c.

150, 20. repeperíque dignam noſtri temporis Reipub. tragœdiam) *Ita viſus mihi fuit hic locus emendandus; quum anteà ita legeretur*, t. d. n. t. Rempub. tragœdiã.

Si quæ fuerint, Amice Lector, vt erũt omnino, in hoc Iornandis De regnorum & temporũ ſucceſſione libro errata, aut dubia quæ te morentur, ea ex variis Hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus, ipſe animaduertere poteris & corrigere. Neque enim mihi nunc temporis hunc tractatum, vt antea teſtatus ſum, edere in animo erat. Sed neque libebat multum in eo caſtigando operæ ponere; imo ne vacabat quidem, cum ob varias meas, & publicas & priuatas occupationes; tum præcipuè ob nouam quam molior Procopij interpretationem, quæ vel ſola totum hominem requirit; quem vt à doctis omnibus auide expectari ſcio,

scio, ita eum de manibus non deponam, donec eorum desiderio, volente Deo, satisfecero. Interea, Iornandes hic meus λαμπαδοῦχος δίκλω Procopio præibit, neque exiguam ei lucem adferet. qua & tu fruens, amice Lector, & studiis meis fauens, Vale.

FINIS.

Digitized by Google

Incipiunt

CAPITA LIBRI PRIMI,

HISTORIÆ LANGOBARDORVM.

CAP. I.

De Germania, quod plures nutriat populos, ideoque ex ea multæ gentes egrediantur.

CAP. II.

De Scandinauia insula, & quia ex ea Winilorum, hoc est, Langobardorum gens est egressa.

CAP. III.

Quod Ibor & Ayo, primi duces Winilorum, cum matre sua Gambara fuerunt.

CAP. IIII.

De septem viris apud Germaniam dormientibus.

CAP. V.

De gente Scrito Winorum.

CAP. VI.

De duobus vmbilicis Oceani maris, qui sunt ex vtraque parte Britanniæ.

CAP. VII.

Quod Winili in Scoringam venerunt; &

Digitized by Google

quia Ambri & Assi Wandalorum duces eis tributa persoluere mandauerunt.

CAP. VIII.

De Wodan & Frea, ridicula fabula.

CAP. IX.

Quare Winili Langobardi appellati sint, & quod Wota ipse sit, qui apud Romanos Mercurius dicitur.

CAP. X.

Quomodo Langobardi Wandalos vicerunt, & de fame Langobardorum.

CAP. XI.

Quia Langobardi in Mauringam transire volentes, ab Assis pittis sunt impediti.

CAP. XII.

De monomachia duorum virorum fortium, quorum vnus è Langobardis, alter è Assis pittis fuit.

CAP. XIII.

Quod Langobardi in Mauringam transierunt, ac deinde ad vlteriora loca progressi sunt.

CAP. XIIII.

Quia mortuis Ibor & Ayone ducibus, Langobardi primum regem Agilmundum habuerunt.

De

CAP. XV.

De meretrice, quæ ſeptem infantulos peperit, ex quibus Lamiſſio vnus fuit: & de monomachia eius cum Amazone.

CAP. XVI.

Quomodo Bulgares noctu ſuper caſtra Langobardorum irruentes, Agelmundum regem interfecerunt, & filiam eius captiuam duxerunt.

CAP. XVII.

Quomodo Lamiſſio rex effectus eſt, & qualiter Bulgares ſuperauit.

CAP. XVIII.

Quod mortuo Lamiſſione, regnum Lechu ſuſcepit; & poſt hunc, filius eius Hildeoc, poſt quem quoque Bodeac regnauit.

CAP. XIX.

Bellum inter Edoagar Regem Torcilingorum, & Felecheum regem Rugorum, & quomodo Langobardi ſuperatis ab Odoacre Rugis, eorũ prouinciam poſſederunt.

CAP. XX.

Mortuo Gedeoc, regnauit Claffo, & poſt hunc Tato, qui deleuit regnũ Herulorum.

CAP. XXI.

De morte Tatonis, & regno Wachonis, & quomodo Wacho Suauos ſuperauit, &

de vxoribus eius & filiabus; & de regno Waltari filij eius.

CAP. XXII.

Mortuo Waltari regnauit Audoin, qui Langobardos in Pannoniam adduxit.

CAP. XXIII.

Bellum Gepidorum cum Langobardis, in quo Alboin filium regis Gepidorum extinxit.

CAP. XXIIII.

Quomodo Alboin cum quadraginta viris ad Turisendum regem, cuius filium interemerat, profectus est, arma ab eo petens, vt cum suo patre possit in cõuiuio residere, & quomodo à Turisendo arma accepit.

CAP. XXV.

De regno Iustiniani & victoriis eius.

CAP. XXVI.

De Beato Benedicto, & miraculis, & laudibus eius.

CAP. XXVII.

De morte Audoin & regno Alboin; & quomodo Alboin Cunimundum, regem Gepidorum, superauit, & filiam eius Rosemundam in matrimonium duxit.

EXPLICIVNT CAPITVLA.

Digitized by Google

Incipit

LIBER PRIMVS PAVLI WARNEFRIDI, LANGOBARDI FILII, De gestis Langobardorum.

CAP. I.

SEPTENTRIONALIS *plaga, quanto magis ab æstu solis remota est, & minuali frigore gelida, tanto salubrior corporibus hominum, & propagandis est gentibus magis coaptata: sicut econtra omnis meridiana regio, quo solis est feruori vicinior, eo semper morbis abundat, & educandis minus est apta mortalibus. Vnde fit vt tantæ populorum multitudines, Arctoo sub axe oriantur: vt non immerito vniuersa illa regio Tanai tenus, vsque ad Occiduum; licet & propriis loca in ea singula nuncupentur nominibus, generali tamen vocabulo Germania vocitetur; quamuis & duas vltra Rhenum prouincias Romani, cum ea loca occupassent, superiorem inferioremque Germaniam dixerint. Ab hac ergo populosa Germa-*

nia, ſæpe innumerabiles captiuorum turmæ abductæ, meridianis populis pretio diſtrahuntur; multæ quoque ex ea, pro eo quod tantos mortalium germinat, quantos alere vix ſufficit, ſæpè gentes egreſſæ ſunt, quæ nihilominus & partes Aſiæ, ſed maxime ſibi contiguam Europam, afflixerunt. Teſtantur hoc vbique vrbes erutæ, per totam Illyricum Galliamque: ſed maxime miſeræ Italiæ, quæ penè omnium illarum eſt gentium experta ſæuitiam. Gothi ſiquidem, Wandalique, Rugi, Heroli, atque Turcilingi, nec non etiam aliæ feroces & barbaræ nationes, è Germania prodierunt.

II. CAP. II.

Pari etiam modo & Winilorum, hoc eſt, Langobardorum gens, quæ poſtea in Italia feliciter regnauit, à Germanorum populis originem ducens, licet & aliæ cauſæ egreſſionis eorum aſſeuerentur, ab inſula quæ Scandinauia dicitur eduenerauit; cuius etiam inſulæ, Plinius Secundus in libris, quos De natura rerum compoſuit, mentionem facit. Hæc ergo inſula, ſicut retulerunt nobis, qui eam luſtrauerunt, non tam in mari eſt poſita, quam marinis fluctibus, propter planitiem marginum, terras ambientibus circumfuſa. Intra hanc ergo conſtituti populi,

dum

dum in tantam multitudinem pullulassent, vt iam simul habitare non valerent, in tres, vt fertur, omnem cateruam partes diuidentes, quæ ex illis pars patriam relinquere, nouasque deberet sedes exquirere, sorte perquirit.

CAP. III.

Igitur ea pars cui sors dederat gentile solum excedere, exteraque arua sectari, ordinatis super se duobus ducibus, Ibor scilicet & Aione, qui & germani erant, & iuuenili adhuc ætate floridi, & ceteris præstantiores, ad exquirendas quas possint incolere terras sedesque statuere, valedicentes suis simul & patriæ, iter arripiunt. Horum erat ducum mater, nomine Gambara, mulier quantum inter suos & ingenio acris, & consiliis prouida; de cuius in rebus dubiis prudentia, non minimum confidebant.

CAP. IIII. III.

Haud abre esse arbitror, paulisper narrandi ordinem postponere, & quia adhuc stilus in Germania vertitur, miraculum quod illic apud omnes celebre habetur, sed & quædam alia breuiter intimare. In extremis circium versus Germaniæ finibus, in ipso Oceani littore, antrum sub eminenti rupe conspicitur, vbi septem viri (incertum ex quo tempore) longo sopiti sopore

quieſcunt, ita inleſis non ſolum corporibus, ſed etiam veſtimentis, vt ex hoc ipſo, quod ſine vlla per tot annorum curricula corruptione perdurant, apud indociles eaſdem & barbaras nationes, veneration habeantur. Hi denique quantum ad habitum ſpectat, Romani eſſe cernuntur. E quibus dum vnum quidam, cupiditate ſtimulatus vellet exuere, mox eius vt dicitur brachium aruerunt, pœnaque ſua ceteros proterruit, ne quis eos vlterius contingere auderet. Videris ad quem eos profectum, per tot tempora, prouidentia diuina conſeruet. Fortaſſe horum quandoque, quia non aliter niſi Chriſtiani eſſe putantur, gentes illæ prædicatione ſaluandæ ſunt.

IIII. CAP. V.

Huic loco Scritobini, ſic enim gens illa nominatur, vicini ſunt, qui etiam æſtatis tempore niuibus non carent, nec aliis, vtpote feris ipſis ratione non diſpares; quam crudis agreſtium animantium carnibus veſcuntur; de quorum etiam hirtis pellibus ſibi indumenta coaptant. Hi à ſaliendo, iuxta linguam barbaram etymologiam ducunt. Saltibus enim vtentes, arte quadam ligno incuruo, ad arcus ſimilitudinem, feras aſſequuntur. Apud hos eſt animal, non ſatis aſſimile ceruo, de cuius ego corio, vt fuerat pilis

lis hiſpidum, veſtem in modum tunicæ, genu tenus aptatam conſpexi, ſicut iam fati, vt relatum eſt, Scritobini vtuntur. Quibus in locis circa æſtiuale ſolſtitium, per aliquot dies, etiam noctu clariſſima lux cernitur, dieſque ibi multo maiores, quam alibi habentur; ſicut è contrario, circa brumale ſolſtitium, quamuis diei lux adſit, ſol tamen ibi non videtur, dieſque minimi, quam vſquam alibi, noctes quoque longiores exiſtunt. Quia ſcilicet quanto magis à ſole longius diſceditur, tanto ſol ipſe terræ vicinior apparet, & vmbræ longiores excreſcunt. Denique in Italia, ſicut & antiqui ſcripſerunt, circa diem natalis domini, nouem pedes in vmbra ſtaturæ humanæ, hora ſexta metiuntur. Ego autem in Gallia Belgica, in loco qui Totonis villa dicitur, conſtitutus, ſtatus mei vmbram metiens, decem & nouem & ſemis pedes inueni. Sic quoque contrario modo, quanto propinquius meridiem verſus ad ſolem acceditur, tantum ſemper vmbræ breuiores videntur; in tantum, vt ſolſtitio æſtiuali reſpiciente ſole de medio cæli, in Ægypto & Hieroſolymis, & in eorum vicinitate conſtitutis locis, nullæ videantur vmbræ. In Arabia vero hoc ipſo tempore ſol ſupra medium cæli, ad partem Aquilonis cernitur, vmbræque verſa vice contra meridiem videntur.

CAP. VI.

Nec ſatis procul ab hoc de quo præmiſimus littore, contra occidentalem partem, qua ſine fine Oceanũ pelagus patet, profundiſſima aquarum illa vorago eſt, quam vſitato nomine maris vmbilicum vocamus, quæ bis in die fluctus abſorbere & rurſum euomere dicitur, ſicut per vniuerſa illa littora, accedentibus & recedentibus fluctibus, celeritate nimia fieri comprobatur. Huiuſmodi vorago ſiue vertigo, à poëta Virgilio Charybdis appellatur, quam ille in freto Siculo eſſe ſuo in carmine loquitur, hoc modo dicens:

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obſidet, atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſuſque ſub auras
Erigit alternos, & ſidera verberat vnda.

Ab hac ſane de qua diximus vertigine, ſæpè naues raptim curſimque adtrahi adfirmantur, tanta celeritate, vt ſagittarum per aëra lapſus imitari videantur, & nonnunquam in illo barathro horrendo nimis exitu pereunt. Sæpè cum iamiamque mergendæ ſint, ſubitis vndarum molibus retroactæ, tantarurſus agilitate exinde elongantur, quanto prius adtractæ ſunt. Affir-

mant

mant esse & aliam huiusmodi voraginem, inter Britanniam insulam, Galliamque prouinciam: cui etiam rei adstipulantur Sequanicæ Aquitaniæque littora, quæ bis in die tam subitis inundationibus opplentur, vt qui fortasse aliquantulum introrsus à littore repertus fuerit, euadere vix possit. Videas earum regionum flumina, fontem versus cursu velocissimo relabi, ac per multorum milium spatia, dulces fluminum lymphas, in amaritudinem verti. Triginta ferme VI. *à Sequanico littore Enodia insula milibus distat, in qua, sicut ab illius incolis adseueratur, vergentium in eandem Charybdim aquarum garrulitas auditur. Audiui quendam nebilissimum Gallorum referentem, quod aliquantæ naues, prius tempestate conuulsæ, postmodum ab hac eadem Charybdi voratæ sunt. Vnus autem ex omnibus viris solummodo, qui in nauibus illis fuerant, morientibus ceteris, dum adhuc fluctibus spirans supernataret, vi aquarum fluentium abductus ad oram vsque immanissimi illius baratri peruenit. Qui cum iam profundissimum, & sine fine patens chaos adspiceret, ipsoque pauore præmortuus, se illucturum exspectaret, subito quod sperare nō poterat, saxo quodam superiectus insedit. Decursis siquidem iam omnibus, quæ sorbendæ erant, aquis, oræ illius fuerant*

margi-

margines demudati. Dumque ibi inter tot angustias anxius, vix ob metum palpitans resideret, dilatamque ad modicum mortem nihilominus opperiret, conspicit ecce subito, quasi magnos aquarum montes de profundo resilire, naues que que absorptæ fuerant, primas emergere. Cumque vna ex illis ei contigua fieret, ad eam se nisu quo potuit apprehendit. Nec mora, celeri volatu prope littus aduectus, metuendæ necis casus euasit, proprij postmodum periculi relator existens. Nostrum quoque, id est, Adriaticum mare, quod licet minus, similiter tamen Venetiarum Hystrieque littora peruadit, credibile est paruos huius modi occultosque habere meatus, quibus & recedentes aquæ sorbeantur, & rursum inuasuræ littora reuomantur. His itaque prælibatis ad cœptã narrandi seriem redeamus.

VII. CAP. VII.

Igitur egressi de Scandimania Winili, cum Ibor & Ayone ducibus, in regionem, quæ appellatur Scoringa venientes, per annos illic aliquot consederunt. Illo itaque tempore, Ambri & Assi, Wandalorum duces, vicinas quasque prouincias bello premebant. Hi iam multis clari victoriis, nuncios ad Winilos mittunt, vt aut tributa Wandalis persoluerent, aut se ad belli

certa-

certamina præpararent. Tunc Ibor & Ayo admitente matre Gambara, deliberant melius esse armis libertatem tueri, quam tributorum eandem solutione fœdare, mandant per legatos Wandalis, pugnaturos se potius, quam seruituros. Erant siquidem tunc Winili vniuersi, ætate iuuenili florentes, sed numero exigui, quippe qui vnius non nimiæ amplitudinis insulæ, tertiæ solummodo particula fuerint.

CAP. VIII. VIII.

Refert hoc loco antiquitas ridiculam fabulam, quod accedentes Wandali ad Wodan, victoriam de Winilis postulauerint, illeque responderit, se illis victoriam daturum quos primum oriente Sole conspexisset; tunc accessisse Gambaram ad Freama, vxorem Wodan, & Winilis victoriam postulasse, Freamque consilium dedisse, vt Winilorum mulieres, solutos crines erga faciem, ad barbæ similitudinem componerent, maneque primo cum viris adessent, seseque à Wodan videndas pariter è regione, qua ille per fenestram, Orientem versus, erat solitus adspicere, collocarent: atque ita factum fuisse. Quas cum Wodan conspiceret oriente sole, dixisse: Qui sunt isti Langobardi? Tunc Freama subiunxisse, vt quibus nomen tribuerat, victoriam

condo-

condonaret; ſicque Winilis Wodan victoriam conceſsiſſe. Hæc riſu digna ſunt, & pro nihilo habenda. Victoria enim non poteſtati eſt attributa hominum, ſed è cœlo potius miniſtratur.

CAP. IX.

Certum tamen eſt Langobardos, ab intacta ferro barbæ longitudine, cum primitus Winili dicti fuerint, ita poſtmodum appellatos. Nam iuxta illorum linguam, lang *longam,* Baert *barbam ſignificat. Wodan ſane, quem adiecta littera Godan dixerunt, ipſe eſt, qui apud Romanos Mercurius dicitur, & ab vniuerſis Germaniæ gentibus vt Deus adoratur; qui non circa hæc tempora, ſed longe anterius, nec in Germania, ſed in Græcia fuiſſe perhibetur.*

IX.

CAP. X.

Winili igitur, qui & Langobardi, commiſſo cum Wandalis prælio, acriter vtpote pro libertatis gloria decertantes, victoriam captant; qui magnam poſtmodum fame penuriam, in eadem Scoringa prouincia perpeſſi, valde animo conſternati ſunt.

CAP. XI.

De qua egredientes, dum in Mauringam

tranſire

Digitized by Google

transire disponerent, Assipitti eorum iter impediunt, denegantes eis omnimodis per suos terminos transitum. Porro Langobardi, cum magnas hostium copias cernerent, neque cum eis, ob paucitatem exercitus, congredi auderent, dumque quid agere deberent, decernerent, tandem necessitas consilium reperit. Simulant se in castris suis habere cynocephalos, id est, canini capitis homines. Diuulgant apud hostes hos pertinaciter bella gerere, humanum sanguinem bibere, & si hostem assequi non possint, proprium potare cruorem. Vtque huic assertioni fidem facerent, ampliant tentoria, plurimosque in castris ignes accendunt. His hostes auditis, visisque creduli effecti, bellum quod minabantur, iam sentire non audent.

CAP. XII.

Habebant tamen apud se virum fortissimum, de cuius fidebant viribus, posse se procul dubio obtinere quod vellent, hunc solum pro omnibus pugnaturum obiiciunt. Mandantque Langobardis vt vnum quem vellent suorum mitterent, qui cum eo ad singulare certamen exiret, ea videlicet conditione, vt si suus bellator victoriam caperet, Langobardi itinere quo venerant abirent: sin vero superaretur ab altero, tunc se

Lango-

Langobardis transitum per fines proprios non vetituros. Cumque Langobardi quem è suis potius aduersus virum bellicosissimum mitterent, ambigerent, quidam ex seruili conditione sponte se obtulit, promittit se prouocanti hosti congressurum, ea ratione vt si de hoste victoriam caperet, à se suaque progenie seruitutis onus auferrent. Quid plura? gratanter quæ postulauerat esse facturos pollicentur. Aggressus hostem expugnauit & vicit; Langobardis transeundi facultatem, sibi suisque, vt optauerat, iura libertatis indeptus est.

Cap. XIII.

Igitur Langobardi tandem in Mauringam peruenientes, vt bellatorum possint ampliare numerum, plures à seruili iugo ereptos, ad libertatis statum perducunt, vtque rata eorum haberi posset libertas, sanciunt more solito per sagittam, immurmurantes nihilominus, ob rei firmitatem, quædam patria verba. Egressi itaque Langebardi de Mauringa, applicuerunt in Golanda, vbi aliquanto tempore commorati dicuntur. Post hæc Anthabet, Bathaib, pari modo & Vurgundaib, per annos aliquot possedisse: quæ nos arbitari possumus esse vocabula pagorum, seu quorumcunque locorum.

Cap.

Digitized by Google

CAP. XIIII. X.

Mortuis interea Ibor & Ayone ducibus, qui Langobardos à Scandinauia eduxerant, & vsque ad hæc tempora rexerant, nolentes tam vltra Langobardi esse sub ducibus, regem sibi ad ceterarum instar gentium statuerunt. Regnauit igitur super eos primus Agelmundus, filius Ayonis, ex prosapia ducens originem Gungincorum, quæ apud eos generosior habebatur. Hic sicut à maioribus traditur, tribus & triginta annis Langobardorum tenuit regnum.

CAP. XV.

His temporibus quædam meretrix, vno partu septem puerulos enixa, belua omnibus mater crudelior, in piscinam proiecit necandos. Hoc si cui impossibile videtur, relegat historias veterum, & inueniet non solum septem infantulos, sed etiam nouem vnam mulierem simul peperisse. Et hoc certum est maxime apud Ægyptios fieri. Contigit itaque vt rex Agelmundus, dum iter carperet, ad eandem piscinam deueniret. Qui cum equo retento miserandos infantulos miraretur, hastaque quam manu gerebat, hac illucque eos inuerteret, vnus ex illis manu iniecta hastam regiam comprehendit. Rex misericordia

ricordia motus, factumque altius admiratus, eum magnum futurum pronuntiat. Moxque eum è piscina leuari præcipit, atque nutrici traditum, omni cum studio mandat alendum. Et quia eum de piscina, quæ eorum lingua Lama dicitur, abstulit, Lamissio eidem nomen imposuit. Qui cum adoleuisset, adeo strenuus iuuenis effectus est, vt & bellicosissimus extiterit, & post Agelmundi funus, regni gubernacula rexerit. Ferunt hunc, dum Langobardi cum rege suo iter agentes, ad quendam fluuium peruenissent, & ab Amazonibus essent prohibiti vltra permeare, cum earum fortissima in fluuio natatu pugnasse, eamque peremisse, sibique laudis gloriam, Langobardis quoque transitum paranisse: hoc siquidem inter vtrasque acies prius constitisse, quatenus si Amazona eadem Lamissionem superaret, Langobardi à flumine recederent, sin vero à Lamissione, vt & factum est, ipsa vinceretur, Langobardis eadem permeandi fluenta copia præberetur. Constat sane quia huius assertionis series, minus veritate subnixa est. Omnibus etenim, quibus veteres historiæ notæ sunt, patet, gentem Amazonum, longe antea, quam hæc fieri potuerunt, esse deletam; nisi forte quia loca eadem vbi hæc gesta feruntur, non satis historiographis nota fuerunt, & vix ab aliquo eorum

rum vulgata ſunt, fieri potuerit, vt vſque ad id tempus, huiuſcemodi inibi mulierum genus haberetur. Nam & ego referri à quibuſdam audiui, vſque hodie in intimis Germaniæ finibus gentem harum exiſtere feminarum.

CAP. XVI. XI.

Igitur tranſmento Langobardi, de quo dixeramus, flumine, cum ad vlteriores terras peruenissent, illic per tempus aliquod commorabantur. Interea cum nihil aduerſi ſuſpicarentur, & eſſent quieti, longa nimis ſecuritas, quæ ſemper detrimentorum mater eſt, eis non modicam pernitiem peperit. Nocte denique cum negligentia reſoluti quieſcerent cuncti, ſubito ſuper eos Bulgares irruentes, plures ex iis ſauciant, multos proſternunt, & in tantum per eorum caſtra debacchati ſunt, vt ipſum Agelmundum regem interficerent, eiuſque vnicam filiam ſorte captiuitatis auferrent.

CAP. XVII.

Reſumptis tamen poſt hæc incommodis Langobardi viribus, Lamiſſionem, de quo ſuperius dixeramus ſibi regem conſtituerunt. Qui vt erat iuuenili ætate feruidus, & ad belli certamina ſatis promptus, non aliud niſi Agelmundi

Digitized by Google

necem eluisci cupiens, in Bulgares arma conuertit. Primoque prælio mox commisso, Langobardi hostibus tergadantes ad castra refugiunt. Tunc rex Lamissio ista conspiciens, elevata altius voce omni exercitui clamare cæpit, vt opprobriorum, quæ pertulerant, reminiscerentur, reuocarentque ante oculos dedecus, quomodo eorum regem hostes iugulauerint, quam miserabiliter eius natam, quam sibi reginam optauerant, captiuam abduxerint. Postremo hortatur, vt se suosque armis defenderent, melius esse dicens in bello animam ponere, quam vt vilia mancipia, hostium ludibriis subiacere. Hæc & huiusmodi vociferans cum diceret, & nunc minis, nunc promissionibus, ad tolerandas eorum animos belli certamina roboraret: si quem etiam seruilis conditionis pugnantem vidisset, libertate eum simul cum præmiis donaret. Tandem hortatu exemploque principis, qui primus ad bellum prosilierat, accensi, super hostes irruunt, pugnant atrociter, & magna aduersarios clade prosternunt. Tandemque de victoribus victoriam capientes, tam regis sumus, quam propriæ iniurias vlciscuntur. Tunc magna de hostium exuuiis præda potiti, ex illo iam tempore, ad expetendos belli labores, audaces effecti sunt.

CAP.

CAP. XVIII. XII.

Defuncto post hæc Lamissione, qui secundus regnauerat, tertius ad regni gubernacula Lethu ascendit. Qui cum quadraginta ferme annos regnasset, Hildeboc filium, qui quartus fuit in numero regni, successorem reliquit. Hoc quoque defuncto, quintus Gudeboc regnum suscepit.

CAP. XIX.

His temporibus inter Odoacar, qui in Italia per aliquot iam annos regnabat, & Feletheum, qui & Feua dictus est, Rugorum regem, magnarum inimicitiarum fomes exarsit. Qui Feletheus illis diebus ulteriorem Danubij ripam incolebat, quam à Norici finibus idem Danubius separat. In his Noricorum finibus, Beati tunc erat Severini cœnobium, qui omni abstinentiæ sanctitate præditus mutis iam erat virtutibus clarus. Qui cum hisdem in locis, ad vitæ usque metas habitasset, nunc tamen eius corpus Neapolis retinet. Hic sæpius hunc de quo diximus Feletheum, eiusque coniugem, cuius vocabulum Gisa fuit, vt ab iniquitate quiescerent, verbis cælestibus monuit. Quibus pia verba spernentibus, hoc quod eis postmodum contigit, longe

antea futurum prædixit. Adunatis ergo Odoachar gentibus quæ eius ditioni parebant, id est, Turcilingis & Herulis, Rugorumque parte, quos iam dudum possederat, nec non etiam Italiæ populis, venit in Rugiland, pugnauitque cum Rugis, ultimaque eos clade conficiens, Feletheum insuper eorum regem extinxit. Vastataque omni prouincia, Italiam repetens, copiosam secum captiuorum multitudinem abduxit. Tunc Langobardi de suis regionibus egressi, venerunt in Rugiland, quæ Latino eloquio Rugorum patria dicitur, atque in ea, quia erat solo fertilis, aliquantis commorati sunt annis.

XIII. CAP. XX.

Inter hæc moritur Gudehoc, cui successit Claffo filius suus. Defuncto quoque Claffone, Tato eiusdem filius, septimus adscendit ad regnum. Egressi quoque Langobardi de Rugiland, habitauerunt in campis patentibus, qui sermone barbarico feld *appellantur. Quo in loco dum per trium annorum spacia morarentur, bellum exortum est inter Tatonem atque Rodulfum, Herulorum Regem. Qui cum primitus fœdera nectererit, causa inter eos discordiæ ista fuit. Germanus Rodulphi Regis, ad Tatonem ferendæ pacis gratia venerat, qui cum expleta legatione*

patriam repeteret, contigit vt ante Regis filiæ domum, quæ Rumetruda dicebatur, transitum haberet. Illa multitudinem virorum, & nobilem comitatum aſpiciens, interrogabat quis iſte eſſe poſſit, qui tam ſublime obſequium haberet. Dictumque eſt illi: Rodulphi regis germanum legatione perfuncta patriam regredi. Mittit puella qui eum inuitaret, vt vini poculum dignaretur accipere. Ille corde ſimplici, vt inuitatus fuerat, venit. Et quia erat ſtatura puſillus, eum faſtu ſuperbiæ puella deſpexit, verbaque aduerſus eum irriſoria protulit. At ille verecundia pariter & indignatione perfuſus, talia rurſus verba reſpondit, quæ ampliorem puellæ confuſionem adferrent. Tunc illa furore fœmineo ſuccenſa, dolorem cordis cohibere non valens, ſcelus quod mente conceperat, explere contendit. Simulat patientiam, vultum exhilarat, eumque verbis iocundioribus demulcens, ad ſedendum inuitat. Talique eum in loco ſedere conſtituit, quo parietis feneſtram ad ſcapulas haberet. Quam feneſtram quaſi ob hoſpitis honorem, re autem vera, ne eum aliqua pulſaret ſuſpicio, velamine texerat precioſo, præcipiens atrociſſima belua probris pueris, vt cùm ipſa quaſi ad pincernam loquens, miſce dixiſſet, illi eum à tergo lanceis perforarent, factumque

est. Mox crudelis femina signum dedit, iniqua mandata perficiuntur. Ipseque vulneribus transfixus in terram corruens expirauit. Ea cum Rodulfo regi nunciata fuissent, tam crudele germani funus ingemuit, doloriſque impatiens, ad vlciſcendum fratris mortem exarſit, fœduſque, quod cum Tatone pepigerat irrumpens, eidem bellum indixit. Quid plura? Conuenerunt vtrorumque in campis patentibus acies. Rodulfus ſuos in pugnam dirigit, ipſe in caſtris reſidens, de ſpe victoriæ nihil ambigens, ad tabulam ludit. Erant ſiquidem tunc Heruli bellorum vſibus exercitati, multorumque iam ſtrage noteſcunt. Qui ſiue vt expeditius bella gererent, ſiue vt inlatum ab hoſte vulnus contemnerent, nudi pugnabant, operientes ſolummodo corporis verecunda. Horum itaque viribus Rex indubitanter fidens, dum ipſe ſecurus ad tabulam luderet, vnum è ſuis in arborem quæ forte aderat aſcendere iubet, quatenus ei ſuorum victoriam celerius referret, comminatus eius ſe caput abſciſurum, ſi Herulorum aciem fugere nunciaret. Is cum Herulorum flecti acies, & à Langobardis eos opprimi conſpiceret, interrogatus à rege ſæpius quid Heruli gererent, eos optime pugnare reſpondit. Nec prius malum quod cernebat loqui audens aperuit, quam vniuerſæ acies hoſti-

Digitized by Google

hostibus terga præberent. Qui licet sero tandem in vocem erumpens, ve tibi, inquit, misera Herolia, quæ cælestis domini flecteris ira. Ad hæc verba commotus Rex ait, Numquid fugiunt Heruli mei? At ille, Non, inquit, hoc ego, sed tu Rex ipse dixisti. Tunc vt in talibus fieri assolet, rex ipse & omnes perturbati, dum quid agerent hæsitarent, superuenientibus Langobardis, grauiter cæduntur. Rex quoque ipse nequicquam fortiter faciens, extinctus est. Herulorum vero exercitus dum hac illacque diffugeret, tanta super eos cælitus ira resspexit, vt viridantia camporum lina cernentes, natatiles aquas esse putarent. Dumque quasi nataturi brachia extenderent, crudeliter hostium feriebantur à gladiis. Tunc Langobardi patrata victoria, ingentem quam in castris reppererant inter se prædam diuidunt. Tato vero Rodulfi vexillum, quod Bandum appellant, eiusque galeam, quam in bello gestare consueuerat, abstulit. atque iam ex illo tempore, ita omnis Herulorum virtus concidit, vt vltra super se regem omnino non haberent. Iam hinc Langobardi ditiores effecti, aucto de diuersis gentibus, quas superauerant, exercitu, vltro cæperunt bella expetere, & virtutis gloriam circumquaque protelare.

CAP. XXI.

XIIII.

At vero Tato post hac de belli triumpho non diu lætatus est. Irruit namque super eum Wacho filius germani sui Zuchilonis, & eum ab hac luce priuauit. Conflixit quoq; aduersus Wachonem, Hildechis filius Tatonis, sed superante Wachone deiectus, ad Gepidas confugit, ibique profugus ad vitæ finem vsq; permansit. Quam ob causam Gepidi cum Langobardis ex tunc inimicitias contraxere. Eodemque tempore Wacho super Suenos irruit, eosque dominio suo subiugauit. Hoc si quis mendacium & non rei existimat veritatem, relegat prologum edicti, quem Rex Rotharij de Langobardorum legibus composuit, & penè in omnibus hoc codicibus, sicut nos in hac historiola inseruimus, scriptum reperiet. Habuit autem Wacho vxores tres, hoc est, primam Ranicundam filiam regis Turingorum. Deinde duxit Austrigosam filiam regis Gepidorum, de qua habuit filias duas. Nomen vni Wisegarda, quam tradidit in matrimonium Teodeberto regi Francorum. Secunda autem dicta est Walderada, quæ sociata est Cuswald alio regi Francorum, quam ipse odio habens, vni ex suis, qui dicebatur Garipald, in coniugium tradidit. Tertiam vero Wacho vxorem

habuit,

habuit, Herulorũ regis filiam nomine Salingam. Ex ipſa natus eſt filius quem Waltari appellauit, quique Wachone mortuo ſuper Langobardos iam octauus regnauit. Hi omnes Lithingi fuerunt, ſic enim apud eos quædam nobilis proſapia vocabatur.

CAP. XXII. XV.

Waltari ergo cum per ſeptem annos regnum tenuiſſet, ab hac luce ſubtractus eſt. Poſt quem nonus Audoin regnum adeptus eſt, qui non multo poſt tempore Langobardos in Panneniam adduxit.

CAP. XXIII.

Gepidi ergo ac Langobardi, conceptam iam dudum rixam, tandem parturiunt, bellumque ab vtriſque partibus præparatur. Commiſſo itaque prælio, dum ambæ acies fortiter dimicarent, & neutra alteri cederet, contigit vt in ipſo certamine, Alboin filius Audoin, & Turiſmodus Turiſindi filius, ſibi obuij fierent, quem Alboin ſpata percutiens, de equo præcipitatum extinxit. Cernentes Gepidi regis filium, per quem magna ex parte bellum conſtiterat, interiiſſe, mox diſſolutis animis fugam ineunt. Quos Langobardi inſequentes acriter ſternunt, cæſiſque

cæsisque quam plurimis ad detrahenda occisorum spolia reuertuntur. Cumque peracta Langobardi victoria, ad sedes proprias remeassent, regi suo Audoin suggerunt, vt eius Alboin conuiua fieret, cuius virtute in prælio victoriam cepissent, vtque patri in periculo, ita & in conuiuio comes esset. Quibus Audoin respondit se hoc facere minime posse, nè ritum gentis infringeret. Scitis enim, inquit, non esse apud nos consuetudinem, vt regis cum patre filius prandeat, nisi prius à rege gentis extera arma susceperit.

XVI. CAP. XXIII.

His Alboin à patre auditis, quadraginta solummodo iuuenes secum tollens, ad Turisendum, cum quo dudum bellum gesserat, regem Gepidorum profectus est, causamque qua venerat intimauit. Qui eum benigne suscipiens, ad suum conuiuium inuitauit, atque ad suam dexteram, vbi Turismodus eius quondam filius sedere consueuerat, collocauit. Inter hæc dum apparatus varij epulas caperent, Turisendus iam dudum sessionem filij mente reuoluens, natique funus ad animum reducens, præsentemque peremptorem eius loco residere conspiciens, alta trahens suspiria, sese continere non potuit: sed tandem dolor in vocem prorupit. Amabilis, inquit,

quit, mihi locus iſte eſt, ſed perſona quæ in eo reſidet, ſatis ad videndum grauis. Tunc regis alter qui aderat filius, patris ſermone ſtimulatus, Langobardos iniuriis laceſſere cœpit, aſſerens eos, quia ſuris inferius candidis vtebantur faſciolis, equabus, quibus crurum tenus pedes albi ſunt, ſimiles eſſe dicens. Fœtulæ ſunt equæ quas ſimilatis. Tunc vnus è Langobardis ad hæc ita reſpondit. Perge, ait, in campum Asfeld, ibique proculdubio poteris experiri, quam validè iſtæ, quas equas nominas, præualeant calcitrare, vbi ſic tui diſperſa ſunt oſſa germani, quemadmodum vilis iumenti in mediis pratis. His auditis Gepidi, confuſionem ferre non valentes, vehementer in ira commoti ſunt, manifeſtaſque iniurias vindicare nituntur. Langobardi è contra parati ad bellum, omnes ad gladiorum capulos manus iniiciunt. Tunc Rex à menſa proſiliens, ſeſe in medium obiecit, ſuoſque ab ira belloque compeſcuit, interminans primitus eum puniri, qui primus pugnam commiſiſſet, non eſſe victoriam Deo placitam dicens, cum quis in domo propria hoſtem perimit. Sic denique iurgio compreſſo, iam deinceps lætis animis conuiuium peragunt. Sumenſque Turiſendus arma Turiſmodi filij ſui, ea Alboin tradidit, eumque cum pace incolumem ad patrus regnum remiſit.

Reuer-

Reuersus ad patrem Alboin, ciusdem conuiuio hinc effectus est. Qui dum cum patre lætus regias delicias caperet, ordine cuncta retulit, quæ sibi apud Gepidos in Turisendi regia contigissent. Mirantur qui aderant, & laudant audaciam Alboin, nec minus adtollunt laudibus Turisendi maximam fidem.

XVII. CAP. XXV.

Hac tempestate Iustinianus Augustus Romanum Imperium felici sorte regebat, qui & bella prospere gessit, & in causis ciuilibus mirificus extitit. Nam per Belisarium patricium Persas fortiter deuicit, perque ipsum Belisarium Wandalorum gentem, capto eorum rege Gelismero, vsque ad internecionem deleuit, Africamque totam, post annos nonaginta & sex, Romano imperio restituit. Rursumque Belisarij viribus, Gothorum in Italia gentem, capto Withicis eorum rege superauit. Mauros quoque post hæc Africam infestantes, eorumq; regem Attilam, per Iohannem Excõsulẽ mirabili virtute protriuit, pari etiam modo & alias gentes belli iure compressit. Quam ob causam propter horum omnium victorias, vt Alamannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Wandalicus, Africanusque diceretur, habere

agnomina

agnomina meruit. Leges quoque Romanorum, quarum prolixitas nimia erat, & inutilis dissonantia, mirabili breuitate correxit. Nam omnes constitutiones principum, quæ vtique multis in voluminibus habebantur, intra duodecim libros coarctauit, idemque volumen Codicem Iustinianeum appellari præcepit. Rursumque singulorum magistratuum, siue iudicum leges, quæ vsque ad duo millia penè libros erant extensæ, intra quinquaginta librorum numerum redegit, eumque codicem Digestorum siue Pandectarum vocabulo nuncupauit. Quatuor etiam Institutionum libros, in quibus breuiter vniuersarum legum textus comprehenditur, nouiter composuit. Nouas quoque leges, quas ipse statuerat, in vnum volumen redactas, eundem codicem Nouellarum nuncupari sanciuit. Extruxit quoque idem princeps intra vrbem Constantinopolim, Christo domino, qui est sapientia Dei patris, templum, quod Græco vocabulo, ΑΓΙΑΝ ΣΟΦΙΑΝ, *id est, sanctam sapientiam nominauit. Cuius opus adeo cuncta ædificia excellit, vt in totis terrarum spatiis, huic simile non possit inueniri. Erat enim hic princeps fide catholicus, in operibus rectus, in iudiciis iustus, ideoque ei omnia concurrebant in bonum. Huius temporibus Cassiodorus, apud vrbem Romam*

tam

tam sæculari, quam divina scientia claruit, qui inter cetera, quæ nobiliter scripsit, psalmorum præcipuè occulta potentissime resecrauit. Hic primitus consul, deinde senator, ad postremum vero Monachus extitit. Hoc etiam tempore Dionysius Abbas in vrbe Roma constitutus, paschalem Calculum miranda argumentatione composuit. Tunc quoque apud Constantinopolim Priscianus Cæsariensis Grammaticæ artis, vt ita dixerim, profunda rimatus est. Tunc quoque nihilominus Arator Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, poëta mirabilis, actus Apostolorum versibus Hexametris exarauit.

Cap. xxvi.

His quoque diebus beatissimus Benedictus pater & pius, in loco qui Sublacus dicitur, qui ab vrbe Roma quadraginta milibus abest, & postea in castro Cassini, quod Harum appellatur, & magnæ vitæ meritis, & Apostolicis virtutibus effulsit. Cuius vitam, sicut notum est, Beatus Papa Gregorius in suis Dialogis suauí sermone composuit. Ego quoque pro paruitate ingenij mei ad honorem tanti patris, singula eius miracula, per singula disticha Elegiaco metro hoc modo contexui.

Ordiar vnde tuos sacer ô Benedicte triumphos,
Virtutum cumulos ordiar vnde tuos?

Euge

Euge beate Pater, meritum qui nomine prodis,
Fulgida lux ſæcli, Euge beate pater.
Nurſia plaude ſatis tanto ſublimis alumno,
Aſtra ferens mundo, Nurſia plaude ſatis.
O puerile decus tranſcendens moribus annos,
Exuperanſque ſenes, ô puerile decus,
Flos paradyſe tuus deſpexit florida mundi,
Spreuit opes Romæ, Flos paradyſe tuus.
Vas pædagoga tulit diremptum pectore triſti:
Læta reformatum vas pædagoga tulit.
Vrbe vocamen habens tyronem cautibus abdit,
Fert pietatis opem vrbe vocamen habens.
Laudibus antra ſonãt mortalibus abdita cunctis:
Cognita Chriſte tibi laudibus antra ſonant.
Frigora, flabra, niues, fers tu tribus impiger annis,
Temnis amore Dei frigora, flabra, niues.
Fraus veneranda placet, pietatis furta probantur,
Qua ſacer altus erat, fraus veneranda placet.
Signat adeſſe dapes Agapes, ſed liuidus obſtat,
Nil minus alma fides, ſignat adeſſe dapes.
Orgia rite colit, quia Chriſto commodat aurem,
Abſtemium paſcens Orgia rite colit.
Pabula grata ferunt auidi ad ſpelæa ſubulci,
Pectoribus lætis pabula grata ferunt.
Ignis ab igne perit, lacerant dum viſcera ſentes
Carneus æthereo ignis ab igne perit.
Peſtis iniqua latens procul eſt deprenſa ſagaci,
Non tulit arma crucis peſtis iniqua latens.
Lenia flagra vagam ſiſtũt moderamine mentem,
Excludunt peſtem lenia flagra vagam.
Vnda perennis aquæ natiuo è marmore manat,
Arida corda rigat vnda perennis aquæ.

Gurgitis ima calybs capulo diuulſe petiſti,
Deſeris alta petens gurgitis ima calybs.
Iuſſa paterna gerens dilapſus currit in æquor,
Currit vectus aquis iuſſa paterna gerens.
Præbuit vnda viã promto ad præcepta magiſtri,
Curſori ignaro præbuit vnda viam.
Tu quoque parue puer raperis nec occidis vndis,
Teſtis ades verax, tu quoque parue puer.
Perfida corda gemunt ſtimulis agitata malignis,
Tartareis flammis perfida corda gemunt.
Fert alimenta corax digitis oblata benignis,
Dira procul iuſſus fert alimenta corax.
Pectora ſacra dolent inimicum labe peremptum,
Diſcipuli exceſſum pectora ſacra dolent.
Lyris amæna petens ducibus comitatis opimis,
Cœlitus adtraheris lyris amœna petens.
Anguis inique furis luco ſpoliatus & aris,
Amiſſis populis anguis inique furis.
Improbe ſeſſor abi, ſine dentur marmora muris,
Cogeris imperio, improbe ſeſſor abi.
Cernitur ignis edax falſis inſurgere flammis,
Nec tibi gemma micans cernitur ignis edax.
Dum ſtruitur paries lacerantur viſcera fratris,
Soſpes adeſt frater dum ſtruitur paries.
Abdita facta patent, patulo produntur edaces.
Muneris accepti abdita facta patent.
Saue tyranne tuæ fruſtrantur retia fraudis,
Frena capis vitæ ſæue tyranne tuæ.
Mœnia celſa Numæ nullo vertentur ab hoſte,
Turba grauis vertet mœnia celſa Numæ.
Plecteris hoſte graui, ne lites munus ad aram,
Munera fers aris plecteris hoſte graui.

Omnia

Digitized by Google

Omnia ſepta gregis, præſcitum eſt tradita genti,
Gens eadem reparat omnia ſepta gregis.
Fraudis amice puer, ſuado capraris ab Hydro
Hydro non caperis fraudis amice puer.
Mens tumefacta ſile, tace & ne carpe videntem,
Cuncta patent vati, mens tumefacta ſile.
Pellitur atra fames delatis cœlitus eſcis,
Nilominus mentis pellitur atra fames.
Pectora cuncta ſtupent, quod eras ſine corpore præſens.
Quod per viſa mones pectora cuncta ſtupent.
Vocis ad imperium ſacris non eſſe ſinuntur,
Interſunt ſacris vocis ad imperium.
Tellus hiulca ſinu corpus propellit humatum
Iuſſa tenet corpus tellus hiulca ſinu.
Perfidus ille Draco mulcet properare fugacem,
Siſtit iter vetitum perfidus ille Draco.
Exitiale malum capitis decuſſit honorem,
It procul imperiis exitiale malum.
Fulua metalla pius, nec habet, promittit egenti;
Cœlitus excepit fulua metalla pius.
Tu miſerande cutem variant cui pelle colubræ,
Incolumem recipis tu miſerande cutem.
Aſpera ſaxa vitrum rapiunt, nec frangere poſſunt;
Illæſum ſeruant aſpera ſaxa vitrum.
Cur prome conde times ſtillam præbere lecyti?
Dolia certe fluunt, cur prome conde times?
Vnde medela tibi ſpes eſt cur nulla ſalutis,
Qui ſemper metuis vnde medela tibi?
Ah miſerande ſenex hoſtili concidis ictu,
Ictu ſed reſipis ah miſerande ſenex.
Barbara lora manus ignaras criminis arcent,

Sponte ſua fugiunt, barbara lora manus.
Ille ſuperbus equo reboans clamore minaci,
Stratus humi recubat ille ſuperbus equo.
Colla paterna ferunt extincti viſcera nati,
Viuentem natum colla paterna ferunt.
Omnia vincit amor, vinxit ſoror imbre beatum,
Somnus abeſt oculis, omnia vincit amor.
Simplicitate placens inſtar petit alta columbæ,
Regna poli penetrat ſimplicitate placens.
O nimis apte Deo mundus cui panditur omnis,
Abdita qui luſtrás, ô nimis apte Deo.
Flammeus orbis habet iuſtũ ſuper ęthera nantem,
Quem pius vſſit amor flammeus orbis habet.
Ter vocitatus adeſt teſtis nouitatis habendus,
Carus amore patris ter vocitatus adeſt.
Dux bone bella monens exemplis pectora firmas,
Primus in arma ruis, dux bone bella monens.
Congrua ſigna dedit vitæ conſortia linquens,
Ad vitam properans congrua ſigna dedit.
Pſalmicen aſſiduus nunquam dabat otia plectro,
Sacra canens obiit pſalmicen aſſiduus.
Mens quibus vna fuit tumulo retinentur eodem,
Gloria par retinet niens quibus vna fuit.
Splendida viſa via eſt facibus ſtipata coruſcis,
Qua ſacer aſcendit ſplendida viſa via eſt.
Rupea ſepta petens nacta eſt errore ſalutem,
Errorem euaſit rupea ſepta petens:
Pœmata parua dedit famulus pro munere ſupplex,
Exul, inops, tenuis, pœmata parua dedit.
Sint precor apta tibi cæleſtis tramitis index,
O Benedicte pater ſint precor apta tibi.

Hymnum

Digitized by Google

Hymnum quoque singula eiusdem patris miracula continentem metro Iambico Archilochico ita texuimus.

Fratres alacri pectore,
Venite concentu pari,
Fruamur huius inclytæ,
Festiuitatis gaudiis:
Hac Benedictus aurea
Ostensor arcti tramitis,
Ad regna conscendit pater
Captans laborum præmia
Effulsit vt sidus nouum,
Mundana pellens nubila.
Ætatis ipso limine,
Despexit æui florida.
Miraculorum præpotens,
Afflatus alti flamine,
Resplenduit prodigiis
Venturo sæclo præcinens
Laturus esum pluribus,
Panis reformat vasculum,
Arctum petens ergastulum,
Extinxit ignes ignibus.
Fregit veneni baiulam,
Crucis per arma cymbiam,
Coërcuit mentem vagam,
Leni flagello corporis
Funduntur amnes rupibus.
Redit calybs è gurgite,
Currit per vndas obsequens,
Peplo puer vitat necem

Virus pateſcit abditum,
Mandata præpes efficit,
Hoſtem ruina conterit.
Cedit fremens leo graue,
In imo fit moles leuis:
Rogus migrat fantaſticus,
Fractum reuiſit ſoſpitas,
Exceſſus abſentum patet.
Rector vafer deprenderis,
Inique poſſeſſor fugis;
Futura prænoſcemini,
Arcana cor non contigit.
Fundantur ædes ſomniis,
Tellus vomit cadauera,
Dracone frenatur fugax.
Æther pluit numiſmata.
Vitrum reſiſtit cautibus,
Manant oliuo dolia,
Vinctum reſoluit viſio,
Vitam receptant funera.
Tanti poteſtas luminis,
Voto ſororis vincitur,
Quo plus amat quis plus valet.
Enate quem cernit polum
Non ante ſeclis cognitum
Noctu iubar effulgorat,
Quo totus orbis cernitur,
Flammiſque ſubuehi pius
Hæc inter inſtar nectaris
Miranda plectro claruit.
Nam pinxit apte lineas
Vitæ ſacræ ſequacibus,

Iam

Digitized by Google

Iam dux alumni fat potens,
Adſis gregis ſuſpiriis,
Gliſcat bonis hydrum cauens,
Sit callis vt ſequax tui.

Libet me breuiter referre quod Beatus Gregorius Papa minime in huius ſanctiſſimi patris vita deſcripſit. Denique cum diuina admonitione à Sublacu in hunc vbi requieſcit locum, per quinquaginta ferme milia aduentaret, tres cum corui, quos alere ſolitus erat, ſunt circumuolantes ſecuti, cui ad omne conuiuium, vſque dum hic veniret, duo angeli in figura iuuenum apparentes, oſtenderunt ei quam viam arripere deberet. In loco autem iſto, quidam Dei ſeruus tunc habitaculum habebat, ad quem diuinitus ita dictum eſt

Hiis tu parce locis, alter amicus adeſt;

Huc autem, hoc eſt in Caſſini arcem perueniens, in magna ſe ſemper abſtinentia coarctauit; ſed præcipue quadrageſimæ tempore incluſus & remotus à mundi ſtrepitu manſit. Hæc omnia ex Marci pœtæ carmine ſumſi, qui ad eundem patrem huc veniens aliquot verſus in eius laudem compoſuit, quos in his libellis, cauens niniam longitudinem, minime deſcripſi. Certum tamen eſt hunc egregium patrem vocatum cœlitus ob hoc ad hunc fertilem locũ, & cui opima vallis ſubiacet, aduenisſe, vt hic multorum mo-

nachorum, ſicut & nunc Deo præſule facta eſt, congregatio fieret. His curſim quæ omittenda non erant narratis, ad noſtræ ſeriem reuertamur hiſtoriæ.

XVIII. CAP. XXVII.

Igitur Audoin, de quo præmiſeramus, Langobardorum Rex, Rodelindam in matrimonio habuit, quæ ei Alboin virum bellis aptum & per omnia ſtrenuum peperit. Mortuus itaque eſt Audoin, ac deinde Regum iam decimus Alboin, ad regendam patriam cunctorum votis acceſſit. Qui cum famoſiſſimum & viribus clarum vbique nomen haberet, Chlotarius Rex Francorum, Chlotſiundam ei ſuam filiam in matrimonium ſociauit, de qua vnam tantum filiam Alpſiundam nomine genuit. Obiit interea Turiſendus Rex Gepidorum, cui ſucceſſit Cunimundus in regno. Qui vindicare veteres Gepidorum iniurias cupiens, rupto cum Langobardis fœdere, bellum potius quam pacem elegit. Alboin vero cum Auaribus, qui primum Huni, poſtea de Regis proprij nomine Auares appellati ſunt, fœdus perpetuum iniit, debinc ad præparatum à Gepydis bellum profectus eſt. Qui cum aduerſus eum è diuerſo properarent, Auares, vt cum Alboin ſtatuerant, eorum patriam inuaſerunt.

runt. Tristis ad Cunimundum nuntius veniens, inuasisse Auares eius terminos edicit. Qui prostratus animo, & vtrisque in angustiis positus, hortatur tamen suos primum cum Langobardis confligere. Quos si superare valerent, demum Hunnorum exercitum è patria pellerent. Committitur ergo prælium, pugnatumque est totis viribus. Langobardi victores effecti sunt, tanta in Gepidos ira sæuientes, vt eos ad internecionem vsque delerent, atque ex copiosa multitudine, vix nuntius superesset. In eo prælio Alboin Cunimundum occidit, caputque illius sublatum, ad bibendum ex eo poculum fecit, quod genus poculi apud eos scala dicitur, lingua vero Latina patera vocitatur. Cuius filiam nomine Rosimundam, cum magna simul multitudine diuersi sexus & ætatis, duxit captiuam. Quam quia Clotsuinda obierat, in suam vt post patuit perniciem duxit vxorem. Tunc Langobardi tantam adepti sunt prædam, vt iam ad ampliſsimas peruenirent diuitias. Gepidorum vero genus ita est diminutum, vt ex illo tempore vltra non habuerunt regem, sed vniuersi qui superesse bello poterant, aut Langobardis subiecti sunt, aut vsque hodie Hunis eorum patriam possidentibus, duro imperio subiecti gemunt. Alboin vero ita præclarum longe lateque nomen

percrebuit, vt hactenus etiam tam apud Baioariorum gentem, quam & Saxonum, sed & alios eiusdem linguæ homines, eius liberalitas & gloria, bellorumque felicitas & virtus, in eorum carminibus celebretur. Arma quoque præcipua sub eo fabricata fuisse à multis huc vsque narratur.

Explicit liber primus, de gestis Langobardorum.

Incipiunt

Digitized by Google

Incipiunt

CAPITA LIBRI SECVNDI.

CAP. I.

QVOMODO Langobardi conducti à Narsete Chartulario, eidem contra Gothos auxilium præstiterunt.

CAP. II.

Quomodo Narsis Buccillinum & Amingum Francorum superauit, & de morte Leutharij tertij ducis.

CAP. III.

Quomodo Narsis Sinduald Herulorum regulum sibi rebellantem extinxit.

CAP. IIII.

De signis pestilentiæ & mortalitate, quæ tempore Narsetis Italiam vastauit.

CAP. V.

De inuidia Romanorum aduersus Narsetem.

CAP. VI.

Qualiter Alboin ad suum auxilium Saxones adsciuit.

CAP. VII.

Quomodo Alboin cum Langobardis relicta Pannonia ad Italiam venit.

CAP.

CAP. VIII.

Quomodo Alboin ad Italiæ fines veniens montem regis adſcendit, & de bifontibus feris.

CAP. IX.

Quomodo Alboin Venetiarum fines ingreſſus in foro Iulij Giſulfum ſuum nepotem ducem conſtituit.

CAP. X.

Qui reges eo tempore Francis imperabant, & de Benedicto Papa.

CAP. XI.

De morte Narſetis.

CAP. XII.

De Felice Epiſcopo Taruiſiano.

CAP. XIII.

De hoc eodem Felice & Fortunato ſapientiſſimo viro.

CAP. XIIII.

Quomodo Alboin Venetiarum prouinciam cepit.

CAP. XV.

De Liguria ſecunda Italiæ prouincia.

CAP. XVI.

De quinta Italiæ prouincia, quæ Alpes Cottiæ appellantur, & de ſexta quæ Thuſcia dicitur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVII.

De Campania Italiæ septima prouincia, & de Lucania siue Britia, quæ est octaua.

CAP. XVIII.

De Appenninis Alpibus, quæ nona est Italiæ prouincia; & de Emilia, quæ est decima.

CAP. XIX.

De Flamminia vndecima Italiæ prouincia; & de Piceno quæ duodecima computatur.

CAP. XX.

De Valeria & Nursia, quæ pro tertia decima ponitur; & Samnio, quæ est decimaquarta.

CAP. XXI.

De Calabria & Apulia, & Sallento, quæ decimaquinta prouincia appellatur.

CAP. XXII.

Sexta decima prouincia Italiæ Sicilia est; Septima decima Corsica, octaua decima Sardinia.

CAP. XXIII.

Ob quam causam aliqua pars Italiæ, Cisalpina vocatur Gallia.

CAP. XXIIII.

Quare Italia sic vocitatur, vt quid etiam Ausonia vel Latium dicitur.

CAP.

CAP. XXV.

Quomodo Alboin Mediolanum ingreſſus eſt.

CAP. XXVI.

Quomodo Ticinenſis ciuitas tribus annis obſeſſa eſt, & quia Langobardi Tuſciam inuaſerunt.

CAP. XXVII.

Quomodo Alboin Ticinũ ingreſſus eſt.

CAP. XXVIII.

Quomodo Alboin, poſtquam tribus regnauit annis, conſilio ſuæ coniugis, ab Helmechis interfectus eſt.

CAP. XXIX.

Quia Helmechis regnare voluit, ſed non potuit. CAP. XXX.

Quomodo Longinus poſt eorũ mortem Albſuindam cum Langobardorum thefauro imperatori direxit: & de Oredeo, quomodo in Conſtantinopolim Iconem occidit. CAP. XXXI.

De regno Cleph, qui ſecundus regnauit.

CAP. XXXII.

Quomodo duces Langobardorum per decem annos ſine rege fuerunt, per quos Itali aſubiugata eſt.

EXPLICIVNT CAPITVLA.

Incipit

Digitized by Google

Incipit

LIBER SECVNDVS

De gestis Langobardorum.

CAP. I.

I. IGITVR *cum circumquaque frequentes Langobardorũ victoriæ personarent, Narsis Chartularius Imperialis, qui tunc præerat Italiæ, bellum aduersus Totilam Gothorum regem præparans, cum iam pridem Langobardos fœderatos haberet, legatos ad Alboin dirigit, quatinus ei pugnaturo cum Gothis, auxilium ministraret. Tunc Alboin electam è suis manum direxit, qui Romanis aduersum Gothos suffragium ferrent, qui per maris Adriatici sinum in Italiã transuecti, sociatique Romanis, pugnam inierunt cum Gothis. Quibus vsque ad internecionem deletis, pariter cum Totila suo rege, honorati multis muneribus, victores ad propria remearunt. Omnique tempore, quo Langobardi Pannoniam possederunt, Romanæ Reipublicæ aduersum æmulos adiutores fuerunt.*

CAP. II.

II. *His temporibus Narsis etiam Buccellino duci bellum intulit, quem Theudebertus Rex Franco-*

rum

rum cum in Italiam introiſſet, reuerſus ad Gallias cum Hamingo alio duce, ad ſubiiciendam Italiam dereliquerat. Qui Buccellinus cum penè totam Italiam direptionibus vaſtaret, & Theudeberto ſuo regi de præda Italiæ munera copioſa conferret, cum in Campania hyemare diſponeret, tandem in loco, cui Tamnetum nomen eſt, graui bello à Narſete ſuperatus, extinctus eſt. Hamingus vero dum Widin Gothorum comiti, contra Narſetem rebellanti auxilium ferre conatus fuiſſet, vtrique à Narſete ſuperati ſunt. Widin captus Conſtantinopolim exiliatur. Hamingus vero, qui ei auxilium præbuerat, Narſetis gladio perimitur. Tertius quoque Francorum dux nomine Leutharius, Buccellini germanus, dum multa præda onuſtus ad patriam cuperet reuerti, inter Veronam & Tridentũ, iuxta lacum Benacum propria morte defunctus eſt.

III. CAP. III.

Habuit nihilominus Narſes certamen aduerſus Sinduald Brebtorum regem, qui adhuc de Herulorum ſtirpe remanſerat, quem ſecum in Italiam veniens, ſimul Odoacar adduxerat. Huic Narſes fideliter ſibi primum adhærenti, multa beneficia contulit, ſed nouiſſime ſuperbe rebellantem, & regnare cupientem, bello ſupe-

ratum & captum, celſa de trabe ſuſpendit. Eo tempore quoque Narſes patricius, per Dagiſteum magiſtrum militum, virum bellicoſum & fortem, vniuerſos Italiæ fines obtinuit. Hic Narſes prius quidem Chartularius fuit, deinde propter virtutum merita patriciatus honorem promeruit. Erat autem vir piiſſimus, in religione Catholicus, in pauperes munificus, in reparandis Baſilicis ſatis ſtudioſus, vigiliis & orationibus in tantum ſtudens, vt plus ſupplicationibus ad Deum profuſis, quam armis bellicis victoriam obtineret.

CAP. IIII. IIII.

Huius temporibus in prouincia præcipue Liguriæ, maxima peſtilentia exorta eſt. Subito enim apparebant quædam ſignacula per domos, oſtia, vaſa, vel veſtimenta, quæ ſi quis voluiſſet abluere, magis magiſque apparebant. Poſt annum vero expletum, cæperunt naſci in inguinibus hominum, vel in aliis delicatioribus locis, glandulæ in modum nucis ſeu dactyli, quas mox ſequebatur febrium intolerabilis æſtus, ita vt in triduo homo extingueretur. Sin vero aliquis triduum tranſegiſſet, habebat ſpem viuendi. Erant autem vbique luctus, vbique lacrimæ. Nam, vt vulgi rumor habebat, fugientes cladem

vitare, relinquebantur domus deserta habitatoribus, solis catulis eas servantibus, peculia sola remanebant in pascuis, nullo adstante pastore. Cerneres pridem villas seu castra repleta agminibus hominum, postera vero die vniuersis fugientibus cuncta esse in summo silentio. Fugiebant filij, cadauera insepulta parentum relinquentes. Parentes obliti pietatis viscera, natos relinquebant æstuantes. Si quem forte antiqua pietas perstringebat, vt vellet sepelire proximum, restabat ipse insepultus; & dum obsequebatur, perimebatur; dum funeri obsequium prebebat, ipsius funus sine obsequio manebat. Videres sæculum in antiquum redactum silentium. Nulla vox in rure, nullus pastorum sibilus, nulla insidiæ bestiarum in pecudibus, nulla damna in domesticis volucribus. Sata transgressa metendi tempus, intacta exspectabant messorem, vinea amissis foliis radiantibus vuis illæsa manebat. Hyeme propinquante, nocturnis vel diurnis horis personabat tuba bellantium, audiebatur à pluribus quasi murmur exercitus. Nulla erant vestigia commeantium, nullus cernebatur percussor, & tamen visum oculorum superabant cadauera mortuorum. Pastoralia loca versa fuerant in sepulturam hominum, & habitacula humana facta fuerant confugia bestiarum. Et

hæc

hæc quidem mala intra Italiam tantum, vsque ad fines gentium Alamannorum & Boioariorum, solis Romanis acciderunt. Inter hæc Iustiniano principe vita decedente, Iustinus minor Rempublicam apud Constantinopolim regendam suscepit. His quoque temporibus Narses patricius, cuius ad omnia studium vigilabat, Vitalem Episcopum Altinæ ciuitatis, qui ante annos plurimos, ad Francorum regnum confugerat, hoc est, ad Agonthiensem ciuitatem, tandem comprehensum, apud Siciliam exilio damnauit.

CAP. V. V.

Igitur deleta, vt dictum est, vel superata, Narses omni Gothorum gente, Hunnis quoque, de quibus diximus, pari modo deuictis, dum multum auri, siue argenti seu ceterarum specierum diuitias adquisisset, magnam à Romanis, pro quibus multa contra eorum hostes laborauerat, inuidiam pertulit, qui contra eum Iustino Augusto & eius coniugi Sophiæ, in hæc verba suggesserunt dicentes: Quia expedierat Romanis, Gothis potius seruire quam Græcis, vbi Narses imperat Eunuchus, & nos seruitio premit, & hæc noster pijssimus princeps ignorat. Aut libera nos de manu eius, aut certe & vrbem Romam, & nosmet ipsos gentibus trademus. Cumque

hoc Narſes audiſſet, hæc breuiter retulit verba: Si male feci cum Romanis, male imeniam. Tunc Auguſtus in tantum aduerſus Narſetem commotus eſt, vt ſtatim in Italiam Longinum mitteret præfectum, qui Narſetis locum obtineret. Narſes vero his cognitis valde pertimuit; & in tantum, maximè ab eadem Sophia Auguſta territus eſt, vt regredi vltra Conſtantinopolim non auderet. Cui illa inter cetera, quia eunuchus erat, hæc fertur mandaſſe, vt eum puellis in gynæceo lanarum faceret penſa diuidere. Ad quæ verba Narſes dicitur hæc reſponſa dediſſe; Talem ſe eidem telam orditurum, qualem ipſa dum viueret, deponere non poſſet. Itaque odio metuque exagitatus, in Neapolitanam ciuitatem ſecedens, legatos mox ad Langobardorum gentem dirigit, mandans vt paupertina Pannoniæ rura deſererent, & ad Italiam, cunctis refertam diuitiis, poſſidendam venirent. Simulq; multimoda pomorum genera, aliarumque rerum ſpecies, quarum Italia ferax eſt, mittit, quatinus eorum ad veniendum animos poſſet illicere. Langobardi læta nuntia, & quæ ipſi præoptabant, gratanter ſuſcipiunt, deque futuris commodis animos attollunt. Continuo apud Italiam terribilia noctu ſigna viſa ſunt, hoc eſt, igneæ acies in cælo apparuerunt, eum ſcilicet,

qui posteà effusus est, sanguinem coruscantes.

CAP. VI. VI.

Alboin vero ad Italiam cum Langobardis profecturus, ab amicis suis vetulis Saxonibus auxilium petit, quatinus spatiosam Italiam cum pluribus possessurus intraret. Ad quem Saxones plusquam viginti millia virorum cum vxoribus simul & parvulis, vt cũ eo ad Italiam pergerent, iuxta eius voluntatem venerunt. Hoc audientes Chlotarius & Sigisbertus Reges Francorum, Suauos aliasque gentes in locis, de quibus iidem Saxones exierant, posuerunt.

CAP. VII.

Tunc Alboin sedes proprias, hoc est Pannoniam, amicis suis Hunnis contribuit, eo scilicet ordine, vt si quo tempore Langobardis necesse esset reuerti, sua rursus arua repeterent. Igitur Langobardi relicta Pannonia, cum vxoribus & natis, omnique suppellectili Italiam properant possessurî. Habitauerunt autem in Pannonia annis quadraginta duobus; de qua egressi sunt mense Aprili, per indictionem primam, alio die post sanctum pascha, cuius festiuitas eo anno, iuxta calculi rationem, ipsis Kalendis Aprilibus fuit, cum iam à domini incarnatione, anni quingenti sexaginta octo essent euoluti.

VII.

CAP. VIII.

Igitur cum Rex Alboin cum omni exercitu ſuo, vulgique promiſcui multitudine, ad extremos Italiæ fines peruenisſet, montem qui in eiſdem locis prominet, aſcendit; indeque, prout conſpicere potuit, partem Italiæ contemplatus eſt. Qui mons propter hanc, vt fertur, cauſam ex eo tempore Mons regis appellatus eſt. Ferunt in hoc monte Biſontes feras enutriri; nec mirum cum vſque ad Pannoniam pertingat, quæ horum animantium ferax eſt. Denique retulit mihi quidam veraciſsimus ſenex, tale ſe corium in hoc monte occiſi biſontis vidiſſe, in quo quindecim, vt aiebat, homines, vnus iuxta alium, potuiſſent cubare.

CAP. IX.

Indeque Alboin cum Venetiæ fines, quæ prima eſt Italiæ prouincia, ſine aliquo obſtaculo, hoc eſt ciuitatis, vel potius caſtri Foro-Iuliani terminos introiſſet, perpendere cœpit, cui potiſsimum primam prouinciarum quam cœperat, committere deberet. Siquidem omnis Italia, quæ verſus meridiem, vel potius in Eurum extenditur, Tyrrheni ſiue Adriatici maris fluctibus ambitur, ab occiduo vero & Aquilone, ingis Alpium ita

circum-

Digitized by Google

circumcluditur, vt nisi per angustos meatus, & per summa iuga montium, non possit habere introitum. Ab orientali vero parte, qua Pannoniæ coniungitur, & largius patentem & planissimũ habet ingressum. Igitur, vt diximus, dum Alboin animum intenderet, quem in his locis ducem constituere deberet, Gisulfum, vt fertur, suum nepotem, virum per omnia idoneum, qui eidem strator erat, quem lingua propria Marpahis appellant, Foroiuliane ciuitati, & toti regioni illius præsicere statuit. Qui Gisulfus non prius se regimen eiusdem ciuitatis & populi susceperum edixit, nisi ei quas ipse eligere voluisset Langobardorum Faras, hoc est, generationes, vel lineas tribueret. Factumque est, & annuente sibi rege, quas optauerat Langobardorum præcipuas prosapias, vt cum eo habitarent, accepit: & ita demum ductoris honorem adeptus est. Poposcit quoque à rege generosarum equarum greges, & in hoc quoque liberalitate principis exauditus est.

CAP. X. VIII.

His diebus quibus Langobardi Italiam inuaserunt, Francorum regnum, mortuo iam rege Chlotario, eius filij quadrifarie regebant diuisum; primusque ex his Aripertus, sedem habebat

apud Parisios, secundus vero Guntrammus, ciuitati præsidebat Aurelianensi: tertius quoque Hilpericus, cathedram habebat apud Sueßionas, in loco Chlotarij patris sui: quartus nihilominus Sigisbertus, apud vrbem regnabat Mettensem. Hoc etiam tempore, Romanam Ecclesiam vir Sanctißimus Benedictus Papa regebat. Aquileiensi quoque ciuitati eiusque populis Beatus Paulus Patriarcha præerat. Qui Langobardorum barbariem metuens, ex Aquileia ad Grados insulam confugit, secumque omnem sue thesaurum Ecclesiæ deportauit. Hoc anno superiori hyeme, tanta nix in planitie cecidit, quanta in summis Alpibus cadere solet. Sequenti vero æstate, tanta fertilitas extitit quanta nulla ætas asseueratur meminisse. Eo quoque tempore, comperta Huni, qui & Auares, morte Chlotarij regis, super Sigisbertum eius filium irruunt. Quibus ille in Turingia occurrens, eos iuxta Albim fluuium potentißime superauit, eisdemque petentibus pacem dedit. Huic Sigisberto de Hißpaniis adueniens, Brunichildis matrimonio iuncta est, de qua ille filium Childebertum nomine suscepit. Rursumque Auares cum Sigisberto in locis, vbi & prius, pugnantes, Francorum proterentes exercitum, victoriam sunt adepti.

CAP.

CAP. XI.

Narſes vero de Campania Romam regreſſus, ibidem non poſt multum tempus, ex hac luce ſubtractus eſt. Cuius corpus poſitum in locello plumbeo, cum omnibus eius diuitiis Conſtantinopolim eſt perlatum.

CAP. XII. IX.

Igitur Alboin cum ad fluuium Alpem veniſſet, ibi ei Felix Epiſcopus Taruiſianæ Eccleſiæ occurrit. Cui Rex vt erat largiſſimus, omnes ſuæ Eccleſiæ facultates poſtulanti conceſſit, & per ſuum Pragmaticum poſtulata firmauit.

CAP. XIII.

Sane quia huius Felicis fecimus mentionem, libet quoque pauca, nos de venerabili & ſapientiſſimo viro Fortunato retexere, qui hunc Felicem, ſuum aſſeuerat ſocium fuiſſe. Denique, hic de quo loquimur Fortunatus, natus quidē in loco qui Duplauilis dicitur fuit, qui locus haud longe à Ceniteníe Caſtro, vel Taruiſiana diſtat ciuitate; ſed tamen Rauennæ nutritus & doctus, in arte Grammatica, ſiue Rhetorica, ſeu etiam metrica, clariſſimus extitit. Hic cum oculorum dolorem vehementiſſimum pateretur, & nihilominus

Digitized by Google

Felix iste ipsius socius pari modo oculos doleret, vterque ad Basilicam beatorum Pauli atque Iohannis, quæ intra eandem vrbem sita est, perrexerunt, in qua etiam altarium in honorem Beati Martini confessoris constructum propinquam habet fenestram, in qua lucerna ad exhibendum lumen est constituta, de cuius oleo, mox sibi isti, Fortunatus scilicet & Felix, dolentia lumina tetigerunt: Illico dolore fugato, sanitatem quam optabant, adepti sunt. Qua de causa Fortunatus in tantum Beatum Martinum veneratus est, vt relicta patria, paulo ante quam Langobardi Italiam inuaderent, Turonis ad eiusdem beati viri sepulchrum properaret. Qui sibi, vt in suis ipse carminibus refert, illuc properandi per fluentilia Menti & Rounã, perque Osapum & Alpem Iuliam, perque Aguntum castrum, Draumque & Byrrum fluuios, ac Briones & Augustam ciuitatem, quam Virdo & Lech fluuntant, iter fuisse describit. Qui postquam Turonum iuxta votum proprium aduenit, Pictauis pertransiens illic habitauit, & multorum ibidem sanctorum gesta, partim prosa, partim metrali oratione conscripsit. Nouissimeque in eadem ciuitate primum presbyter, deinde Episcopus ordinatus est, atque in eodem loco digno tumulatus honore quiescit. Hic beati

Martini

Martini vitam quatuor in libris Heroico versu contexuit, & multa alia, maximeque hymnos singularum festiuitatum, & præcipue ad singulos amicos versiculos, nulli poëtarum secundus, suaui & diserto sermone composuit. Ad cuius ego tumulum, cum illuc orationis gratia aduentassem, hoc Epitaphium rogatus ab Apro, eiusdem loci Abbate, scribendum contexui.

Ingenio clarus, sensu celer, ore suauis,
Cuius dulce melos pagina multa canit;
Fortunatus apex vatum, venerabilis actu,
Ausonia genitus hac tumulatur humo.
Cuius ab ore sacro sanctorum gesta priorum
Discimus: hæc monstrãt carpere lucis iter.
Felix quæ tantis decoraris Gallia gemmis,
Lumine de quarum nox tibi tetra fugit.
Hos modicos promsi plebeio carmine versus,
Ne tuus in populis sancte lateret honor.
Redde vicem misero, ne iudice spernar ab æquo
Eximius meritis posce beate precor.

Hæc paucis de tanto viro, ne eius vitam sui ciues funditus ignorarent, delibauimus; nunc ad historiæ seriem reuertamur.

CAP. XIIII. X.

Igitur Alboin Vincentiam Veronamque & reliquas Venetiæ ciuitates, exceptis Patauio & Montesilicis, & Mantua, cepit. Venetiã enim

non

non ſolum in pancis inſulis, quas nunc Venetias dicimus, conſtat; ſed eius terminus à Pannoniæ finibus vſque Adduam fluuium protelatur. Probatur hoc Annalibus libris, in quibus Pergamus ciuitas eſſe legitur Venetiarum. Nam & de lacu Benaco in hiſtoriis ita legimus. Benacus lacus Venetiarum, de quo Mintius fluuius egreditur. Eneti enim licet apud Latinos vna littera addatur, Græcè laudabiles dicuntur. Venetiæ etiam Hiſtria connectitur, & vtræque pro vna prouincia habentur. Hiſtria autem ab Hiſtro flumine cognominatur, quæ ſecundum Romanam hiſtoriam, amplior quam nunc eſt, fuiſſe perhibetur. Huius Venetiæ Aquileia ciuitas extitit caput, pro qua nunc Forum-Iulij, ita dictum, quod Iulius Cæſar negotiationis forum ibi ſtatuerat, habetur.

XI. CAP. XV.

Non ab re eſſe arbitror, ſi etiam ceteras Italiæ prouincias breuiter adtingamus. Secunda prouincia Liguria, à legendis, id eſt, colligendis leguminibus, quorum ſatis ferax eſt, nominatur. in qua Mediolanum eſt, & Ticinus, quæ alio nomine Papia appellatur. Hæc vſque ad Gallorum fines extenditur. Inter hanc & Suauiam, hoc eſt, Alemannorum patriam, quæ verſus

Digitized by Google

ſus ſeptentrionem eſt poſita, duæ prouinciæ, id eſt, Rhetia prima & Rhetia ſecunda, inter Alpes conſiſtunt, in quibus proprie Rheti habitare noſcuntur.

CAP. XVI.

Quinta vero prouincia Alpes Cottiæ dicuntur, quæ ſic à Cottio Rege, qui Neronis tempore fuit, appellatæ ſunt, hæc à Liguria in Eurum verſus, vſq. ad mare Tyrrhenum extenditur, ab occiduo vero Gallorum finibus copulatur. In hac Aquis, vbi aquæ calidæ ſunt, Dertona, & monaſterium Bobium, Genuæ quoque & Saonæ ciuitates habentur. Sexta prouincia Tuſcia eſt, quæ à thure, quod populus illius ſuperſtitioſe in ſacrificiis deorum ſuorum incendere ſolebat, ſic appellata eſt. Hæc habet intra ſe Circium verſus, Aureliam, ab Orientis vero parte Vmbriam. In hac prouincia Roma, quæ olim totius mundi caput extitit, eſt conſtituta. In Vmbria vero quæ ſi ſtius in parte ponitur, Peruſium & lacus Clitorius, Spoletumque conſiſtunt. Vmbria autem dicta eſt, quod imbribus ſuperfuerit, quum aquoſa clades olim populos deuaſtaret.

CAP. XVII.

Septima quoque prouincia Campania, ab vrbe

Roma

Roma vsque ad Siler Lucaniæ fluuium perducitur, in qua opulentissimæ vrbes, Capua, Neapolis, & Salernus, constitutæ sunt. Quæ ideo Campania appellata est, propter vberrimam Capuæ planitiem; ceterum ex maxima parte montuosa est. Porro octaua Lucania, quæ nomen à quodam luco accepit, à Silere fluuio inchoat cum Brutia, quæ ita à reginæ quondam suæ nomine appellata est, vsq; ad fretũ Siculum, per ora maris Tyrrheni, sicut & duæ superiores; dextrum Italiæ cornu tenens, pertingit, in qua Pestus & Lanius, Cassianum & Consentia, Rhegiumque sunt positæ ciuitates.

CAP. XVIII.

Nona denique prouincia in Appenninis Alpibus nuncupatur, quæ inde originem capiunt, vbi Cottiarum Alpes finiuntur. Hæ Appenninæ Alpes per mediam Italiam pergentes, Tusciam ab Æmilia, Vmbriamque à Flaminia diuidunt. In qua sunt ciuitates, Ferronianus & Montepellium, Bobium & Vrbinum, nec non & oppidum quod Verona appellatur. Alpes autem Appenninæ dictæ sunt à Punicis, hoc est, Hannibale & eius exercitu, qui per easdem Romam tendentes transitum habuerunt. Sunt qui Alpes Cottias & Appenninas, vnam dicant

Digitized by Google

cant esse prouinciam: sed hos Victorini reuincit Historia, quæ Alpes Cottias per se prouinciam appellat. Decima porro Æmilia, à Liguria incipiens inter Appenninas Alpes & Padi fluenta, versus Rauennam pergit. Hæc locupletibus vrbibus decoratur, Placentia scilicet Parmaque, Regio, & Bononia, Corneliique foro, cuius castrum Imolas appellatur. Extiterunt quoque qui Aemiliam & Valeriam, Nursiamque vnam prouinciam dicerent: sed horum sententia stare non potest, quia inter Aemiliam & Valeriam, Nursiamque, Tuscia & Vmbria sunt cõstitutæ.

CAP. XIX.

Debinc vndecima prouinciarum est Flaminia, quæ inter Appenninas alpes & mare est Adriaticum posita; in qua nobilissima vrbium Rauenna, & quinque aliæ ciuitates consistunt, Græco vocabulo Pentapolis dictæ. Constat autem Aureliam, Aemiliamque, & Flaminiam, à constratis viis, quæ ab vrbe Roma veniunt, & ab eorum vocabulis, à quibus sunt constratæ, talibus nominibus appellari. Post Flaminiam duodecima Picenus occurrit, habens ab austro Appenninos montes, ex altera vero parte, Adriaticum mare. Hæc vsque ad fluuium Piscarium pertendit, in qua sunt ciuitates, Firmus, Asculus,

lus, & Pinnis, & vetustate consumta Adria, quæ Adriatico pelago nomen dedit. Huius habitatores cum à Sabinis illuc properarent, in eorum vexillo picus consedit, atque hac de causa Picenus nomen accepit.

CAP. XX.

Porro tertia decima prouincia Valeria, cui est Nursia annexa, inter Vmbriam & Campaniam Picenumque consistit; quæ ab oriente Samnitium regionem attingit. Huius pars occidua, quæ ab vrbe Roma initium capit, olim ab Etruscorum populo, Etruria dicta est. Hæc habet vrbes, Tyburim, Carsilis, Reate, Furconam, & Amiternum, regionemque Marsorum, & eorum lacum qui Fucinus appellatur. Marsorum quoque regionem, ideo intra Valeriam prouinciam æstimo computari, quia in catalogo prouinciarum Italiæ minime ab antiquis descripta est. Si quis autem hanc per se prouinciam esse vera ratione comprobauerit, huius rationabilis sententia modis erit omnibus tenenda. Quarta decima Samnium, intra Campaniam & mare Adriaticum, Apuliamque à Piscaria incipiens habetur. In hac sunt vrbes, Theate, Aufidena, Hisernia, & antiquitate consumta Samnium, à qua tota prouincia nominatur, & ipsa harum prouin-

prouinciarum caput ditissima Beneuentus. Porro Samnites nomen accepere olim ab hastis, quas ferre solebant, quasque Græci Samia appellant.

CAP. XXI.

Quinta decima prouinciarum est Apulia, cum sociata sibi Calabria, intra quam est regio Salentina. Hæc ab occidente vel Africo habet Samniũ & Lucaniam: à solis vero ortu Adriatico pelago finitur. Hæc habet vrbes satis opulentas, Luceriam, Sepontum, Canusium, Agerentiam, Brundisium, & Tarentum, & in sinistro Italiæ cornu, quod quinquaginta millibus extenditur, aptam mercimoniis Hydruntum. Apulia autem à perditione nominatur. citius enim ibi solis feruoribus terræ virentia perduntur. Sexta decima prouincia, Sicilia insula computatur, quæ Tyrrheno mari seu Ionio alluitur, de Siculi ducis proprio nomine nuncupatur. Septima decima Corsica. Octaua decima Sardinia ponitur, quæ vtræque Tyrrhenis fluctibus ambiuntur. Porro Corsica, à duce suo Corso, Sardinia à Sarde Herculis filio nominatur.

CAP. XXII.

Certum est tamen Liguriam, & partem Venetiæ, Aemiliam quoque Flaminiamque, veteres

Historiographos Galliam Cisalpinam appellasse. Inde est quod Donatus Grammaticus in expositione Virgilij, Mantuam in Gallia esse dixit. Indeque est quod in Romana historia legitur, Ariminum in Gallia constitutum. Siquidem antiquissimo tempore, Brennus Rex Gallorum, qui apud Senonas vrbem regnabat, cum trecentis millibus Gallorum Senonum ad Italiam venit, eamque vsque ad Seno-Galliam, quæ à Gallis Senonibus vocitata est, occupauit. Causa autem cur Galli in Italiam venerint, hæc fuisse describitur. Dum enim vinum degustassent ab Italia delatum, auiditate vini illecti, ad Italiam transierunt. Horum centum millia non longe à Delphos insula properantes, Græcorum gladiis extincta sunt. Alia vero centum millia in Galatiam ingressa, primũ Gallo-Græci, postea vero Galatæ appellati sunt. Et hi sunt quibus doctor gentium scripsit Epistolam Paulus. Centum millia quoque Gallorum, quæ in Italia remanserunt, Ticinum, Mediolanumque, Pergamum, Brexiamque construentes, Cisalpinæ Galliæ regioni nomen dederunt. Istique sunt Galli Senones, qui olim vrbem Romuleam inuasserunt. Sicut enim dicimus Galliam Transalpinã, quæ vltra Alpes habetur: Sic Galliam hac parte quæ infra Alpes est, vocitamus Cisalpinã.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXIII.

Italia quoque quæ has prouincias continet, ab Italo Siculorum duce, qui eam antiquitus inuasit, nomen accepit. Siue ob hoc Italia dicitur, quia magni in ea boues, hoc est, Itali habentur. Ab eo namque quod est Italus, per diminutionem licet una litera addita, altera immutata, vitulus appellatur.

CAP. XXIIII.

Italia etiam Ausonia dicitur, ab Ausono Vlyssis filio. Primitus tamen Beneuentana regia hoc nomine appellata est, postea vero tota sic cæpit Italia vocitari. Dicitur quoque etiam Latium Italia, pro eo quod Saturnus Iouem filium suum fugiens, intra eam inuenisset latebram. Igitur postquam de Italiæ prouinciis, vel ipsius nomine, intra quam res gestas describimus, sufficienter est dictum, nunc ad historiæ ordinem redeamus.

CAP. XXV. XII.

Alboin igitur Liguriam introiens, indictione ingrediente tertia, tertio Nonas Septembris, sub temporibus Honorati Archiepiscopi, Mediolanum ingressus est. Dehinc vniuersas Liguriæ ciuitates, præter has quæ in littore ma-

Digitized by Google

ris ſunt poſitæ, cepit. Honoratus vero Archiepiſcopus Mediolanum deſerens, ad Genuenſem vrbem confugit. Paulus quoque Patriarcha, annis duodecim ſacerdotium gerens, ab hac luce ſubtractus eſt, regendamque Eccleſiam Probino reliquit.

CAP. XXVI.

Ticinenſis eo tempore ciuitas vltra tres annos obſidionem perferens, ſe fortiter continuit: Langobardorum exercitu non procul iuxta eam ab occidentali parte reſidente. Interim Alboin electis militibus inuaſit omnia, vſque ad Tuſciam, præter Romam & Rauennam, vel aliqua caſtella quæ erant in littore maris conſtituta. Nec erat tunc virtus Romanis, vt reſiſtere poſſent, quia & peſtilentia, quæ ſub Narſete facta eſt, plurimos in Liguria & Venetiis extinxerat, & poſt annum quem diximus fuiſſe vbertatis, fames nimia ingruens, vniuerſam Italiam deuaſtabat. Certum eſt autem tunc Alboin multos ſecum ex diuerſis, quas vel alij reges, vel ipſe ceperat, gentibus ad Italiam adduxiſſe, vnde vſque hodie eorum in quibus habitant vicos, Gepidos, Bulgares, Sarmatas, Pannonios, Suauos, Noricos, ſiue aliis huiuſcemodi nominibus appellamus.

CAP.

CAP. XXVII. XIII.

At vero Ticinensis ciuitas post tres annos & aliquot menses obsidionem perferens, tandem se Alboin & Langobardis obsidentibus tradidit. In quam cum Alboin per portam quæ dicitur Sancti Iohannis, ab Orientali vrbis parte introiret, equus eius in portæ medio concidens, quamuis calcaribus stimulatus, quamuis hinc inde ab stratore verberibus cæsus, non poterat eleuari. Tunc vnus ex eisdem Langobardis, taliter regem allocutus est, dicens: Memento domine Rex, quale votum vouisti. Frange tam durum votu, & ingredieris vrbem. Vere etenim Christianus est populus in hac ciuitate. Siquidem Alboin vouerat, quod vniuersum populum, quia se tradere noluisset, gladio extingueret. Qui postquam tale votum dirumpens, ciuibus indulgentiam promisit, mox equus eius consurgens, ipse ciuitatem ingressus, nulli læsionem inferens, in sua promissione permansit. Tunc ad eum omnis populus in palatium, quod quondam Rex Theudericus construxerat concurrens, post tantas animum miserias, de spe iam fidus futura, cœpit releuare.

XIIII. CAP. XXVIII.

Qui Rex postquam in Italia tres annos, & sex menses regnauit, insidiis suæ coniugis interemptus est. Causa autem interfectionis eius, hæc fuit. Cum in conuiuio, vltra quam oportuerat, apud Veronam lætus resideret, cum poculo quod de capite Cunimundi regis sui soceri fecerat, reginæ ad bibendum vinum dari præcepit, atque eam vt cum patre suo lætanter biberet, inuitauit. Hoc ne cui videatur impossibile, veritatem in Christo loquor, ego hoc poculum vidi in quodam die festo, Ratchis principem vt illud conuiuis suis ostentaret, manu tenentem. Igitur Rosemunda vbi rem animaduertit, altum concipiens in corde dolorem, quem compescere non valens, mox in mariti necem, patris funus vindicatura exarsit. Consiliumque mox cum Helmichis, qui regis Schilpor, hoc est armiger, & collactaneus erat, vt regem interficeret, iniit. Qui reginæ persuasit, vt ipsa Peredeo, qui erat vir fortissimus, in hoc consilium adsciret. Peredeo cum reginæ suadenti tanti nefas consensum adhibere nollet, illa se noctu in lectulo suæ Vestiariæ, cum qua Peredeo stupri consuetudinem habebat, supposuit, vbi Peredeo rem nescius veniens cum regina concubuit.

buit. Cumque illa, patrato iam ſcelere, ab eo quæreret, quam ſe eſſe exiſtimaret, & ipſe nomen ſuæ amicæ, quam eſſe putabat, nominaſſet, Regina ſubiunxit: Nequaquam vt putas, ſed ego Roſemunda ſum; inquit. Certe nunc malem rem Peredeo perpetratam habes, vt aut tu Alboin interficias, aut ipſe te ſuo gladio extinguat. Tunc ille intellexit malum quod fecit, & qui ſponte noluerat, tali modo in regis necem coactus aſſenſit. Tunc Roſemunda, dum ſe Alboin meridie ſopori dediſſet, magnum in Palatio ſilentium fieri præcipiens, omnia alia arma ſubtrahens, ſpatham illius ad lectuli caput, ne tolli aut euaginari poſſet, fortiter colligauit, & iuxta conſilium Helmichis Peredeo interfectorem, omni beſtia crudelior, introduxit. Alboin ſubito de ſopore expergefactus, malum quod imminebat intelligens, manum citius ad ſpatham porrexit, quam ſtrictius religatam extrahere non valens, apprehenſo tamen ſcabello ſuppedaneo, ſe cum eo per aliquod ſpatium defendit. Sed heu proh dolor, vir bellicoſiſſimus & ſumme audacia, nihil contra hoſtem prævalens, quaſi vnus de inermibus interfectus eſt, vniuſque mulierculæ conſilio periit, qui per tot hoſtium ſtrages bello famoſiſſimus extitit. Cuius corpus cum maximo Langobardorum fletu &

lamentis, ſub cuiuſdam ſcalæ adſcenſu, quæ palatio erat contigua, ſepultum eſt. Fuit autem ſtatura procerus, & ad bella peragenda toto corpore coaptatus. Huius tumulum noſtris in diebus Giſelbertus, qui dux Veronenſium fuerat, aperiens, ſpatham eius, & ſi quid in ornatu ipſius inuentum fuerat, abſtulit. Qui ob hanc cauſam vanitate ſolita apud indoctos homines, Alboin ſe vidiſſe, iactabat.

XV. CAP. XXIX.

Igitur Helmichis extincto Alboin, regnum eius inuadere conatus eſt: ſed minimè potuit, quia Langobardi nimium de morte illius dolentes, cum moliebantur extinguere. Statimque Roſemunda Longino Præfecto Rauennæ mandauit, vt citius nauem dirigeret, quæ eos ſuſcipere poſſet. Longinus tali nuntio lætus effectus, feſtinanter nauem direxit, in quam Helmichis cum Roſemunda iam ſua coniuge, noctu fugientes ingreſſi ſunt, auferenteſque ſecum Albſuindam regis filiam, & omnem Langobardorum theſaurum, velocius Rauennam peruenerunt. Tunc Longinus Præfectus ſuadere cœpit Roſemundæ, vt Helmichis interficeret, & eius ſe nuptiis copularet. Illa, vt erat ad omnem nequitiam facilis, dum optat Rauennatium domina

mina fieri, ad tantum perpetrandum facinus assensum dedit, atque dum Helmichis se in balneo ablueret, egredienti ei de lauacro, veneni poculum, quod salutis esse asseuerabat, propinauit. Ille vbi sensit se mortis poculum bibisse, Rosemundam, euaginato super eam gladio, quod reliquum erat bibere coëgit. Sicque dei omnipotentis iudicio interfectores iniquissimi vno momento perierunt.

CAP. XXX. XVI.

His ita peremptis, Longinus præfectus Albsuindam cum Langobardorum thesauris Constantinopolim ad Tiberium imperatorem direxit. Affirmant aliqui etiam Peredeum pariter cum Helmichis & Rosemunda Rauennam venisse, atque exinde cum Albsuinda Constantinopolim directum esse, ibique in spectaculo populi coram Imperatore leonem miræ magnitudinis occidisse. Cui, vt ferunt, ne aliquid maligni in regia vrbe, quia vir fortis erat, moliretur, iussu Imperatoris oculi euulsi sunt. Qui sibi post aliquod tempus duos cultellos aptauit, quibus in vtrisque suis manicis absconsis, palatium petiit, atque se quedam ad Augusti vtilitatem, si ad eum introduceretur locuturum promisit. Ad quem Augustus duos sibi familia-

res, qui eius verba susciperent, patricios misit. Qui cũ ad Peredeum venissent, ille ad eos, quasi aliquid eis secretius dicturus propius accessit, atque ambos utraque manu gladiis, quos abscon-sos habebat, fortiter vulnerauit, ita ut statim in terram corruerent & expirarent. Sic Samsonis illius fortissimi ex aliqua parte non absimilis, suas iniurias ultus est, & pro amissione duorum luminum, duos Imperatori viros utilissimos interemit.

XVII. CAP. XXXI.

Langobardi vero apud Italiam, omnes communi consilio Cleph nobilissimum de suis virum, in urbe Ticinensium sibi regem statuerunt. Hic multos Romanorum viros potentes, alios gladio extinxit, alios ab Italia exturbauit. Iste cum annum unum & sex menses, cum Massana sua coniuge, regnum obtinuisset, à puero de suo obsequio gladio iugulatus est.

XVIII. CAP. XXXII.

Post cuius mortem Langobardi per annos decem regem non habentes sub ducibus fuerunt. Vnusquisq; enim ducũ suam ciuitatẽ obtinebat. Zaban Ticinum: Vuaillari Bergamum: Alachis Brixiam: Euin Tridentum: Gisulfus Forum-

Digitized by Google

Iulij. Sed & alij extra hos in ſuis vrbibus triginta duces fuerunt. His diebus multi nobilium Romanorũ ob cupiditatem interfecti ſunt, reliqui vero per hoſtes diuiſi, vt tertiam partem ſuarum frugum Langobardis perſoluerent, tributarij efficiuntur. Per hos Langobardorum duces ſeptimo anno ab aduentu Albuuin, & totius gentis, ſpoliatis Eccleſiis, ſacerdotibus interfectis, ciuitatibus ſubrutis, populiſque, qui more ſegetum excreuerant, extinctis, exceptis his regionibus, quas Albuuin ceperat, Italia ex maxima parte capta, & à Langobardis ſubiugata eſt.

Explicit liber ſecundus, de geſtis Langobardorum.

Incipiunt

Digitized by Google

Incipiunt

CAPITA LIBRI TERTII.

CAP. I.

QVIA duces Langobardorum ad prædandum in Gallia directi sunt.

CAP. II.

De Langobardo qui beatum Hospitium extinguere voluit.

CAP. III.

Quomodo Langobardorum exercitui Amatus Patricius bellum intulit, & quomodo ab eisdem victus est & occisus.

CAP. IIII.

Quomodo Langobardi Galliam ingressi à Mummulo Patricio sunt deuicti.

CAP. V.

Quomodo Saxones cum Langobardis in Italiam venerunt.

CAP. VI.

Quomodo Saxones cum vxoribus & paruulis suis iterum Galliam ingressi sunt.

CAP. VII.

Quomodo Saxones de patria sua Suauos & alias gentes, quæ ibi residebant, expulere.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VIII.
Quomodo tres duces Langobardorum, hoc est, Amo, Zaban & Rodanus, à Mummulo deuicti sunt.
CAP. IX.
Quomodo Franci Anangnis castrũ Langobardorũ ceperunt. & quomodo Ragilo comes à Francorum duce Chramnicis occisus est.
CAP. X.
De morte Sigisberti Francorum Regis; & de nuptiis Euin ducis.
CAP. XI.
De morte Iustini minoris.
CAP. XII.
De principatu Tiberij Constantini, & de bonis actibus eius.
CAP. XIII.
De aureis quos Hilperico Imperator direxit, & de beato Gregorio.
CAP. XIIII.
De morte Probini Patriarchæ.
CAP. XV.
De morte Tiberij Constantini Augusti, & de imperio Mauritij.
CAP. XVI.
De Regno Authari, & quanta securitas eius tempore fuit.

Quomodo

CAP. XVII.
Quomodo Childebertus Italiam introiuit, ſed facta pace diſceſſit.

CAP. XVIII.
De expugnatione Brexelli, & de fuga Doctrulfi ducis.

CAP. XIX.
De morte Doctrulfi, & quali Epitaphio honoratus eſt.

CAP. XX.
De Sacerdotio Pelagij Papæ, & errore Heliæ Patriarchæ.

CAP. XXI.
De bello Childeberti contra Hiſpanos.

CAP. XXII.
De Francorum exercitu qui in Italiam venit.

CAP. XXIII.
De aquæ diluuio, & miraculo, quod factum eſt in baſilica ſancti Zenonis.

CAP. XXIIII.
De pontificatu beati Gregorij, & clade quæ tunc Romæ facta eſt.

CAP. XXV.
Quomodo Beatus Gregorius Anglos conuertit.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXVI.
De morte Heliæ Patriarchæ, & ſacerdotio Seueri.
CAP. XXVII.
Quomodo rex Anthari ſororem Childeberti in matrimonium accepit.
CAP. XXVIII.
Quomodo Franci in Italiam introierunt,& à Langobardis deuicti ſunt.
CAP. XXIX.
Quomodo Rex Anthari in Baioariam perrexit, vt ſuam ſponſam videret.
CAP. XXX.
Quomodo iterum Francorum exercitus in Italiam venit.
CAP. XXXI.
Quomodo Rex Anthari Beneuentum perrexit.
CAP. XXXII.
De Zottone primo Beneuentorũ duce.
CAP. XXXIII.
Quomodo Anthari Rex legatos ad Gũtramnum miſit,& de eius mirabili viſione.
CAP. XXXIIII.
De morte Antharij regis, & de regno Agilulfi.

EXPLICIVNT CAPITVLA.

Incipit

LIBER TERTIVS

De gestis Langobardorum.

I. ### CAP. I.

IGITVR *aliquanti ex ducibus Langobardorum, cum valido exercitu Gallias ingrediuntur. Horum aduentum vir dei Hospitius, qui apud Niceam erat inclusus, sancto sibi reuelante spiritu, longe ante præuidit, eiusdemque vrbis ciuibus quæ mala imminerent prædixit. Erat enim vir iste magnæ abstinentiæ, & probabilis vitæ, qui constrictus carnem catenis ferreis, induto desuper cilicio, solo pane in cibo cum paucis dactylis vtebatur. In diebus autem quadragesimæ, radicibus herbarum Ægyptiarum, quibus Eremitæ vtuntur, exhibentibus sibi negotiatoribus, alebatur. Per hunc dominus magnas virtutes operari dignatus est, quæ scriptæ habentur in libris venerabilis viri Gregorij Turonensis Episcopi. Igitur vir iste sanctus aduentum Langobardorum in Gallias hoc modo prædixit. Venient, inquit, Langobardi in Gallias, & deuastabunt ciuitates septem, eo quod increuerit malitia eorum in cõspectu Domini. Est enim*

Digitized by Google

enim omnis populus periuriis deditus, furtis obnoxius, rapinis intentus, homicidiis promptus, in quibus non est iustitiæ fructus. Non decimæ dantur, non pauper alitur, non tegitur nudus, non suscipitur hospitio peregrinus. Ideo hæc plaga ventura est super populum istum. Monachis quoque suis præcipiens dixit: Abscedite vos à loco isto, auferentes vobiscum quæ habetis. Ecce enim gens appropiat quam prædixi. Dicentibus illis, Non relinquemus te sanctissime pater, ait. Nolite timere pro me. Futurum est enim vt iniurias inferant mihi, sed non nocebunt vsque ad mortem.

CAP. II.

Discedentibus autem monachis, aduenit exercitus Langobardorum. Qui dum cuncta quæ repererat, vastaret, ad locum vbi vir sanctus inclusus erat, peruenit. At ille per fenestram turris se eis ostendit. Illi vero circumeuntes turrim, dum aditum quærerent, per quem ad eum ingredi possent, & minime inuenirent, duo ex eis adscendentes tectum discooperuerunt illud. Et videntes eum cinctum catenis, indutumque cilicio, dicunt: Hic malefactor est, & homicidium fecit, ideo in his ligaminibus vinctus tenetur. Vocatoque interprete, sciscitan-

tur ab eo quid mali fecerit, vt tali supplicio artaretur. At ille fatetur se homicidam esse, omniumque criminum reum. Tunc vnus extracto gladio, vt eius caput amputaret, mox eius dextra in ipso ictu diriguit, nec eam ad se potuit reuocare. Qui relictum gladium terræ deiecit. Hæc videntes socij eius, clamorem in cælo dederunt, flagitantes à sancto, vt quid eis agendum esset, clementer insinuaret. Ipse vero imposito salutis signo, arens brachium sanitati restituit. Langobardus autem qui sanatus fuerat, & ad fidem Christi conuersus, statim clericus, deinde monachus effectus est, atque in eodem loco, vsque ad finem vitæ suæ, in dei seruitio permansit. Beatus vero Hospitius dum Langobardis Dei verbum loqueretur, duo duces, qui eum venerabiliter audierunt, incolumes patriæ redditi sunt; quidam vero, qui eius verba despexerant, in ipsa prouincia miserabiliter perierunt.

II. CAP. III.

Igitur deuastantibus Langobardis Gallias, Amatus Patricius prouinciæ, qui Guntramno Regi Francorum parebat, contra eos exercitum duxit, commissoque bello terga vertit, ibique extinctus est. Tantamque stragem tunc Langobardi de Burgundionibus fecerunt, vt non pos-

sit col-

sit colligi numerus occisorum. Ditatique inæstimabili præda, ad Italiam reuertuntur.

CAP. IIII.

Quibus discedentibus Ennius, qui & Mummulus, accersitus à rege patriciatus honorem emeruit. Irruentibus iterum Langobardis in Gallias, & vsque Mustiascalmes accedentibus, qui locus Ebredunensi adiacet ciuitati, Mummulus exercitum mouit, & cum Burgundionibus illic proficiscitur. Circumdatisque Langobardis cum exercitu, factis etiam concisis per deuia siluarum, irruit super eos, multosque ex eis interfecit. Nonnullos vero cepit, & regi suo Guntramno direxit. Langobardi quoque his patratis, ad Italiam sunt regressi.

CAP. V. III.

Post hæc Saxones, qui cum Langobardis in Italiam venerant, in Gallias perrumpunt, & intra territorium Rhegense, id est, apud Stablonem villam, castra constituunt, discurrentes per villas vrbium vicinarum, diripientes prædas, abducentes captiuos, vel etiam cuncta vastantes. Quod cum Mummulus comperisset, super eos cum exercitu irruit, multosque ex eis interfecit, ac donec eox finem faceret, cadere non

cessauit. Ignaros enim reperierat homines, & nihil de iis quæ acciderant autumantes. Mane autem facto statuunt Saxones exercitum, præparantes se fortiter ad bellum, sed intercurrentibus nuntiis pacem fecerunt. Datisque muneribus: Mummulo, relictis captiuis & vniuersa præda, ad Italiam reuertuntur.

CAP. VI.

Igitur regressi Saxones in Italiam, assumtis secum vxoribus atque paruulis suis, cum omni supellectili, rursum ad Gallias deliberant venire, scilicet vt à Sigisberto rege suscepti, eius possint adiutorio ad patriam remeare. Certum est autem hos Saxones ideo ad Italiam cum vxoribus & paruulis aduenisse, vt in ea habitare deberent. Sed quantum datur intelligi, noluerunt Langobardorum imperiis subiacere. Sed neque eis à Langobardis permissum est in proprio iure subsistere, ideoque æstimantur ad suam patriam repedasse. Hi Gallias ingressuri, duos ex se cuneos faciunt, & vnus quidem cuneus per Niceam vrbem, alter vero per Ebredunum ingressus est, illa reuertens via, quam anno superiore tenuerat. Hi quia tempus messium erat, colligentes ac triturantes frumenta comedebant, ac suis animantibus ad esum præbebant. Deprædabantur

tur pecora, sed nec ab incendiis abstinebant. Qui cum ad Rhodanũ amnem peruenissent, vt transmeato eo regno se Sigisberto conferrent, occurrit eis Mummulus cum valida multitudine. Tunc illi viso eo valde timentes, datis pro redemptione sua multis auri numismatibus, Rhodanum transire permissi sunt. Qui dum ad Sigisbertum regem pergunt, multos in itinere negotiatione sua deceperunt, venundantes regulas æris, quæ ita nescio quomodo erant coloratæ, vt auri probati atque examinati speciem simularent. Vnde nonnulli hoc dolo seducti, dantes aurum & æs accipientes, pauperes sunt effecti. Peruenientes tandem ad regem Sigisbertum, ad locum vnde prius egressi fuerant, redire permissi sunt.

CAP. VII.

Qui dum ad suam patriam venissent, inuenerunt eam à Sueuis & aliis gentibus, sicut supra commemorauimus retineri. Contra quos insurgentes, conati sunt eos destruere ac delere. At illi obtulerunt eis tertiam partem regionis, dicentes: Simul possumus viuere, & sine collisione communiter habitare. Cumque illi nullo modo acquiescerent, dehinc obtulerunt eis medietatem; post hæc duas partes, sibi tantum ter-

tiam reseruantes. Nolentibus autem illis, obtulerunt cum terra etiam omnia pecora, tantum vt à bello cessarent. Sed nec iis Saxones adquiescentes, certamen expetunt, atque inter se ante certamen, qualiter vxores Suauorum diuiderent, statuunt. Sed non eis vt putabant, euenit. Nam commisso prælio, viginti millia ex eis interempta sunt. Suauorum vero quadringenti octoginta ceciderunt, reliqui vero victoriam capiunt. Sex millia quoque Saxonum, qui bello superfuerant, deuouerunt se neque barbam neque capillos incisuros, nisi se de hostibus Suauis vlciscerentur. Qui iterum pugnam aggredientes, vehementer adtriti sunt, & sic à bello quieuerunt.

IIII. CAP. VIII.

Post hæc tres Langobardorum duces, id est, Amo, Zaban ac Rhodanus, Gallias irruperunt. Et Amo quidem Ebredunensem carpens viam, vsque Machouillam, quam Mummulus munere Regis meruerat, accessit, ibiq; tentoria fixit. Zaban vero per Diensem descendens vrbem, vsque Valentiam venit. Rhodanus autem Gratianopolim aggressus est. Et Amo quidem Arelatensem debellauit prouinciam, cum vrbibus quæ circumsitæ sunt, & vsque ad ipsum Lapideum campum, qui adiacet vrbi Massiliensi, accedens,

accedens, vniuersa quæ reperire poterat depopulatus est. Aquinensibus autem obsidionem parans, viginti duabus libris acceptis argenti, ab eodem loco discessit. Rhodanus quoque & Zaban, pari modo incendiis & rapinis, loca ad quæ accesserant, demoliti sunt. Quæ cum Mummulo Patritio perlata fuissent, cum valida manu veniens primum cum Rhodano, qui Gratianopolim debellabat, confluxit, & multos de eius exercitu peremit, ipsumq; Rhodanum lancea vulneratum, ad montium excelsa fugere compulit. Qui exinde cum quingentis viris, qui ei remanserant, per deuia siluarum prorumpens, ad Zaban, qui tunc Valentiam vrbem obsidebat, peruenit, eique omnia quæ acta fuerant, nunciauit. Qui pariter dum ad Ebredunensem vrbem omnia deprædantes venissent, ibi eis Mummulus cum innumero exercitu occurrit, commissoque prælio eosdem vicit. Tunc Zaban & Rhodanus Italiam repetentes, Secusium deuenere. Quam vrbem Sisinnius magister tunc militum, à parte retinebat Imperatoris. Ad quem puer Mummuli aduenies, literas ei directas à Mummulo porrexit, eumque citius aduentare dixit. Quo comperto Zaban & Rhodanus exinde mox ad propria discesserunt. His auditis Amo, collecta omni præda, Italiam rediturus proficiscitur, sed

resistentibus ninibus, prædam ex magna parte relinquens, vix cum suis Alpinum tramitem crumpere potuit, & sic ad patriam peruenit.

Cap. IX.

His diebus aduenientibus Francis, Anagnis castrum, quod super Tridentum, in confinio Italiæ positum est, se eisdem tradidit. Quam ob causam comes Langobardorum de Lagare Ragilo nomine, Anagnis veniens depredatus est. Qui cum de prædâ reuerteretur, in campo Rotaliano ab obuio sibi duce Francorum Chramnichis, cum pluribus è suis peremptus est. Qui Chramnichis non multum post tempus Tridentum veniens deuastauit. Quem subsequens Euin Tridentinus Dux, in loco qui Salurnis dicitur, suis cum sociis interfecit, prædamque omnem, quam ceperat, excussit. Expulsisque Francis Tridentinum territorium recepit.

Cap. X.

Hoc tempore Sigisbertus Rex Francorum occisus est, fraude Hilperici germani sui, cum quo bellum inierat. Regnumque eius Childebertus eiusdem filius adhuc puerulus, cum Brunichilde matre regendum suscepit. Euin quoque Dux Tridentinorum, de quo præmisimus, accepit uxorem filiam Garibaldi Baioariorum regis.

Cap.

Digitized by Google

CAP. XI.

V.

Per hæc tempora apud Constantinopolim, vt supra præmissum est, Iustinus minor regnabat, vir omni auaritiæ deditus, contemptor pauperum, senatorum spoliator. Cui tanta fuit cupiditatis rabies, vt arcas iuberet ferreas fieri, in quibus ea quæ rapiebat auri talenta congereret. Quem etiam ferunt in hæresin Pelagianam dilapsum. Hic cum à diuinis mandatis aurem cordis auerteret, iusto dei iudicio, amisso rationis intellectu, amens effectus est. Hic Tiberium Cæsarem adsciuit, qui eius palatiũ vel singulas prouincias gubernaret; hominem iustum, vtilem, strenuum, sapientem, eleemosynarium, in iudiciis æquum, in victoriis clarum, & quod his omnibus supereminet, verissimum Christianum. Hic cum multa de thesauris, quos Iustinus aggregauerat, pauperibus erogaret, Sophia Augusta frequentius eum increpabat, quod Rempublicam redegisset in paupertatem, dicens: Quod ego multis annis congregaui, tu infra paucum tempus prodige dispergis. Aiebat autem ille: Confido in domino, quia non deerit pecunia fisco nostro, tantũ vt pauperes eleemosynam accipiant, vt captiui redimantur. Hoc est enim magnum thesaurum facere, dicente domino; Thesauri-

zate vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Ergo de his quæ tribuit dominus, congregemus in cœlo thesauros, & dominus nobis augere dignabitur in sæculo. Igitur Iustinus cum vndecim annis regnasset, amentiam quam incurrerat, tandem cum vita finiuit. Bella sane quæ per Narsetem patricium Gothis vel Francis illata, superius per anticipationem diximus, huius temporibus gesta sunt. Denique & cum Roma temporibus Benedicti Papæ, vastantibus omnia per circuitum Langobardis, famis penuria laboraret, multa millia frumenti nauibus ab Ægypto dirigens, eam suæ studio misericordiæ releuauit.

VI. CAP. XII.

Mortuo ergo Iustino, Tiberius Constantinus, Romanorum regum quinquagesimus, sumsit imperium. Hic cum, vt superius diximus, sub Iustino adhuc Cæsare palatium regeret, & multas cotidie eleemosynas faceret, magnam ei dominus auri copiam subministrauit. Nam deambulans per Palatium, vidit in pauimento domus tabulam marmoream, in qua erat crux dominica sculpta, & ait: Crucem domini qua frontem nostram & pectora munire debemus,

ecce

Digitized by Googl

ecce eam sub pedibus conculcamus. Et citius dicto iussit eandem tabulam auferri. Defossaque tabula atque erecta, inueniunt subter & aliam hoc signum habentem. qui & ipsam iussit auferri. Qua amota, reperiunt & tertiam, iussuque eius cum hæc fuisset ablata, inueniunt magnum thesaurum, habentem supra mille auri centenaria. Sublatumque aurum, pauperibus adhuc abundantius quam consueuerat, largitur. Narses quoque patricius Italiæ, cum in quadam ciuitate, intra Italiam, domū magnam haberet, cum multis thesauris ad supra memoratam vrbem aduenit. Ibique in domo sua occulte cisternam magnam fodit, in qua multa millia centenariorum auri argentique reposuit. Interfectisque omnibus conscijs, vni tantummodo seni hæc per iuramentum ab eo exigens, commendauit. Defuncto vero Narsete, supradictus senex ad Cæsarem Tiberium veniens, dixit: Si inquit, mihi aliquid prodest, magnam rem tibi Cæsar dicam. Cui ille: Dic ait quod vis, proderit enim tibi, si quid nobis profuturum esse narraueris. Thesaurum inquit, Narsetis habeo reconditum, quod in extremo vitæ positus celare non possum. Tunc Cæsar Tiberius gauisus, mittit vsque ad locum pueros suos, præcedentem vero senem hi sequuntur attoniti. Perueniente-

que

teſque ad ciſternam, deopertam ingrediuntur. In qua tantum auri vel argenti repertum eſt, vt per multos dies vix à deportantibus potuiſſet euacuari. Quæ ille penè omnia ſecundum ſuum morem erogatione largiſtua diſpenſauit egenis. Hic cum Auguſtalem coronam accepturus eſſet, cumq; iuxta conſuetudinem ad ſpectaculum circi populus exſpectaret, inſidias ei præparans, vt Iuſtinianum, Iuſtini nepotem, ad dignitatem Imperatoriam ſublimaret, ille per loca ſancta prius procedens, debinc vocato ad ſe Pontifice vrbis, cum conſulibus ac Præfectis Palatium ingreſſus, indutus purpura, diademate coronatus, throno imperiali impoſitus, cū immenſis laudibus in rēgni gloria cōfirmatur. Quod eius aduerſarij audientes, nihilq; ei, qui in Deo ſpem ſuā poſuerat, officere valentes, magno ſunt confuſionis pudore cooperti. Tranſactis autem paucis diebus, adueniens Iuſtinianus, pedibus ſe proiecit Imperatoris, ob meritum gratiæ, quindecim ei auri centenariā deferens. Quem ille ſecundum patientiæ ſuæ ritum colligens, ſibi in Palatio adſiſtere iuſſit. Sophia vero Auguſta immemor promiſſionis, quam quondam in Tiberiū habuerat, inſidias ei tentauit ingerere. Procedente autem eo ad villam, vt iuxta ritum Imperialem triginta diebus ad vindemiam iocundaretur, vocato clam

clam Iustiniano voluit cum sublimare in regno. Quo comperto Tiberius cursu veloci Constantinopolim regreditur, apprehensamque Augustam omnibus thesauris spoliauit, solum ei victus quotidiani alimentum relinquens. Segregatisque pueris eius ab ea, alios de fidelibus suis posuit, qui ei parerent, mandans vt nullus prorsus de anterioribus, ad eam haberet accessum. Iustinianum vero verbis solummodo increpatum, tanto in posterum amore dilexit, vt filio eius filiam suam promitteret, rursumque filio suo filiam eius expeteret. Sed hæc res quam ob causam nescio, minime ad effectum peruenit. Huius exercitus ab eo directus Persas potentissime debellauit, victorque regrediens, tantam molem prædæ, cum viginti pariter Elephantis detulit, vt humanæ crederetur posse sufficere cupiditati.

XIII. VII.

Ad hunc Hilpericus Francorum rex suos legatos dirigens, multa ab eo ornamenta, aureos etiam singularum librarum suscepit, habentes ex vna parte effigiem Imperatoris, & perscriptum in circulo, TIBERII. CONSTANTINI. PERPETVI. AVGVSTI. & ab alia parte habentes quadrigam & adscensorem, continentes scriptum: GLORIA ROMANORVM. Huius in die-

in diebus beatus Gregorius Diaconus, qui post Papa extitit, cum esset Apocrisiarius, apud eandem regiam vrbem, Morales libros composuit, Eutychiumque eiusdem vrbis Episcopum, de resurrectione errantem, in conspectu eiusdem Augusti superauit. Hac etiam tempestate Faroald primus Spoletanorum dux, cum Langobardorum exercitu classem inuadens, opulentam vrbem, spoliatam cunctis diuitiis nudam reliquit.

CAP. XIIII.

Mortuo vero apud Aquileiam Patriarcha Probino, qui Ecclesiam vnum rexerat annum, eidem Ecclesiæ sacerdos Helias præficitur.

CAP. XV.

Tiberius igitur Constantinus, postquam Imperium septem rexerat annis, sentiens sibi diem mortis imminere, vna cum consilio Sophiæ Augustæ, Mauricium genere Cappadocem, virum strenuum, ad imperium elegit, ornatamq; suam filiam regalibus ornamentis ei eam tradidit, dicens: Sit tibi imperium meum cum hac puella concessum, vtere eo felix, memor semper vt æquitate & iustitia delecteris. Hæc postquam dixit, de hac luce ad æternam patriam migrauit, magnum luctum populis de sua morte relinquens.

Fuit

Fuit enim summæ bonitatis, in eleemosynis promptus, in iudiciis iustus, in iudicando cautissimus, nullum despiciens, sed omnes in bona voluntate complectens, omnes diligens, ipse quoque est dilectus à cunctis. Quo defuncto Mauricius indutus purpura, redimitus diademate, ad circum processit, acclamatisque sibi laudibus, largitus populo munera, primus ex Græcorum genere in Imperio confirmatus est.

CAP. XVI. VIII.

At vero Langobardi, cum per annos decem sub potestate ducum fuissent, tandem communi consilio Authari Clephonis filium supra memorati principis, regem sibi statuerunt. Quem etiam ob dignitatem Flauium appellauerunt, quo prænomine omnes, qui postea fuerunt, Langobardorum reges feliciter vsi sunt. Huius in diebus ob restaurationem regni, duces qui tunc erant, omnem substantiarum suarum medietatem regalibus vsibus tribuunt, vt esse possit vnde Rex ipse, siue qui ei adhærerent, eiusque obsequiis per diuersa officia dediti, alerentur. Populi tamen aggrauati, per Langobardos hospites partiuntur. Erat sane hoc mirabile in regno Langobardorum, nulla erat violentia, nullæ struebantur insidiæ. Nemo aliquem iniuste angariabat,

gariabat, nemo spoliabat. Non erant furta, non latrocinia, vnusquisque quo libebat, securus sine timore pergebat.

CAP. XVII.

Hoc tempore Mauricius Imperator, Childeberto regi Francorũ quinquaginta milia solidos per legatos suos ob hoc direxit, vt cum exercitu super Langobardos irrueret, eosque de Italia exterminaret. Qui cum innumera Francorum multitudine, in Italiam subito introiuit. Langobardi vero in ciuitatibus communientes se, intercurrentibus legatis, oblatisque muneribus, pacem cum Childeberto fecerunt. Qui cum ad Gallias remeasset, cognito Imperator Mauricius, quia cum Langobardis fœdus inierat, solidos quos ei ob Langobardorum detrimentum dederat, repetere cœpit. Sed ille suarum virium potentia fretus, pro hac re nec responsum reddere voluit.

CAP. XVIII.

His ita gestis Authari rex Brexillum ciuitatem, super Padi marginem sitam, expugnare aggressus est, in quam Droctulf dux à Langobardis confugerat, seque partibus Imperatoris tradens, sociatus militibus Langobardorum exercitui fortiter resistebat. Iste ex Suauorum, hoc est, Ale-

est, Alemannorum gente oriundus, inter Langobardos creuerat, & quia erat forma idoneus, ducatus honorem meruerat. Sed cum occasionem vlciscendæ suæ captiuitatis repperit, contra Langobardorũ illico arma surrexit. Aduersus quem Langobardi grauia bella gesserunt: tandemque eum cum militibus, quos iuuabat exuperantes, Rauennam cedere compulerunt. Brexillus capta est, muri quoque eius ad solum vsque destructi sunt. Post hæc Authari rex cum Smaragdo Patricio, qui tunc Rauennæ præerat, vsque in annum tertium pacem fecit.

CAP. XIX. IX.

Huius sane Droctulft, de quo præmissimus, adminiculo, sæpè Rauennatium milites, aduersum Langobardos dimicarunt. Extructaque classe Langobardos, qui classe vrbem tenebant, hoc adiuuante pepulerunt. Cui cum vitæ explesset terminum, honorabile sepulchrum ante limina beati Vitalis martyris tribuentes, tali eius laudes epitaphio extulerunt:

Clauditur hoc tumulo, tantum sed corpore, Droctulf.
Nam meritis tota viuit in vrbe suis.
Cum Bardis fuit ipse quidem, nam gente Suauus;
Omnibus & populis inde suauis erat.

Digitized by Google

Terribilis visu facies, sed mente benignus,
Longaque robusto pectore barba fuit.
Hic & amans semper Romana & publica signa,
Vastator gentis adfuit ipse suæ.
Contemsit caros, dum nos amat ille, parentes,
Hanc patriam reputans esse Rauenna suam.
Huius prima fuit Brexelli gloria capti.
Quo residens cunctis hostibus horror erat.
Qui Romana potens valuit post signa iuuare
Vexillum primum Christus habere dedit.
Inde etiam retinet dum classem fraude Feroaldus
Vindicet vt classem, classibus arma parat.
Puppibus exiguis decertans amne Badrino,
Bardorum innumeras vicit & ipse manus.
Rursus & in terris Auarem superauit Eois,
Conquirens dominis maxima palma suis.
Martyris auxilio Vitalis fultus ad istos
Peruenit, victor sæpè triumphat ouans.
Cuius & in templis petiit sua membra iacere,
Hæc loca post mortem bustis habere iuuat.
Ipse sacerdotem moriens petit ista Iohannem,
His rediit terris cuius amore pio.

X. CAP. XX.

Denique post Benedictum Papam, Pelagius Romanæ Ecclesiæ Pontifex, absque iussione principis ordinatus est, eo quod Langobardi Romam per circuitum obsiderent, nec posset quisquam à Roma progredi. Hic Pelagius Heliæ Aquileiensi Episcopo, nolenti tria capitula Calcedonen-

sis

Digitized by Google

enſis Synodi ſuſcipere, Epiſtolam ſatis vtilem miſit, quam Beatus Gregorius, cum eſſet adhuc Diaconus, conſcripſit.

CAP. XXI.

Interea Childebertus Rex Francorum, bellum aduerſum Hiſpanos gerens, eoſdem acie ſuperauit. Cauſa autem huius certaminis iſta fuit. Childebertus Rex Ingundem ſororem ſuam Herminigildo, Leuvigildi Hiſpanorum regis filio, in coniugium tradiderat. Qui Herminigildus prædicatione Leandri Epiſcopi Hiſpalenſis, atque adhortatione ſuæ coniugis, ab Arriana Hæreſi, qua pater ſuus languebat, ad catholicam fidem conuerſus fuerat, quem pater impius, in ipſo ſacrato Paſchali die, ſecuri percuſſum intereme-rat. Ingundis vero poſt mariti & martyris funus, de Hiſpaniis fugiens, dum Gallias repedare vellet, in manus militum incidens, qui in limite aduerſum Hiſpanos Gothoſque reſidebant, cum paruo filio capta, atque in Siciliam deducta eſt, ibique diem clauſit extremum. Filius vero eius Imperatori Mauricio Conſtantinopolim eſt tranſmiſſus.

CAP. XXII.

Rurſum Mauricius Auguſtus, legatos ad Childebertum mittens, eum vt contra Langobardos

bardos in Italiam exercitum dirigeret persuasit. Childebertus existimans suam adhuc germanam apud Cõstantinopolim viuere, legatis Mauricij acquiescens, vt suam posset sororem recipere, iterum aduersum Langobardos Francorum exercitum ad Italiam direxit. Contra quos dum Langobardorum acies properarent, Franci & Alamanni dissensionem inter se habentes, sine vllius lucri conquisitione, ad patriam sunt reuersi.

XI. CAP. XXIII.

Eo tempore fuit aquæ diluuium in finibus Venetiarum & Liguriæ, seu ceteris regionibus Italiæ, quale post Noë tempus creditur non fuisse. Factæ sunt lamiæ possessionum seu villarum, hominumque pariter & animantium magnus interitus. Destructa sunt itinera, dissipatæ sunt viæ, tantumque Atesis fluuius tunc excreuit, vt circa Basilicam Beati Zenonis martyris, quæ extra Veronensis vrbis muros sita est, vsque ad superiores fenestras aqua pertingeret, licet Beatus Gregorius post Papa scripsit, in eandem Basilicam aquam minime introiisse. Vrbis quoque eiusdem Veronensis muri ex parte aliqua eadem sunt inundatione subruti. Facta est autem hæc inundatio, sexto decimo Kal. Nouembris. Sed & tantæ coruscationes & tonitrua fuerunt, quantæ fieri

fieri vix æstiuo tempore solent. Post duos quoque menses, eadem vrbs Veronensium, magna ex parte incendio concremata est.

CAP. XXIIII.

In hac diluuij effusione in tantum apud vrbem Romam fluuius Tyberis excreuit, vt aquæ eius super muros vrbis influerent, & maximas in ea regiones occuparent. Tunc per alueum eiusdem fluminis, cum multa serpentium multitudine, Draco etiam miræ magnitudinis per vrbem transiens, vsque ad mare descendit. Subsecuta statim est hanc inundationem grauissima pestilentia, quam inguinariam appellant. Quæ tanta strage populum deuastauit, vt de inæstimabili multitudine, vix pauci remanerent. Primumque Pelagium Papam, virum venerabilem perculit, & sine mora extinxit. Deinde pastore interempto, sese per populos extendit.

CAP. XXV.

In hac tanta tribulatione Beatissimus Gregorius, qui tunc Leuita erat, à cunctis generaliter Papa electus est. Qui dum septiformem Letaniam fieri ordinasset, intra vnius horæ spatium, dum hi dominum deprecarentur, octoginta ex eis subito ad terram corruentes, spiritum exha-

larunt. Septiformis autem letania ideo dicta est, quia omnis urbis populus à Beato Gregorio in septem partes deprecaturus dominum est diuisus. In primo namque choro fuit omnis clerus; in secundo omnes Abbates cum monachis suis; in tertio omnes Abbatissæ cum congregationibus suis; in quarto omnes infantes; in quinto omnes laici; in sexto uniuersæ uiduæ; in septimo omnes mulieres coniugatæ. Ideo autem de Beato Gregorio plura dicere obmittimus, quia iam ante aliquot annos eius uitam, deo auxiliante, texuimus. In qua quæcunque dicenda fuerant, iuxta tenuitatis nostræ uires, uniuersa descripsimus.

XII. CAP. XXVI.

Hoc tempore isdem Beatus Gregorius, Augustinum, & Mellitum, & Iohannem, cum aliis pluribus monachis timentibus dominum, in Britanniam misit, eorumque prædicatione ad Christum Anglos conuertit.

CAP. XXVII.

His diebus defuncto Helia Aquileiensi Patriarcha, postquam quindecim annos sacerdotium gesserat, Seuerus huic succedens regendam suscepit Ecclesiam. Quem Smaragdus Patricius ueniens de Rauenna in Grados, per semetipsum

ipſum à Baſilica extrahens, Rauennam cum iniuria duxit, cum aliis tribus ex Hiſtria Epiſcopis: id eſt, Iohanne Parentino, & Seuero, atque Vindemio, nec non etiam Antonio iam ſene Eccleſiæ defenſore. Quibus comminans exilia, atque violentiam inferens, communicare compulit Iohanni Rauennati Epiſcopo trium Capitulorum damnatori, qui tempore Papæ Vigilij vel Pelagij, à Romanæ Eccleſiæ deſciuerat ſocietate. Exempto vero anno, à Rauenna ad Grados reuerſi ſunt. Quibus nec plebs communicare voluit, nec ceteri Epiſcopi eos receperunt. Smaragdus Patricius à Dæmonio non iniuſte correptus, ſucceſſorem Romanum Patricium accipiens, Conſtantinopolim remeauit. Poſt hæc facta eſt Synodus decem Epiſcoporum in Mariano, vbi receperunt Seuerum Patriarcham Aquileienſem, dantem libellum erroris ſui, quia trium capitulorum damnatoribus communicarat Rauennæ. Nomina vero Epiſcoporum, qui ſe ab hoc ſchiſmate cohibuerunt, hæc ſunt: Petrus de Altino clariſſimus, Ingenuinus de Sabione, Agnellus Tridentinus, Iunior Veromenſis, Horuntinus Vincentinus, Ruſticus de Taruiſio, Fonteius Feltrinus, Agnellus de Acilio, Laurentius de Lumenſis. Cum Patriarcha autem communicauerunt iſti Epiſcopi: Seuerus, Parentinus,

rentinus, Iohannes Patriçius, Vindemius, & Iohannes.

XIII. CAP. XXVIII.

Hac tempestate Rex Authari ad Histriam exercitum misit, cui exercitui Euin Dux Tridentinus præfuit. Qui post prædas & incendia, facta pace in annum vnum, magnam pecuniam regi detulèrunt. Alij quoque Langobardi in Insula Amacina, Francionem magistrum militum, qui adhuc de Narsetis parte fuerat, & iam se per viginti annos continuerat, obsidebant. Qui Francio post sex menses obsidionis suæ, Langobardis eandem insulam tradidit, ipse vero vt optauerat, dimissus à rege, cũ sua vxore & supellectile Rauennam properauit. Inuentæ sunt in eadem insula diuitiæ multæ, quæ ibi de singulis fuerant ciuitatibus commendatæ.

CAP. XXIX.

At vero Flauius Rex Authari, legatos ad Childebertum misit, petens eius germanam suo matrimonio sociari. Cumque Childebertus acceptis muneribus à Langobardorũ legatis, suam germanam eorum regi se daturum promisisset, aduenientibus tamen Gothorum de Hispania legatis, eandem suam germanam, eo quod gentem illam

Digitized by Google

illam ad fidem catholicam conuersam fuisse cognouerat, repromisit.

CAP. XXX.

Inter hæc legationem ad Imperatorem Mauricium direxit, mandans ei vt quod prius non fecerat nunc contra Langobardorum gentem bella susciperet, atque cum eius consilio ab Italia remoueret. Qui nihil moratus exercitum suum ad Langobardorum debellationem in Italiam direxit. Cui Authari rex & Langobardorũ acies non segniter obuiam pergunt, proque libertatis statu fortiter confligunt. In ea pugna Langobardi victoriam capiunt, Franci vehementer cæsi, nonnulli capti, plurimi etiam per fugam elapsi, vix ad patriam reuertuntur. Tantaque ibi strages facta est de Francorum exercitu, quanta nusquam alibi memoratur. Mirandum sane est, cur Secundus qui aliqua de Langobardorum gestis scripsit; hanc tantam eorum victoriam prætermiserit, cum hæc quæ præmisimus de Francorum interitu, in eorum historia hisdem ipsis penè verbis exarata legantur.

CAP. XXXI. XIIII.

Flauius vero rex Authari legatos post hæc ad Baioariã misit, qui Garibaldi eorum Regis filiam

ſibi in matrimonium peterent. Quos ille benigne ſuſcipiens, Theudelindam ſuam filiam Authari ſe daturum promiſit. Qui legati reuertentes cũ hæc Authari nuntiaſſent, ille per ſemetipſum ſuam ſponſam videre cupiens, paucis ſecum, ſed expeditis ex Langobardis adhibitis, vnumque ſibi fideliſſimum, & quaſi ſeniorem ſecum ducens, ſine mora ad Baioariam perrexit. Qui cum in conſpectu Garibaldi regis, iuxta morem legatorum, introducti eſſent, & is qui cum Authari quaſi ſenior venerat, poſt ſalutationem verba, vt moris eſt, intuliſſet, Authari cum à nullo illius gentis cognoſceretur, ad regem Garibaldum propinquius accedens, ait: Dominus meus Authari rex, me proprie ob hoc direxit, vt veſtram filiam ipſius ſponſam, quæ noſtra domina futura eſt, debeam conſpicere, vt qualis eius forma ſit, meo valeam domino certius nuntiare. Cumque rex hæc audiens filiam venire iuſſiſſet, eamque Authari, vt erat ſatis eleganti forma, tacito nutu contemplatus eſſet, eique per omnia ſatis complacuiſſet, ait ad regem: Quia talem veſtræ filiæ perſonam cernimus, vt eam merito noſtram reginam fieri optemus, ſi placet veſtræ poteſtati de eius manu, ſicut nobis poſtea factura eſt, vini poculum ſumere præoptamus. Cumque rex id fieri debere annuiſſet,

Digitized by Google

ſet, illa accepto vini poculo, ei prius qui ſenior eſſe videbatur propinauit. Deinde cum Authari, quem ſuum eſſe ſponſum neſciebat, porrexiſſet, ille poſtquam bibit ac poculum redderet, eius manum nemine animaduertente digito tetigit, dextramque ſuam ſibi à fronte per naſum ac faciem produxit. Illa hoc ſuæ nutrici rubore perfuſa nuntiauit. Cui nutrix ſua ait: Iſte niſi ipſe Rex & ſponſus tuus eſſet, te omnino tangere non auderet. Sed interim ſileamus, ne hoc patri tuo fiat cognitum. Re enim vera digna perſona eſt, quæ tenere debeat regnum, & tuo ſociari coniugio. Erat autem tunc Authari iuuenili ætate floridus, ſtatura decens, candido crine perfuſus, & ſatis decorus aſpectu. Qui mox à rege commeatu accepto, iter patriam reuerſuri arripiunt, deque Noricorum finibus feſtinanter abſcedunt. Noricorum ſiquidem prouincia, quam Baioariorum populus inhabitabat, habet ab oriente Pannoniam, ab occidente Suauiam, à meridie Italiam, ab aquilonis vero parte Danubij fluenta. Igitur Authari cum iam prope Italiæ fines veniſſet, ſecumque adhuc, qui eum deducebant, Baioarios haberet, erexit ſe quantum ſuper equum cui præſidebat potuit, & toto anniſu ſecuriculam, quam manu geſtabat, in arborem quæ proximior aderat fixit, eamque fixam reliquit, adiiciens hæc

inſuper

Digitized by Google

insuper verba: Talem Authari feritam facere solet. Cumque hæc dixisset, tunc intellexerunt Baioarij, qui cum eo comitabantur, eum ipsum regem esse Authari. Denique post aliquod tempus, cum propter Francorum aduentum, perturbatio Garibaldo regi aduenisset, Theudelinda eius filia cũ suo germano, nomine Gundoald, ad Italiam confugit, seque aduentare Authari sponso nuntiauit. Cui statim ille obuiam cum magno apparatu nuptias celebraturus in campo Sardis, qui supra Veronam est, occurrens, eandem cunctis lætantibus in coniugium Idus Maias accepit. Erat autem tunc ibi inter ceteros Langobardorum duces, Agilulf dux Taurinensium ciuitatis. Quo in loco cum perturbato aëre lignum quoddam, quod in regiis septis situm erat, cum magno tonitruorum fragore vi fulminis ictum fuisset, habebat tunc Agilulf quendam de suis aruspicem puerum, qui per artem Diabolicam, quid futurum portenderent ictus fulminum, intelligebat, qui secrete cùm Agilulf ad requisita naturæ resideret, eidem dixit: Mulier ista quæ modo regi nostro nupsit, tua non post multum tempus coniux futura est. Quod ille audiens, caput se eius amputaturum, si hac de re amplius aliquid diceret, comminatus est. Cui ille: Ego quidem inquit, occidi possum, sed

fata

Digitized by Google

fata nequeunt immutari: nam certe ad hoc ista in hanc patriam femina venit, vt tuis debeat nuptiis copulari. Quod ita quoque post factum est. Hoc tempore, quam ob causam incertum, Ansul cognatus regis Authari, apud Veronam est interfectus.

CAP. XXXII. XV.

Hac etiam tempestate Grippo legatus Childeberti regis Francorum, cum à Constantinopoli remeasset, & eidem regi suo, quomodo honorifice ab imperatore Mauricio susceptus fuisset, nuntiasset; & quia iniurias, quas apud Carthaginem perpessus fuerat, imperator ad voluntatem Childeberti regis vltum iri promisisset, Childebertus confestim iterato in Italiam exercitum Francorum cum viginti ducibus ad debellandam Langobardorum gentem direxit. E quibus ducibus, Andualdus, & Olo, & Cedinus, eminentiores fuerunt. Sed Olo cum importune ad Bilitionis castrum accessisset, iaculo sub mamilla sauciatus cecidit, & mortuus est. Reliqui vero Franci cum egressi fuissent ad prædandum, à Langobardis irruentibus passim per loca singula prosternebantur. At vero Audualdus & sex alij duces Francorum, ad Mediolanensium vrbem aduenientes, ibi eminus in campestri

pestribus castra posuerunt. Quo loco ad eos Imperatoris legati venerunt, nunciantes adesse exercitum in solatio eorum, dicentesque quia post triduum cum eisdem veniemus. Et hoc vobis erit signum, cum videritis villæ huius, quæ in monte sita est, domus incendio concremari, & fumum incendij ad cælos vsque sustolli, noueritis nos cum exercitu, quem pollicemur, aduentare. Sed exspectantes Francorum duces diebus sex iuxta placitum, nullum ex iis quos legati Imperatoris promiserant, venisse contemplati sunt. Cedimus autem cum tredecim ducibus lauam Italiæ ingressus, quinque castella cepit, à quibus etiam sacramenta exegit. Per Placentiam vero exercitus Francorum vsque Veronam venerunt, & deposuerunt castra plurima per pacem post sacramenta data, quæ se eis tradiderant, nullum ab eis dolum existimantes. Nomina autem castrorum quæ diruerunt in territorio Tridentino, ista sunt: Tesana, Maletum, Semiana, Appianum, Fagitana, Cimbra, Vitianum, Brentonicum, Volenes, Ennemase, & duo in Alsuca, & vnum in Verona. Hæc omnia castra cum diruta essent à Francis, ciues vniuersi ab eis ducti sunt captiui. Pro Ferruge vero castro, intercedentibus Episcopis, Ingenuino de Sauione, & Agnello de Tridentino, data est redemptio, pro capite vniuſ-

vniuſcuiuſque viri ſolidi ſexcenti. Interea Francorum exercitum, cũ eſſet tempus æſtiuum, propter inconſueti aëris incommoditatem, dyſenteriæ morbus grauiter exagitare cœpit, quo morbo plures interierunt exè eis. Quid plura? Cum per tres menſes Francorum exercitus Italiam peruagaretur, nihilque proficeret, neque ſe de inimicis vlciſci poſſet, eo quod ſe in locis firmiſſimis contuliſſent, neque regem adtingere valeret, de quo vltio fieret, qui ſe intra Ticinenſem vrbem munierat, vt diximus, infirmatus aëris intemperantia, ac fame conſtrictus, redire ad propria deſtinauit. Qui reuertentes ad patriam, intantum famis penuriam perpeſi ſunt, vt prius veſtimenta propria, inſuper etiam & arma ad coëmendum victũ præberent, quam ad genitale ſolum pertingerent.

CAP. XXXIII. XVI.

Circa hæc tempora putatur eſſe factum, quod de Authari rege refertur. Fama eſt enim tunc eundem regem per Spoletium Beneuentum peruenisſe, eandemque regionem cepiſſe, & vſque etiam Regium extremam Italiæ ciuitatem vicinam Siciliæ perambulaſſe. Et quia ibidem intra maris vndas columna quædam eſſe poſita dicitur, vſq; ad eam equo ſedens acceſſiſſe, eamque de ha-

de haſtæ ſuæ cuſpide tetigiſſe dicens: Vſque hic erunt Langobardorum fines. Quæ columna vſque hodie dicitur perſiſtere, & Columna Authari appellari.

CAP. XXXIIII.

Fuit autem primus Langobardorum dux in Beneuento nomine Zotto, qui in ea principatus eſt per curricula viginti annorum.

CAP. XXXV.

XVII. *Interea Authari rex legationem verbis pacificis ad Guntrammum regem Francorũ, patruum ſcilicet Childeberti regis, direxerat, à quo legati iidem iocunde ſuſcepti, ſed ad Childebertum, qui ei nepos ex fratre erat, directi ſunt, vt per eius nutum, pax cum gente Langobardorum firmaretur. Erat autem Guntrammus iſte, de quo diximus, rex pacificus, & omni bonitate conſpicuus. Cuius vnum factum ſatis admirabile, libet nos huic noſtræ hiſtoriæ breuiter inſerere, præſertim cum hoc Francorum hiſtoria nouerimus minime contineri. Is cum venatum quodam tempore in ſiluam iſſet, & vt ſolet fieri, has illacque diſcurrentibus ſociis, ipſe cum vno fideliſſimo tantum ſuorem anſiſſet, grauiſſimo ſomno depreſſus, caput in genibus eiuſdem fidelis ſui reclinans, obdormiuit. De cuius ore parum animal, in*

mal in modum reptilis egressum, tenuẽ riuulum propter discurrebat, vt transire posset satagere cœpit. Tunc isdem in cuius gremio quiescebat, spatham suam vagina exemtam, super eundem riuulum posuit, super quam illad reptile, de quo diximus, ad partem aliam transmeauit. Quod tum non longe exinde, in quoddam foramen montis ingressum fuisset, & post aliquantum spatij regressum, super eandem spathã prefatum riuulum transmeasset, rursum in os Gunthrami de quo exierat introiuit. Gunthrammus post hæc expergefactus, mirificam se visionem vidisse narrauit. Retulit enim apparuisse sibi in somnis, quod fluuium quemdam per pontem ferreum transisset, & sub monte quodam introisset, vbi multa auri pondera aspexisset. Is vero in cuius gremio caput tenuerat, cum dormisset, quid de eo viderat, ei per ordinem retulit. Quid plura? Effossus est locus ille, & inestimabiles thesauri, qui ibidem antiquitus positi fuerant, sunt reperti. De quo auro ipse rex postmodum ciborium solidum miræ magnitudinis & magni ponderis fecit, multisq; illud pretiosissimis gemmis decoratum, ad sepulchrum domini Hierosolymam transmittere voluit. Sed cum minime potuisset, idem supra corpus Beati Marcelli martyris, quod in ciuitate Cauallonno sepultum

est, vbi sedes regni illius erat, poni fecit, & est ibi vsque in præsentem diem. Nec est vsquam vllum opus ex auro effectũ, quod ei valeat comparari. Sed nos his breuiter, quæ relatu digna erant, contactis, ad historiam reuertamur.

XVIII. CAP. XXXVI.

Interim dum legati Authari regis in Francia morarentur, rex Authari apud Ticinum Nonas Septembris veneno, vt tradunt, accepto moritur, postquam sex regnauerat annos. Statimque à Langobardis legatio ad Childebertum regem Francorum missa est, quæ Authari regis mortem eidem nuntiaret, & pacem ab eo expeteret. Quod ille audiens, legatos quidem suscepit, pacem vero in posterum se daturum promisit. Qui tamen præfatos legatos post aliquot dies promissa pace absoluit. Reginam vero Theudelindam, quæ satis placebat Langobardis, permiserunt in regia consistere dignitate, suadentes ei vt sibi quem voluisset ex omnibus Langobardis virum eligeret, talem scilicet, qui regnum regere vtiliter posset. Illa vero consilium cum prudentibus habens, Agilulfum ducem Taurinatium, & sibi virum, & Langobardorum genti regem elegit. Erat enim isdem vir strenuus & bellicosus, & tam forma, quam animo ad regni

guberna-

gubernacula coaptates. Quem ſtatim regina ad ſe venire mandauit, ipſaque ei obuiam ad Laumellum oppidum properauit. Qui cum ad eam veniſſet, ipſa ſibi poſt aliquot verba vinum propinari fecit. Quæ cum prior bibiſſet, reſiduum Agilulfo ad bibendum tribuit. Is cum reginæ accepto poculo manum honorabiliter oſculatus eſſet, regina cum rubore ſubridens, non debere ſibi manum oſculari ait, quem oſculum ſibi ad os iungere oporteret. Moxque eum ad ſuum baſium erigens, ei de ſuis nuptiis, deque regni dignitate aperuit. Quid plura? Celebrantur cum magna lætitia nuptiæ, ſuſcepit Agilulfus, qui erat cognatus regis Authari, inchoante iam menſe Nouembrio regiam dignitatem. Sed tamen congregatis in vnum Langobardis, poſtea menſe Maio, ab omnibus in regnum apud Mediolanum leuatus eſt.

Explicit liber tertius, de geſtis Langobardorum.

Incipiunt

CAPITA LIBRI QVARTI.

CAP. I.

QVOD Agilulfus rex pro captiuis legatos in Franciam misit.

CAP. II.

De siccitate quæ eodem anno fuit, & de locustis.

CAP. III.

Quod rex Agilulfus Minulfum occidit, & de rebellatione Gaidulfi & Vlfari.

CAP. IIII.

De peste apud Rauennam & de bello Childeberti cum filio Hilperici.

CAP. V.

Quod codicem dialogum beatus Gregorius Theudelindæ reginæ direxit.

CAP. VI.

De bonis actibus eiusdem Theudelindæ reginæ.

CAP. VII.

Quod Tassilo à Childeberto Francorum rege rex ordinatus est.

CAP. VIII.

Quod Romanus Patricius ciuitates quas Langobardi

Digitized by Google

Langobardi tenebant inuasit, & quia rex Agilulfus Maurisionem ducem occidit, & quia cum beato Gregorio & Romanis pacem fecit.

CAP. IX.

Epistola beati Gregorij ad Theudelindam reginam.

CAP. X.

Item eiusdem Epistola ad Agilulfum regem.

CAP. XI.

De stella comete, & morte Iohannis Episcopi, & Euin ducis, & de Baioariis.

CAP. XII.

De morte Childeberti Francorum regis, & de bello Auarorum cum Francis, & de translitu Guntramni regis.

CAP. XIII.

Quia Cacanus legatos ad Agilulfum misit, & de pace cum Gallino patricio.

CAP. XIIII.

De pace Agilulfi cum Francis, & de morte Zangrulfi & Warnecautij.

CAP. XV.

De peste apud Rauennam, & mortalitate apud Veronam.

CAP. XVI.

De ſigno ſanguineo in cœlo, & bello Francorum inter ſe.

CAP. XVII.

De morte Ariulfi ducis Spoletani, & de ducatu Thudelapij.

CAP. XVIII.

De prædicatione facta à Langobardis in cœnobio Sancti Benedicti.

CAP. XIX.

De morte Zottonis, & ducatu Arichis.

CAP. XX.

Epiſtola beati Gregorij Papæ ad eundem Arichis.

CAP. XXI.

De captiuitate filiæ regis Agilulfi & quia rex Agilulfus Cacano artificem direxit.

CAP. XXII.

De baſilica beati Iohannis in Modicia, quam Theudelinda regina ædificauit.

CAP. XXIII.

De palatio quod conſtruxit.

CAP. XXIIII.

De ſubuerſione Patauinæ vrbis.

CAP. XXV.

De pace facta cum Auaribus, & quod Langobardi Hiſtriam ſunt ingreſſi.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXVI.
De natiuitate Adaloaldi filij Agilulfi, & inuasione montis Silicis.
CAP. XXVII.
De morte Mauricij Imperatoris.
CAP. XXVIII.
De Gaidoaldo & Gisulfo ducibus, & de baptismo Adaloaldi.
CAP. XXIX.
De captu Cremonæ & Mantuæ, & de morte filiæ regis, & de bello Francorum.
CAP. XXX.
De transitu beati Gregorij Papæ & eius sanctitate.
CAP. XXXI.
De regno Adaloaldi, & de pace facta cum Francis. CAP. XXXII.
Bellum Francorum cum Saxonibus.
CAP. XXXIII.
De pace facta cum Smaragdo Patricio, & de captis Tusciæ ciuitatibus.
CAP. XXXIIII.
De morte Seueri Patriarchæ, & de sacerdotio Iohannis & Candidiani.
CAP. XXXV.
De inuasione Neapolitanæ ciuitatis, & de morte Eleutherij falsi Imperatoris.

CAP. XXXVI.

De pace facta cum Imperatore.

CAP. XXXVII.

De Foca Augusto & eius nece, & imperio Eraclij.

CAP. XXXVIII.

De morte Gisulfi ducis, & de prędatione Foroiulianæ vrbis, & ceteris malis quæ Langobardi à Hunis sunt perpessi.

CAP. XXXIX.

De Genealogia Pauli Warnefridi.

CAP. XL.

De ducatu & de morte Tasonis & Saconis.

CAP. XLI.

De Grasulfo duce Foroiuliano, & de adventu Radoaldi, & Grimoaldi in Beneuentum.

CAP. XLII.

De facta pace cum Imperatore & Francis, & depopulatione Histriæ, & morte Gundualdi.

CAP. XLIII.

De morte Agilulfi, & de regno Adaloaldi, & eius expulsione, & regno Arialdi.

CAP. XLIIII.

De morte Arialdi & regno Rothari, & quia dux Arichis filium suum Aionem ad regem direxit.

CAP.

CAP. XLV.
De morte Arichis Beneuentani ducis, & ducatu Aionis.
CAP. XLVI.
De morte Aionis, & de ducatu Radoaldi.
CAP. XLVII.
De ciuitatibus quas Rothari cepit.
CAP. XLVIII.
De morte Radoaldi ducis, & quia ei in ducatu Grimoaldus eius germanus succeſſit.
CAP. XLIX.
De morte Rothari regis, & regno Rodoaldi.
CAP. L.
De morte Rodoaldi regis, & regno Ariperti.
CAP. LI.
De morte Heraclij Auguſti, & Conſtantini qui ei ſucceſſit, & regno alterius Conſtantini.
CAP. LII.
De Cæſara regina Perſarum.
CAP. LIII.
De morte Ariperti, & Godeberti filij eius qui ei ſucceſſit, & regno Grimoaldi, & interitu Garibaldi ducis.

EXPLICIVNT CAPITVLA.

Digitized by Google

Incipit

LIBER QVARTVS

De gestis Langobardorum.

I. CAP. I.

CONFIRMATA *igitur Agilulfi (qui & Ago dictus est) regia dignitate, causa eorum qui ex castellis Tridentinis captiui à Francis ducti fuerant, Agnellum Episcopum Tridentinum in Franciam misit. Qui exinde rediens aliquantos captiuos, quos Brunihildis regina Francorum ex proprio pretio redemerat, reuocauit. Euin quoque dux Tridentinorum ad obtinendam pacem ad Gallias perrexit, qua & impetrata regressus est.*

CAP. II.

Hoc anno fuit siccitas nimium grauis à mense Ianuario, vsque ad mensem Septembrium, & facta est magna penuria famis. Venit quoque & magna locustarum multitudo in territorium Tridentinum, quæ maiores erant quam ceteræ locustæ. Hæ, mirum dictu, herbas paludesque depastæ sunt, segetes vero agrorum exiguæ contigerunt. Sequenti quoque anno pari nihilominus modo aduentarunt.

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

Hiis diebus Agilulfus rex occidit Minulfum ducem de insula sancti Iuliani, eo quod se superiori tempore Francorum ducibus tradidisset. Gaidulfus vero Pergamensis dux in ciuitate sua Pergamo rebellans contra regem se communiuit; sed datis obsidibus pacem cum eo fecit. Rursum se Gaidulfus, in insula Comacina reclusit. Agilulfus vero rex in eandem Comacinam insulam ingressus, homines Gaidulfi exinde expulit, & thesaurum quem ibidem à Romanis positum inuenerat, Ticinum transtulit. Gaidulfus vero iterato Pergamum confugiens, ibique ab Agilulfo rege obtentus, rursus in gratiam receptus est. Rebellauit quoque dux Vlfari contra Agilulfum regem apud Tarusium, & obsessus captusque est ab eo.

CAP. IIII. II.

Hoc anno fuit pestis inguinaria iterum apud Rauennam, Gradas & Histriam nimium grauis, sicut & prius ante triginta annos extiterat. Hoc etiam tempore Agilulfus rex cum Auaribus pacem fecit. Childebertus quoque bellum gessit cum consobrino suo Hilperici filio, in quo prælio vsque ad triginta milia hominum cæsa sunt.

Digitized by Google

ſunt. Fuit autem tunc hyems frigida nimis, qualem vix aliquis prius recolebat fuiſſe. In regione quoque Brionum ſanguis de nubibus fluxit. Et interim fluuij quaſi riuuli cruoris emanauerunt.

CAP. V.

His diebus ſapientiſſimus & beatiſſimus Papa Gregorius Romanæ urbis, poſtquam alia multa ad utilitatem ſanctæ Eccleſiæ ſcripſerat, etiam libros quatuor de vita Sanctorum compoſuit, quem codicem Dialogum, id eſt, duorum locutionem, quia eum colloquens cum ſuo diacono Petro ediderat, appellauit. Hos igitur libros præfatus Papa Theudelindæ reginæ direxit, quam ſciebat utique & Chriſti fidei deditam, & in bonis actibus eſſe præcipuam.

CAP. VI.

Per hanc quoque reginam multum utilitatis Dei Eccleſia conſecuta eſt. Nam pene omnes Eccleſiarum ſubſtantias Langobardi, dum adhuc gentilitatis errore tenerentur, inuaſerunt; Sed huius ſalubri ſupplicatione Rex permotus, & catholicam fidem tenuit, & multas poſſeſſiones eccleſiæ Chriſti largitus eſt, atque Epiſcopos qui in depreſſione & abiectione erant, ad dignitatis ſolitæ honorem reduxit.

CAP.

Digitized by

CAP. VII.

Hiis diebus Taſsilo à Childeberto rege Francorum apud Baioariam rex ordinatus eſt. Qui mox cum exercitu in Sclauorum prouinciam introiens, patrata victoria ad ſolum proprium cum maxima præda remeauit.

CAP. VIII. III.

Hac etiam tempeſtate Romanus Patricius & Exarchus Rauennæ, Romam properauit. Qui dum Rauennam reuertitur recepit ciuitates, quæ à Langobardis tenebantur, quarum iſta ſunt nomina: Sutrium, Polimartiũ, Horta, Tudertum, Ameria, Peruſia, Luceolis, & alias quaſdam ciuitates. Quod factum cum regi Agilulfo nunciatum eſſet, ſtatim Ticino egreſſus cum valido exercitu ciuitatem Peruſium petiit, ibique per dies aliquot Mauriſionem ducem Langobardorum, qui ſe Romanorum partibus tradiderat, obſedit, & ſine mora captum, vita priuauit. Huius regis aduentu in tantum beatus Gregorius papa exterritus eſt, vt ab expoſitione templi, de quo in Ezechiele legitur, deſiſteret, ſicut ipſe quoque in ſuis homiliis refert. Rex igitur Agilulfus rebus compoſitis Ticinum repedauit. Nec multum poſt, ſuggerente maxime Theudelinda

linda regina ſua coniuge, ſicut eam beatus Gregorius ſuis epiſtolis ſæpius admonuit, cum eodem ſanctiſſimo Papa Gregorio, atque Romanis, pacem firmiſſimam pepigit, eidemque regine, idem venerabilis ſacerdos, pro gratiarum actione hanc epiſtolam direxit.

CAP. IX.

Gregorius Theudelindæ reginæ Langobardorum. Quia excellentia veſtra ad faciendam pacem ſtudioſius & benigne ſe ſicut ſolet impenderit, renuntiante filio noſtro Probo abbate cognouimus. Nec enim aliter de Chriſtianitate veſtra confidendum fuit, niſi quia in cauſa pacis laborem & bonitatem veſtram omnibus monſtraretis. Vnde omnipotenti Deo gratias agimus, qui ita cor veſtrum ſua pietate regit, vt ſicut fidem rectam tribuit, ita quoque placita ſibi vos ſemper operari concedit. Non enim, excellentiſſima filia, de ſanguine, qui ab vtraque parte fundendus fuerat, paruam te credas adquiſiſſe mercedem. Ex qua re voluntati veſtræ gratias referentes, Dei noſtri miſericordiam deprecamur, vt bonorum vobis vicem in corpore & anima, hic & in futuro compenſet. Salutan-

tes

tes vos præterea paterna dilectione hortamur, vt apud excellentiſſimum coniugem veſtrum illa agatis, quatinus Chriſtianæ reipublicæ ſocietatem non renuat. Nam ſicut & vos ſcire credimus, multis modis eſt vtile, ſi ſe ad eius amicitiam conferre voluerit. Vos ergo more veſtro quæ ad gratiam partium pertinent ſemper ſtudete, atque vbi cauſa mercedis ſe dederit, elaborate, vt bona veſtra amplius ante omnipotentis Dei oculos commendetis.

CAP. X.

Gregorius Agilulfo regi Langobardorum. Gratias excellentiæ veſtræ refero, quia petitionem noſtram audientes, pacem quam vtriſque eſſe partibus credebamus profuturam, ſicut de vobis confidentiam habuimus, ordinaſtis. ex qua re excellentiæ veſtræ prudentiam & bonitatem valde laudamus, quia pacem diligendo, Deum vos, qui auctor eſt eius, amare monſtraſtis. Nam ſi (quod abſit) facta non fuiſſet, quid agi debuit, niſi vt cum peccato & periculo partium, miſerorum ruſticorum ſanguis, quorum labor vtriſque proficit, funderetur. Sed vt prodeſſe nobis eandem pacem

cem quemadmodum à nobis facta eſt, ſentiamus, paterna caritate vos ſalutantes petimus, vt quotiens occaſio ſe dederit, ducibus veſtris per diuerſa loca, & maxime in his partibus conſtitutis, veſtris præcipiatis exemplis, vt hanc pacẽ ſicut promiſſum eſt pure cuſtodiant, & occaſiones ſibi aliquas non quærant, vnde aut contentio quædam aut ingratitudo naſcatur, quatinus voluntati veſtræ gratias agere valeamus. Latores vero præſentium literarum, ſicut reuera homines veſtros, in eo quo decuit affectu ſuſcepimus, quia iuſtum fuit, vt viros ſapientes, & qui pacem factam Deo propitio nuntiarunt, cum caritate & ſuſcipere & dimittere deberemus.

IIII. CAP. XI.

Inter hæc ſequenti menſe Ianuario, apparuit ſtella cometa mane & veſpere per totum menſem. Eo quoque temporis menſe defunctus eſt Iohannes Archiepiſcopus Rauennæ, cuius in locum Marianus ciuis Romanus ſubſtitutus eſt. Euin quoque duce in Tridento mortuo, datus eſt eidem loco dux Gaidoaldus vir bonus, ac fide catholicus. Hiſdem ipſis diebus Baioarij vſque ad duo millia virorum ſuper Sclauos irruunt, ſuperueniente

ueniente Cacano omnes interficiuntur. Tunc primum caballi siluatici & bubali in Italiam delati, Italiæ populis miracula fuerunt.

CAP. XII.

Hac etiam tempestate Childebertus rex Francorum ætatis anno vigesimo quinto cum vxore propria, sicut fertur, vi veneni extinguitur. Huni quoque, qui & Auares dicuntur, à Pannonio in Turingiam ingressi, bella grauissima cum Francis gesserunt. Brunichildis tunc regina cum nepotibus adhuc puerulis Theudeberto & Theuderico regebat Gallias, à quibus accepta Huni pecunia, reuertuntur ad propria. Mortuus quoque est Gunthraxnus rex Francorum, regnumque illius Brunichildis regina suscepit, cum nepotibus adhuc paruulis filiis Childeberti.

CAP. XIII.

Per id tempus Cacanus rex Hunorum legatos ad Agilulfum Mediolanum mittens, pacem cum eo fecit. Romanus quoque Patricius moritur, cui Gallicinus successit, & cum Agilulfo rege pacis concordiam iniit.

CAP. XIIII.

Hoc etiam tempore Agilulfus cum Theuderico rege Francorũ pacem perpetuam fecit. Post

hæc Agilulfus rex rebellantem sibi Zangrulfum Veronensium ducem extinxit. Gaidulfum quoque Pergamensem ducem, cui iam bis pepercerat, peremit: pari etiam modo & Warnecautium apud Ticinum occidit.

CAP. XV.

Subsequenti tempore rursus Rauennam, & eos qui circa oram maris erant, pestis grauissima vastauit. Sequenti quoque anno mortalitas valida populos Veronensium attriuit.

CAP. XVI.

Tunc etiam signum sanguineum in cælo apparuisse visum est, & quasi hastæ sanguineæ, & lux clarissima per totam noctem. Theudibertus rex Francorum eo tempore cum Clothario patruele suo bellum gerens, eius exercitum vehementer afflixit.

CAP. XVII.

Sequenti anno Ariulfus dux qui Faroaldo apud Spoletum successerat, moritur. Hic Ariulfus cum bellum contra Romanos in Camerino gessisset, victoriamque patrasset, requirere à suis hominibus cœpit, quis vir ille fuerit, qui se ipse in illo bello quod gesserat tam strenue pugnantem

Digitized by Google

tem vidisset. Cui cum sui viri responderent, se ibi nullum aliquem fortius facientem quam ipsum ducem vidisse; ille ait: Certe multum & per omnia me meliorem ibi alium vidi, qui quotiens me aduersæ partis aliquis percutere voluit, ille vir strenuus me semper suo clypeo protexit. Cumque dux ipse prope Spoletum, vbi basilica beati martyris Sabini sita est, in qua eiusdem venerabile corpus quiescit, aduenisset, interrogauit cuius hæc tam ampla domus esset. Responsum est ei à viris fidelibus, Sabinum ibi martyrem requiescere, quem Christiani quotiens in bellum contra hostes irent, solitum haberent in suum auxilium inuocare: Ariulfus vero cum adhuc esset gentilis, ita respondit: Qui potest fieri vt homo mortuus aliquod viuenti auxilium præstet? Qui cum hoc dixisset, equo desiliens, eandem basilicam conspecturus intrauit. Tunc aliis orantibus, ipse picturas eiusdem basilicæ mirari cœpit. Qui cum figuram beati martyris Sabini depictam conspexisset, mox cum iuramento affirmauit dicens, talem omnino eum virum, qui se in bello protexerat, formam habitumque habuisse. Tunc intellectum est beatum martyrem Sabinum eidem in prælio adiutorium contulisse. Igitur mortuo Ariulfo, duo filij Faroaldi superioris ducis inter se propter ducatum decertan-

tes, vnus ex ipsis quicum victoriam adeptus esset, nomine Theudelapius, ducatum suscepit.

VI. CAP. XVIII.

Circa hæc tempora cœnobium beati Benedicti patris quod in castro Casino situm est, à Langobardis noctu inuaditur. Qui vniuersa diripientes, ne vnum quidem de monachis tenere potuerunt, vt prophetia venerabilis Benedicti patris, quam longe ante præuiderat, complerentur, qua dixit, Vix apud Deum obtinere potui, vt ex hoc loco mihi animæ concederentur. Fugientes quoque ex eodem loco monachi Romam petierunt, secum codicem sanctæ regulæ, quam præfatus pater composuerat, & quædam alia scripta, nec non pondus panis & mensurã vini, & quicquid ex supellectili subripere poterant, deferentes. Cæterum post beatum Benedictum Constantinus, post hunc Simplicius, post quem Vitalis, ad extremum Bonitus congregationem ipsam rexit, sub quo hæc destructio facta est.

CAP. XIX.

Mortuo igitur Zottone Beneuentanorũ duce, Arigis in loco ipsius à rege Agilulfo missus successit, qui ortus in Foroiulij fuerat, & Gisulfi Foroiuliani ducis filios educarat, eidemque Gisulfo

fulso consanguineus erat. Ad hunc Arigis extat epistola beati Gregorij Papæ in hunc modum directa.

CAP. XX.

Gregorius Arigis Duci. Quia sic de gloria vestra, sicut reuera de filio nostro confidimus, petere à vobis aliqua fiducialiter prouocamur, arbitrantes quod minime nos patiamini cõtristare, maximè in tali re vnde vestra anima multum poterit adiuuari. Indicamus autem propter ecclesias beatorum Petri ac Pauli, aliquantas nobis trabes necessarias esse, & ideò Sabino subdiacono nostro iniunximus, de partibus Briccorum aliquantas incidere, & vt vsque ad mare in locum aptum trahere debeat. Et quia in hac re solatiis indiget, salutantes gloriam vestram, paterna caritate petimus, vt actionariis vestris qui in loco sunt deputetis, vt homines qui sub eis sunt, cum bobus suis in eius transmittere solatium debeant, quatinus vobis concurrentibus, melius quod ei iniunximus possit perficere. Nos enim promittimus quia dum res perfecta fuerit, dignum vobis xenium, quod non sit iniuriosum, transmittemus. Nam scimus nos considerare, & filiis nostris qui

bonam nobis voluntatē exhibent, respondere. Vnde iterum petimus glorioſe fili, vt ita facere debeatis, vt & nos poſſimus vobis eſſe pro præſtito beneficio debitores; & vos mercedem pro Sanctorum Eccleſiis habeatis.

CAP. XXI.

VII. *His diebus capta eſt filia regis Agilulfi, cum viro ſuo Godeſcalco nomine, de ciuitate Parmenſi, ab exercitu Gallicini patricij; & ad vrbem Rauennatium ſunt deducti. Hoc quoque tempore miſit Agilulfus rex Cacano regi Auarorum artifices ad faciendas naues, cum quibus iſdem Cacanus inſulam quandam in Thracia expugnauit.*

CAP. XXII.

Per idem quoque tempus Theudelinda regina baſilicam beati Ioannis baptiſtæ, quam in Modicia conſtruxerat, qui locus ſupra Mediolanum duodecim milibus abeſt, dedicauit, multiſque ornamentis auri argentiq; decorauit, prediiſque ſufficienter ditauit. Quo in loco etiam Theudericus quondam Gothorum rex palatium conſtruxit, pro eo quod eſtiuo tempore locus ipſe, vtpote vicinus Alpibus, temperatus ac ſalubris exiſtit.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXIII.

Ibi etiam præfata regina ſuum palatium condidit, in quo aliquid & de Langobardorum geſtis depingi fecit. In qua pictura manifeſtè oſtenditur, quomodo Langobardi eo tempore comam capitis tondebant, vel qualis illis veſtitus, qualiſve habitus erat. Si quidem ceruicem vſque ad occipitium radentes nudabant, capillos à facie vſque ad os dimiſſos habentes, quos in vtramque partem in frontis diſcrimine diuidebant. Veſtimenta vero eis erant laxa & maximè linea, qualia Angli-ſaxones habere ſolent, ornata inſtitis latioribus, vario colore contextis. Calcei vero eis erant vſque ad ſummum pollicem pene aperti, & alternatim laqueis corrigiarum retenti. Poſtea vero cœperunt haſis vti, ſuper quas equitantes tubrugos birreis mittebant. ſed hoc de Romanorum conſuetudine traxerunt.

CAP. XXIIII. VIII.

Vſque ad hæc tempora Papiæ ciuitas fortiſſime militibus repugnantibus Langobardis rebellauit. Sed tandem iniecto igne tota flammis vorantibus concremata eſt, & iuſſu regis Agilulfi ad ſolum vſque deſtructa eſt: milites tamen

men qui in ea fuerant Rauennam remeare permiſsi ſunt.

CAP. XXV.

Hac tempeſtate Agilulfi legati regreſsi à Cacano, pacem perpetuam factam cum Auaribus nuntiarunt. Legatus quoque Cacani cum eis adueniens ad Gallias perrexit, denuntians Francorum regibus, vt ſicut cum Auaribus, ita pacem habeant cum Langobardis. Inter hæc Langobardi cum Auaribus & Sclauis, Hiſtrorum fines ingreſsi, vniuerſa ignibus & rapinis vaſtauerunt.

CAP. XXVI.

Agilulfo quoque regi tunc naſcitur filius de Theudelinda regina, in Modicia palatio, qui Adaloaldus eſt appellatus. Sequenti tempore, Langobardi caſtrum montis Silicis inuaſerunt. Per idem tempus repulſo apud Rauennam Gallicino, rediit Smaragdus, qui prius fuerat Rauennæ patricius.

CAP. XXVII.

Igitur Mauritius Auguſtus poſtquam vno & viginti annis rexit imperium cũ filiis Theodoſio, & Tiberio, & Conſtantino à Foca, qui fuit ſtrator Priſci Patricij, occiditur. Fuit autem

Digitized by Google

sem vtilis reipubl. Nam sæpe contra hostes dimicans, victoriam obtinuit. Huni quoque, qui & Auares appellantur, eius virtute deuicti sunt.

CAP. XXVIII.

Hoc anno Gaidoaldus dux de Tridento, & Gisulfus de Foroiulij, cum antea à regis Agilulfi societate discordarent, ab eo in pace recepti sunt. Tunc etiam baptizatus est prænominatus puer Adaloaldus, filius Agilulfi regis, in sancto Iohanne in Modicia, & susceptus de fonte est à Secundo seruo Christi de Tridento, cuius sæpe fecimus mentionem. Fuit autem festi Paschalis dies eo tempore septimo Idus Aprilis.

CAP. XXIX. IX.

Erat autem iis diebus adhuc discordia Langobardis cum Romanis propter captiuitatem filiæ regis. Qua de causa Agilulfus rex egressus Mediolano mense Iulio, obsedit ciuitatem Cremonensem cum Sclauis, quos ei Cacanus rex Auarorum in solatium miserat, & cepit eam duodecimo Kalendas Septembris, & ad solum vsque destruxit. Pari etiam modo expugnauit Mantuam, & interruptis muris eius cum arietibus, dans veniam militibus qui erant in ea reuertendi Rauennam, ingressusq; in eam die Iduum

Septembrium. Tunc etiam partibus Langobardorum se tradidit castrum quod Vulturina vocatur. Milites vero Brexillum oppidum igni cremantes, fugerunt. His ita patratis reddita est filia regis à Smaragdo Patricio, cum viro & filiis, ac rebus cunctis: factaque est pax mense nono, vsque ad Kalendas Aprilis, indictione octaua. Filia vero regis mox à Rauenna Parmam rediit, & ob difficultatem partus periclitata, statim defuncta est. Hoc anno Theudebertus & Thexdericus reges Francorum, aduersus Clotharium patruum suum dimicarunt, in quo certamine ex vtraque parte multa milia ceciderunt.

CAP. XXX.

Tunc etiam beatus Gregorius migrauit ad Christum, cum iam Focas per indictionem octauam anno regnaret secundo. Cuius in locum ad Apostolatus officium Sabinianus est ordinatus. Fuit autem tunc hiems frigida nimis, & mortuæ sunt vites penè in omnibus locis. Messes quoque partim vastatæ sunt à muribus, partim percussæ vredine euanuerunt. Debuit etenim tunc mundus famem sitimq; pati, quando decedente tanto doctore, animas hominum spiritalis alimoniæ penuria, sitisque aridi tas inuasit. Libet me sane pauca de eiusdem beati Gregorij Papæ

scriptis,

ſcriptis, quandam Epiſtolam huic opuſculo inſerere, vt poſſit liquidius agnoſci, quam humilis iſte vir fuerit, quantæque innocentiæ & ſanctitatis. Hic denique cum accuſatus apud Mauritium Auguſtum eiuſque filios fuiſſet, quod Malcum quendam Epiſcopum in cuſtodia pro ſolidis occidiſſet, ſcribens pro hac re Epiſtolam Sabiniano ſuo apocriſiario, qui erat apud Conſtantinopolim, inter cætera ſic ait. Vnum eſt quod breuiter ſuggeras ſereniſſimis dominis noſtris, quia ſi ego ſeruus eorum in mortem Langobardorum mé miſcere voluiſſem, hodie Langobardorum gens, nec regem, nec duces, nec comites haberet, atque in ſumma confuſione diuiſa eſſet. Sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miſcere formido. Malcus autem iſdem Epiſcopus neque in cuſtodia fuit, neque in aliqua afflictione, ſed die qua cauſam dixit, & abductus eſt, neſciente me, à Bonifacio notario in domum eius ductus eſt, ibique prandidit & honoratus eſt ab eo, & nocte ſubito mortuus eſt. *Ecce quantæ humilitatis vir iſte fuit, qui cum eſſet ſummus Dei Pontifex, ſe ſeruum hominum nominauit? ecce quantæ innocentiæ qui nec in morte Langobardorum, qui vtique & increduli-*

erant,

erant, & omnia deuaſtabant, ſeſe voluit admiſcere.

CAP. XXXI.

X. *Igitur ſequenti æſtate menſe Iulio leuatus eſt Adaloaldus rex ſuper Langobardos apud Mediolanum in Circo, in præſentia patris ſui Agilulfi regis, aſtantibus legatis Theudeberti regis Francorum, & deſponſata eſt eidem regio puero filia regis Theudeberti, & firmata eſt pax perpetua cum Francis.*

CAP. XXXII.

Eodem tempore Francis cum Saxonibus pugnantibus, magna ſtrages ab vtriſque partibus facta eſt. Apud Ticinum quoque in baſilica beati Petri Apoſtoli, Petrus cantor fulmine ictus.

CAP. XXXIII.

Sequenti denique menſe Nouembrio, rex Agilulfus pacem fecit cum Smaragdo Patricio in annum vnum, accipiens à Romanis duodecim millia ſolidorum. Ciuitates quoque Tuſciæ, hoc eſt Balneum regis, & vrbs vetus à Langobardis inuaſæ ſunt. Tunc etiam menſe Aprili & Maio, apparuit in cælo ſtella quam Cometem dicunt. Debinc Agilulfus rex iterum fecit pacem cum Romanis tribus annis.

CAP.

CAP. XXXIIII.

Iliis diebus defuncto Seuero Patriarcha, ordinatur Iohannes Abbas Patriarcha in Aquileia vetere, cum consensu regis & Gisulfi ducis. In Grados quoque ordinatus est Romanis Candidianus antistes. Rursum mense Nouembrio & Decembrio, stella Cometes apparuit. Candidiano quoque defuncto apud Grados ordinatur Patriarcha Epiphanius, qui fuerat primicerius notariorum ab Episcopis qui erant sub Romanis; & ex illo tempore cæperunt duo esse Patriarchæ.

CAP. XXXV.

Hac ætate Ioannes Consinus inuasit Neapolim, quem de eadem ciuitate non multos post dies Eleutherius patricius expulit, eumque interfecit. Post hæc isdem Eleutherius Patricius eunuchus imperij iura suscepit. Qui dum à Rauenna Romam pergeret, in castro Luceolis à militibus interfectus est, caputq; eius Constantinopolim Imperatori delatum est.

CAP. XXXVI. XI.

Hac etiam tempestate misit rex Agilulfus Stabilicianum notarium suum Constantinopolim ad Focam Imperatorem. Qui rediens cum legatis

legatis Imperatoris, facta pace annuali, Agilulfo regi iidem legati imperialia munera obtulere.

CAP. XXXVII.

Focas igitur, vt præmissum est; extincto Mauricio eiusque filiis, Romanorum regnum inuadens, per octo annorum curricula principatus est. Hic rogante Papa Bonefacio statuit sedem Romanæ & Apostolicæ ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum, quia ecclesia Constantinopolitana, primam se omnium ecclesiarum scribebat. Idem alio Papa Bonefacio petente iussit in veteri fano, quod Pantheon vocabant, ablatis idololatriæ sordibus, ecclesiam beatæ semper virginis Mariæ, & omnium martyrum fieri, vt vbi quondam omnium non deorum sed dæmonum cultus erat, ibi deinceps omnium fieret memoria sanctorum. Huius tempore Prasini & Veneti per Orientem & Ægyptum ciuile bellum faciunt, ac se mutua cæde prosternunt. Persæ quoq; aduersus rempublicam grauissima bella gerentes, multas Romanorum prouincias, & ipsam Hierosolymam auferunt; & destruentes ecclesias, sanctà quoque profanantes, inter ornamenta locorum sanctorum, etiam vexillum dominicæ crucis abducunt. Contra hunc Focam Eraclianus qui Africam regebat, rebellauit,

lauit, atque cum exercitu veniens, eum regno vitaque priuauit: remque publicam Romanam, eiusdem filius Eraclius suscepit regendam.

CAP. XXXVIII. XII.

Circa hæc tempora rex Auarorum, quem sua lingua Cacanum appellant, cum immumerabili multitudine veniens, Venetiarum fines ingressus est. Huic Gisulfus Forojulianus dux cum Langobardis quos habere poterat audacter occurrit. Sed quamuis forti animo sit ate contra immensam multitudinem bellum cum paucis gereret, vndique tamen circumseptus cum omnibus suis pene extinctus est. Vxor vero eiusdem Gisulfi, nomine Romilda, cum Langobardis qui euaserant, siue eorum vxoribus & filiis qui in bello perierant, intra murorum Forojuliani castri muniuit septa. Huic erant filij Taso & Caco, iam adolescentes, Radoaldus vero & Grimoaldus, adhuc in puerili ætate erant constituti. Habebat vero & filias quatuor, quarum vna Appa, alia Gaila vocabatur, duarum vero nomina non tenemus. Communierant se quoque Langobardi & in reliquis castris, quæ his vicina erant, hoc est, in Cormones, Nemaso, Osopo, Artenia, Reunia, Glemona, vel etiam in Ibligine, cuius positio omnino inexpugnabilis existit. Pari etiam

modo,

modo, & in reliquis caſtellis, ne Hunis, hoc eſt Auaribus præda fierent, ſe communiere. Auares vero per omnes Foroiulianorum fines diſcurrentes, omnia incendiis & rapinis vaſtantes, Foroiulianum oppidum obſidione claudunt, & totis viribus expugnare moliuntur. Horum rex id eſt Cacanus, dum circa muros armatus cum magno equitatu perambularet, vt qua ex parte vrbem facilius expugnare poſſet, inquireret, hunc Romilda de muris proſpiciens, cum eum cerneret iuuenili ætate florentem, meretrix nefaria concupiuit, eique mox per nuntium mandauit, vt ſi ſe in matrimonium ſumeret, ipſa eidem ciuitatem cum omnibus qui aderant traderet. Quod rex barbarus audiens, eidem malignitatis dolo quod mandauerat ſe facturum promiſit, eamque in matrimonium ſpopondit accipere. Illa vero nihil morata, portas Foroiulienſis caſtri aperuit, & ad ſuam cunctorumque qui aderant perniciem hoſtem introduxit. Ingreſſi vero Auares cũ rege ſuo Forũ-iulij, vniuerſa quæ inuenire poterant, rapinis diripiunt. Ipſamque vrbem flammis concremantes, vniuerſos quos reppererant captiuos abducunt, fallaciter tamen eis promittentes, quod eos vnde digreſſi fuerant, Pannoniæ in finibus collocarent. Qui cum patriam reuertentes, & ad campum

Digitized by Google

campum quem ſacrum nominant peruenissent, omnes qui iam in maiori ætate constituti erant Langobardos, perimere gladio statuunt: mulieres vero & paruulos captiuitatis sorte diuidunt. Taso vero & Cacco seu Rodoaldus filij Gisulfi & Romildæ, cùm hanc Auarorum malitiam cognouissent, statim ascensis equis fugam arripiunt. E quibus vnus Grimoaldum puerulum fratrem suũ, dum existimaret vtpote paruulum super equum currentem se tenere non posse, melius ducens eundem gladio perimere, quam captiuitatis iugum sustinere, eum occidere voluit. Cum igitur vt eum percuteret lanceam eleuasset, puer lacrimans exclamauit, dicens: Noli me pungere, quia possum me super equum tenere. Qui iniecta manu eum per brachium apprehendens, super nudum equi dorsum posuit, eundemque vt se contineret hortatus est. Puer vero frenum equi manu arripiens, fugientes germanos & ipse secutus est. Quo comperto Auares, mox ascensis equis eos persecuti sunt, & reliquis veloci fuga euadentibus, Grimoaldus puerulus, ab vno eorum qui velocius cucurrerat capitur, nec tamen eum suus comprehensor gladio ferire propter paruitatem ætatis dignatus est, sed sibi eundem potius seruiturum reseruauit. Cumque eum ad castra reuertens apprehenso eiusdem

equi fræno reduceret, deque tam nobili præda exultaret, (erat enim ipse puerulus eleganti forma, micantibus oculis, lacteo crine perfusus,) qui cum se captivum trahi doleret, ingentes animos angusto in pectore versans, ensem qualem in illa ætate habere poterat vagina exemit, seque trahentem Auarem, quamulo amisso valuit, capitis in vertice percussit. Moxque ad cerebrum ictus perueniens, hostis ab equo dejectus est. Puer vero Grimoaldus verso equo fugam lætabundus arripiens, tandem fratribus junctus est, eisque liberatione sui nuntiata, insuper hostis interitu, inæstimabile gaudium fecit. Auares vero omnes Langobardos, qui jam in virili ætate erant, gladio perimunt; mulieres vero & parvulos captivitatis jugo abducunt. Romildam vero, quæ totius malitiæ caput extitit, rex Auarum propter jusjurandum sicut ei sponderat nocte una quasi in matrimonio habuit, novissime vero duodecim Auaribus tradidit, qui eam per totam noctem vicibus sibi succedentes libidine vexarent. Postmodum quoque palum in medio campo configi præcipiens, eandem in ejus acumine inseri mandauit, hæc insuper exprobrando inquiens, talem te dignum est maritum habere. Igitur dira proditrix patriæ, tali exitio periit, quæ amplius suæ libidini, quam civium & consangui-

ſanguineorum ſaluti proſpexit. Filiæ vero eius non matris libidinẽ ſecutæ, ſed caſtitatis amori ſtudentes, ne ab Auaribus contaminarentur, crudorum pullorum carnes ſibi inter mammas ſub faſcia poſuerunt, quæ ex calore putrefactæ odorem fœtidum exhalabant. Cumque eas vellent Auares contingere, non ſuſtinentes fœtorem, putabant eas naturaliter ita fœtere, procul ab eis cum execratione recedentes, atque dicentes, omnes Langobardas fœtidas eſſe. Hac igitur arte Auarum libidinem puellæ nobiles euadentes, & ipſæ caſtæ ſeruatæ ſunt, & vtile ſeruandæ caſtitatis, ſi quid tale feminis contigerit, mandauerunt exemplum. Quæ poſtea per diuerſas regiones venundatæ, iuxta nobilitatem ſuam dignis ſunt nuptiis potitæ. Nam vna earum Alamannorum regi, alia vero dicitur Baioariorum principi nupſiſſe.

CAP. XXXIX. XIII.

Exigit vero locus, poſtpoſita generali hiſtoria, pauca etiam priuatim de mea qui hæc ſcribo genealogia retexere, & quia res ita poſtulat, paulo ſuperius narrationis ordinem replicare. Eo denique tempore quo Langobardorum gens de Pannoniis ad Italiam venit, Leuphis meus abauus, ex eodem Langobardorum genere cum eis

pariter aduentauit. Qui postquam aliquot annos in Italia vixit, diem claudens extremum, quinque ex se genitos filios adhuc parvulos reliquit, quos tempestas ista captiuitatis, de qua nunc diximus, comprehendens, omnes ex castro Foroiulicnsi, in Auarum patriam exules deduxit. Qui cum per multos annos in eadem regione captiuitatis miseriam sustinuissent, & iam ad virilem peruenissent etatem, ceteris quatuor, quorum nomina non retinemus, in captiuitatis angustia persistentibus, quintus eorum germanus, nomine Lupicis, qui noster postea proauus extitit, inspirante sibi (vt credimus) misericordiæ autore, captiuitatis iugum abiicere statuit, & ad Italiam, quo gentem Langobardorum residere meminerat, tendere, atque ad libertatis iura studuit repedare. Qui cum iter aggressus fugam arripuisset, tantum pharetram, & arcum, & alsquantulum cibi propter viaticum gerens, nesciretque omnino quo pergeret, ei lupus aduenicns comes itineris & dvctor factus est. Qui cũ ante eum pergeret, & frequenter post se respiceret, & cum stante subsisteret, atq; cum pergente præiret, intellexit sibi eum diuinitus datum esse, vt ei iter quod nesciebat ostenderet. Cumque per aliquot dies per montium solitudines hoc modo pergerent, panis eidem viatori,

quem

Digitized by Google

quem exiguum habuerat, omnino defecit. Qui cum ieiunans iter carperet, & iam fame tabefactus defeciſſet, tetendit arcum ſuum, & eundem lupum, vt eum in cibum ſumere poſſet, ſagitta interficere voluit. Sed lupus ictum frementis præcauens, ab eius viſione elapſus eſt. Ipſe autem recedente eodem lupo neſciens quo pergeret, inſuper famis penuria nimium debilis effectus, cum iam de vita deſperaret, ſeſe in terram proiiciens obdormiuit, videtque quendam virum in ſomnis talia ſibi verba dicentem: Surge qui dormis: arripe viam in hanc partem contra quã pedes tenes; illac etenim eſt Italia, ad quam tendis. Qui ſtatim ſurgens, in illam partem quam in ſomnis audierat pergere cœpit: nec mora, ad habitaculum hominum peruenit. Erat enim Sclauorum habitatio in illis locis. Quem cum vna mulier iam vetula vidiſſet, ſtatim intellexit eum fugitiuum eſſe, & famis penuria laborare. Ducta autem miſericordia ſuper eum, abſcondit eum in domo ſua, & ſecreto paulatim ei victum miniſtrauit, ne ſi ei vſque ad ſaturitatem alimoniam præberet, eius vitam funditus extingueret. Denique ſic competenter ei paſtum præbuit, quouſque ipſe recuperatus vires accipere potuiſſet. Cumque eum iam validum ad iter faciendum vidiſſet, datis ei cibariis, ad

quam partem tendere deberet, admonuit. Qui post aliquot dies Italiam ingressus, ad domum in qua ortus fuerat peruenit. Quæ ita deserta erat, vt non solum tectum nõ haberet, sed etiam rubis & sentibus plena esset. Quibus ille succisis, intra eosdem parietes vastam ornum reperiens, in hac suam pharetram suspendit. Qui postea consanguineorum & amicorum suorum muneribus ditatus, & domum reædificauit, & vxorem duxit, sed nihil de rebus quas genitor suus habuerat, exclusus iam ab iis qui eas inuaserant longa & diuturna possessione, conquirere potuit. Iste, vt iam superius præmisi, extitit meus proauus. Hic etenim genuit auum meum Arichim, Arichis vero patrem meum Warnefrid, Warnefrid ex Theudelinda coniuge sua genuit me Paulum, meumque germanum Arichim, qui nostrum auum cognomine retulit. His paucis de propriæ genealogiæ serie delibatis, nunc generalis historiæ reuertamur ad tramitem.

XIIII. CAP. XL.

Mortuõ, vt diximus, Gisulfo Foroiuliensi duce, Taso & Cacco filij eius eundem ducatum regendum susceperunt. Hij suo tempore Sclauorum regionem quæ Zellia appellatur, vsque ad locum qui Medaria dicitur, possederunt. Vnde

vsque

vſque ad tempora Ratchis ducis, iidem Sclaui penſionem Foroiulianis ducibus perſoluerunt. Hos duos fratres Gregorius Patricius Romanorum in ciuitate Opitergio doloſa fraude peremit. Nam promittens Taſoni vt ei barbam ſicut moris eſt incideret, eumque ſibi filium faceret, ipſe Taſo cum Caccone germano ſuo & electis iuuenibus ad eundem Gregorium nihil mali metuens aduenit. Qui mox cum Opitergium cum ſuis eſſet ingreſſus, ſtatim iſdem Patricius ciuitatis portas claudi præcepit, & armatos milites ſuper Taſonem eiuſque ſocios miſit. Quod Taſo cum ſuis comperiens, audacter ſe ad prælium præparauit, vltimumque ſibi data pace valedicentes, per ſingulas ciuitatis plateas hac illacque diſperſi, quoſcunque obuios habere poterant trucidantes, cum magnam ſtragem de Romanis feciſſent, ad extremum etiam ipſi perempti ſunt. Gregorius vero Patricius propter iuſiurandum quod dederat, caput Taſonis ſibi deferri iubens, eius barbam ſicut promiſerat periurus abſcidit.

CAP. XLI.

Hiis ita peremptis, dux Foroiulianus Graſulfus Giſulfi germanus conſtituitur. Radoaldus vero & Grimoaldus, deſpectui ducentes ſub patrui ſui Graſulfi poteſtate degere, cum eſſent iam

Digitized by Google

prope iuuenilem ætatem, aſcenſa nauicula remigantes ad Beneuenti fines perueniunt. Exinde ad Arichim Beneuentanorum ducem, ſuum quondam pædagogum, properantes, ab eo gratiſſime ſuſcepti & filiorum loco ſunt habiti. His temporibus mortuo Taſſilone duce Baioariorum, filius eius Garibaldus, in Agunto à Sclauis deuictus eſt, & Baioariorum termini deprædantur. Reſumptis tamen Baioarij viribus, & prædas ab hoſtibus excutiunt, & hoſtes de ſuis finibus pepulerunt.

CAP. XLII.

Rex vero Agilulfus pacem cum Imperatore in annum vnum, itemque in alterum faciens, cum Francis quoque iterato pacem renouat. Hoc nihilominus anno Sclaui Hiſtriam interfectis militibus lacrimabiliter deprædati ſunt. Sequenti quoque menſe Martio defunctus eſt apud Tridentum Secundus ſeruus Chriſti, de quo ſæpe iam diximus, qui vſque ad ſua tempora ſuccinctam de Langobardorum geſtis compoſuit hiſtoriolam. Eo tempore rex Agilulfus cum imperatore iterato pacem compoſuit. Occiſus quoque eſt his diebus Theudebertus rex Francorum, & facta eſt pugna grauiſſima inter eos. Gundualdus etiam Theudelindæ reginæ germanus, qui erat

Digitized by Google

erat dux in ciuitate Astensi, nemine sciente auctorem mortis ipsius, hoc ipso in tempore sagitta ictus interiit.

CAP. XLIII. XV.

Igitur Agilulfus rex, qui & Ago est appellatus, postquam viginti & quinque annos regnauerat, diem clausit extremum, relicto in regno filio suo Adaloaldo admodum puero, cum Theudelinda matre. Sub hiis ecclesiæ restauratæ sunt, & multæ dationes per loca venerabilia largitæ. Sed cum Adaloaldus euersamente insaniret, postquam cum matre decem regnauerat annis, de regno eiectus est, & à Langobardis in eius loco Arioaldus substitutus est. De cuius rebus gestis, ad nostram notitiam minime aliquid peruenit. Circa hæc tempora beatus Columbanus ex Scotorum genere oriundus, postquam in Gallia in loco qui Luxouius dicitur, monasterium construxerat, in Italiam veniens à Langobardorum rege gratanter exceptus est, cœnobiumque quod Bobium appellatur, in Alpibus Cottiis ædificauit, quod quadraginta milibus ab vrbe diuiditur Ticinensi. Quo in loco & multæ possessiones à singulis principibus siue Langobardis largitæ sunt, & magna ibi facta est congregatio monachorum.

CAP. XLIIII.

Igitur Arioaldus postquam super Langobardos duodecim annis regnum tenuit, ab hac luce subtractus est. Langobardorum regnum Rothari genere Arodus suscepit. Fuit autem viribus fortis, & iustitiæ tramitem sequens, sed tamen fidei Christianæ non rectam lineam tenens, Arrianæ hæreseos perfidia maculatus est. Siquidem Arriani minorem patre filium, spiritum quoque sanctum minorem patre & filio ad suam perniciem dicunt. Nos autem Catholici patrem & filium & spiritum sanctum, in tribus personis unum & verum Deum, equali potentia eademque gloria confitemur. Huius temporibus pene per omnes ciuitates regni eius duo Episcopi erant, unus Catholicus, & alter Arrianus. In ciuitate quoque Ticinensi usque nunc ostenditur, ubi Arrianus Episcopus, apud basilicam Sancti Eusebij residens, baptisterium habuit, cum tamen ecclesiæ catholicæ alius Episcopus præsideret. Qui tamen Arrianus Episcopus, qui in eadem ciuitate fuit Anastasius nomine, ad fidem catholicam conuersus, Christi postea ecclesiam rexit. Hic Rothari rex, Langobardorum leges, quas sola memoria & usu retinebant, scriptorum serie composuit, codicemque ipsum

ipſum Edictum appellari præcepit. Erat autem iam ex quo Langobardi in Italiam venerant, annus ſeptuageſimus ſeptimus, ſicut idem rex in ſui edicti teſtatus eſt prologo.

CAP. XLV.

Ad hunc regem Arichis dux Beneuenti filium ſuum Aionem direxit. Qui cum Rauennam veniſſet, Ticinum pergens, ibi ei Romanorum malitia talis potio data eſt, quæ eum mente excedere faceret: atq; ex eo tempore nunquam pleni ſanique ſenſus fuit. Igitur cum dux Arichis, huius de quo diximus pater, iam maturus annis ad diem vltimum propinquaſſet, ſciens filium ſuum Aionem non recti eſſe ſenſus, Radoaldum & Grimoaldum iam florem iuuentutis habentes, quaſi proprios filios Langobardis qui aderant commendauit; eiſque dixit, quod melius eos regere iſti, quam Aio filius ſuus poſſet.

CAP. XLVI.

Defuncto ergo Arichis, qui ducatum quinquaginta tenuerat annis, Aio eius filius Sammitum ductor effectus eſt, cui tamen Radoaldus & Grimoaldus, ſicut ſeniori fratri & domino, per omnia paruerunt. Qui Aio cum anno & menſibus quinque Beneuentanum ducatum regeret,

Digitized by Google

regeret, venientes Sclaui cum multitudine nauium longe à ciuitate Seponto castra posuerunt: Qui occultas foueas circa sua castra facientes, cum Aio super eos absentibus Radoaldo & Grimoaldo venisset, eosque debellare vellet, equus eius in vnam de eisdem foueis cecidit, atque irruentibus super eum Sclauis, simul cum aliquantis viris extinctus est. Quod cum Radoaldo nuntiatum fuisset, cito veniens, eisdem Sclauis propria illorum lingua locutus est. Cumque propter hoc segniores ad bellum reddidisset, mox super eos irruens, magnaque strage eos prosternens, & Aionis mortem vltus est, & de illis finibus eos qui remanserant hostes fugam petere coëgit.

XVI. CAP. XLVII.

Igitur Rothari rex, Romanorum ciuitates ab vrbe Tusciæ Lunense vniuersas quæ in littore maris sitæ sunt, vsque ad Francorum fines cepit. Opitergium quoque ciuitatem inter Tarnisium & Foroiulij positam, pari modo expugnauit & diruit. Cum Rauennatibus & Romanis bellum gessit, ad fluuium Aemiliæ, quod Scultenna dicitur: in quo bello à parte Romanorum reliquis terga dantibus, octo milia ceciderunt. Eo tempore magnus Romæ terræ motus factus est, magnaque fuit inundatio aquarum. Post hæc fuit

Digitized by Google

fuit clades ſcabierum, ita vt nullus potuiſſet mortuum ſuum agnoſcere propter nimiũ inflationis tumorem. Apud Beneuentum vero mortuo Radoaldo duce, qui ducatum quinque rexerat annis, Grimoaldus eius germanus dux effectus eſt, gubernauitq; ducatum Samnitium annis viginti & quinque. Hic de captiua puella, ſed tamẽ nobili, cuius nomen Itta fuit, Romualdum filium & duas filias genuit. Qui cum eſſet vir bellicoſiſſimus, & vbique inſignis, venientibus eo tempore Græcis, vt oraculum ſancti Michaëlis Archangeli in monte Gargano ſitum deprædarentur, Grimoaldus ſuper eos cum exercitu veniens, vltima eos cæde proſtrauit.

CAP. XLVIII.

At vero rex Rothari poſtquam annos ſedecim & menſes quatuor regnum tenuerat, vitæ decedens, Langobardorum regnum Rodoaldo ſuo filio reliquit. Hic cum iuxta baſilicam beati Iohannis baptiſtæ fuiſſet humatus, poſt aliquantum tempus quidam iniqua cupiditate ſuccenſus, eius ſepulchrum noctu aperuit, & quicquid in ornamentis eius corporis reperit, abſtulit. Cui beatus Iohannes per viſionem apparens, eum vehementer exterruit, eique dixit: Cur auſus es corpus iſtius hominis cõtingere? tuerit licet non recte

fidelibus, priuato habitu propter Christianæ fidei amorem Constantinopolim venit. Quæ ab Imperatore honorifice suscepta, post aliquot dies vt desiderabat, baptismum consecuta, & ab Augusta de sacro fonte leuata est. Quod vir eius Persarum rex audiens, legatos Constantinopolim ad Augustum direxit, quatinus eidem suam vxorem redderet. Qui ad Imperatorem venientes, verba regis Persarum nunciant, qui suam requirebat reginam. Imperator hæc audiens, remque omnino ignorans, eis responsum reddidit dicens: De regina quam quæritis fatemur nos nihil scire, præter quod ad nos hic aliqua mulier priuato habitu aduenit. Legati vero respondérunt dicentes: Si placet vestro conspectui, volumus hanc quam dicitis mulierem videre. Quæ cum iussu Imperatoris aduenisset, mox vt eam conspiciunt, ad eius vestigia prouoluuntur, eique venerabiliter, quod eam suus vir requireret, suggerunt. Quibus illa respondit: Ite, renuntiate regi vestro & domino, quia nisi sicut ego iam credidi, ita & ipse in Christum crediderit, me iam vltra consortem thori habere non poterit. Quid multa? Reuersi legati ad patriam, vniuersa quæ audierant, regi nunciant. Qui nihil moratus, cum sexaginta milibus virís Constantinopolim pacifice ad Imperatorem venit, à quo

quo gratanter & satis digne susceptus est. Qui cum vniuersis in Christum dominum credens, pariter cum omnibus sacri baptismatis vnda perfusus, & ab Augusto de fonte leuatus, catholica fide confirmatus est. Multisque muneribus ab Augusto honoratus, accepta sua coniuge lætus & gaudens ad suam patriam repedauit. Circa hæc tempora mortuo apud Forumiulij Grasulfo duce Forosulienſi, ducatum Ago regendum suscepit. Apud Spoletum quoq; Theudelapio defuncto, Atto eidem ciuitati ductor efficitur.

CAP. LIII. XVIII.

Igitur Aripertus, postquam apud Ticinum per annos nouem Langobardos rexerat, diem obiens, regnum duobus filiis suis adhuc adolescentibus, Bertarido & Godeberto, regendum reliquit. Et Godebertus quidem Ticini sedem regni habuit, Bertaridus vero in ciuitate Mediolanensi. Inter quos fratres, facientibus malignis hominibus, discordiæ & odiorum fomes surrexit, in tantum vt alter alterius regnum inuadere conaretur. Qua de re Godebertus Garibaldum Taurinatium ducem ad Grimoaldum Beneuentanorum strenuum tunc ductorem direxit, inuitans eum vt quantocius veniret, & sibi aduersus germanum suum Bertaridum auxi-

equi freno reduceret, deque tam nobili præda exultaret, (erat enim ipse puerulus eleganti forma, micantibus oculis, lacteo crine perfusus,) qui cum se captivum trahi doleret, ingentes animos angusto in pectore versans, ensem qualem in illa ætate habere poterat vagina exemit, seque trahentem Auarem, quantulo annisu valuit, capitis in vertice percussit. Moxque ad cerebrum ictus perveniens, hostis ab equo dejectus est. Puer vero Grimoaldus verso equo fugam lætabundus arripiens, tandem fratribus junctus est, eisque liberatione sui nuntiata, insuper hostis interitu, inæstimabile gaudium fecit. Auares vero omnes Langobardos, qui tam in virili ætate erant, gladio perimunt, mulieres vero & parvulos captivitatis jugo abducunt. Romildam vero, quæ totius malitiæ caput extitit, rex Ataricum propter jusjurandum sicut ei spoponderat nocte una quasi in matrimonio habuit, novissime vero duodecim Auaribus tradidit, qui eam per totam noctem vicibus sibi succedentes libidine vexarent. Postmodum quoque palum in medio campo configi præcipiens, eandem in eius acumine inseri mandavit, hæc insuper exprobrando inquiens, talem te dignum est maritum habere. Igitur dira proditrix patriæ, tali exitio periit, quæ amplius suæ libidini, quam civium & consangui-

Digitized by Google

ſanguineorum ſaluti proſpexit. Filiæ vero eius non matris libidinẽ ſecutæ, ſed caſtitatis amori ſtudentes, ne ab Auaribus contaminarentur, crudorum pullorum carnes ſibi inter mammas ſub faſcia poſuerunt, quæ ex calore putrefactæ odorem fœtidum exhalabant. Cumque eas vellent Auares contingere, non ſuſtinentes fœtorem, putabant eas naturaliter ita fœtere, procul ab eis cum execratione recedentes, atque dicentes, omnes Langobardas fœtidas eſſe. Hac igitur arte Auarum libidinem puellæ nobiles euadentes, & ipſæ caſtæ ſeruatæ ſunt, & vtile ſeruandæ caſtitatis, ſi quid tale feminis contigerit, mandauerunt exemplum. Quæ poſtea per diuerſas regiones vemundatæ, iuxta nobilitatem ſuam dignis ſunt nuptiis potitæ. Nam vna earum Alamannorum regi, alia vero dicitur Baioariorum principi nupſiſſe.

CAP. XXXIX. XIII.

Exigit vero locus, poſtpoſita generali hiſtoria, pauca etiam priuatim de mea qui hæc ſcribo genealogia retexere, & quia res ita poſtulat, paulo ſuperius narrationis ordinem replicare. Eo denique tempore quo Langobardorum gens de Pannoniis ad Italiam venit, Leuphis meus abauus, ex eodem Langobardorum genere cum eis

pariter aduentauit. Qui postquam aliquot annos in Italia vixit, diem claudens extremum, quinque ex se genitos filios adhuc parvulos reliquit, quos tempestas ista captiuitatis, de qua nunc diximus, comprehendens, omnes ex castro Foroiulicnsi, in Auarum patriam exules deduxit. Qui cum per multos annos in eadem regione captiuitatis miseriam sustinuissent, & iam ad virilem peruenissent etatem, ceteris quatuor, quorum nomina non retinemus, in captiuitatis angustia persistentibus, quintus eorum germanus, nomine Lupicis, qui noster postea proauus extitit, inspirante sibi (vt credimus) misericordiæ autore, captiuitatis iugum abiicere statuit, & ad Italiam, quo gentem Langobardorum residere meminerat, tendere, atque ad libertatis iura studuit repedare. Qui cum iter aggressus fugam arripuisset, tantum pharetram, & arcum, & alsquantulum cibi propter viaticum gerens, nesciretque omnino quo pergeret, ei lupus aduenieus comes itineris & doctor factus est. Qui cũ ante eum pergeret, & frequenter post se respiceret, & cum stante subsisteret, atq; cum pergente præiret, intellexit sibi eum diuinitus datum esse, vt ei iter quod nesciebat ostenderet. Cumque per aliquot dies per montium solitudines hoc modo pergerent, panis eidem viatori,

quem

Digitized by Google

quem exiguum habuerat, omnino defecit. Qui cum iciunans iter carperet, & iam fame tabefactus defeciſſet, tetendit arcum ſuum, & eundem lupum, vt eum in cibum ſumere poſſet, ſagitta interficere voluit. Sed lupus ictum feri-entis præcauens, ab eius viſione elapſus eſt. Ipſe autem recedente eodem lupo neſciens quo pergeret, inſuper famis penuria nimium debilis effectus, cum iam de vita deſperaret, ſeſe in terram proiiciens obdormiuit, videtque quendam virum in ſomnis talia ſibi verba dicentem: Surge qui dormis: arripe viam in hanc partem contra quã pedes tenes; illac etenim eſt Italia, ad quam tendis. Qui ſtatim ſurgens, in illam partem quam in ſomnis audierat pergere cœpit: nec mora, ad habitaculum hominum peruenit. Erat enim Sclauorum habitatio in illis locis. Quem cum vna mulier iam vetula vidiſſet, ſtatim intellexit eum fugitiuum eſſe, & famis penuria laborare. Ducta autem miſericordia ſuper eum, abſcondit eum in domo ſua, & ſecreto paulatim ei victum miniſtrauit, ne ſi ei vſque ad ſaturitatem alimoniam præberet, eius vitam funditus extingueret. Denique ſic competenter ei paſtum præbuit, quouſque ipſe recuperatus vires accipere potuiſſet. Cumque eum iam validum ad iter faciendum vidiſſet, datis ei cibariis, ad

quam partem tendere deberet, admonuit. Qui post aliquot dies Italiam ingressus, ad domum in qua ortus fuerat peruenit. Quæ ita deserta erat, vt non solum tectum nõ haberet, sed etiam rubis & sentibus plena esset. Quibus ille succisis, intra eosdem parietes vastam ornum reperiens, in hac suam pharetram suspendit. Qui postea consanguineorum & amicorum suorum muneribus ditatus, & domum reædificauit, & vxorem duxit, sed nihil de rebus quas genitor suus habuerat, exclusus iam ab iis qui eas inuaserant longa & diuturna possessione, conquirere potuit. Iste, vt iam superius præmisi, extitit meus proauus. Hic etenim genuit auum meum Arichim, Arichis vero patrem meum Warnefrid, Warnefrid ex Theudelinda coniuge sua genuit me Paulum, meumque germanum Arichim, qui nostrum auum cognomine retulit. His paucis de propriæ genealogiæ serie delibatis, nunc generalis historiæ reuertamur ad tramitem.

XIIII. CAP. XL.

Mortuõ, vt diximus, Gisulfo Foroiulienſi duce, Taſo & Cacco filij eius eundem ducatum regendum ſuſceperunt. Hij ſuo tempore Sclauorum regionem quæ Zellia appellatur, vſque ad locum qui Medaria dicitur, poſſederunt. Vnde

vſque

vsque ad tempora Ratchis ducis, iidem Sclaui pensionem Foroiulianis ducibus persoluerant. Hos duos fratres Gregorius Patricius Romanorum in ciuitate Opitergio dolosa fraude peremit. Nam promittens Tasoni vt ei barbam sicut moris est incideret, eumque sibi filium faceret, ipse Taso cum Caccone germano suo & electis iuuenibus ad eundem Gregorium nihil mali metuens aduenit. Qui mox cum Opitergium cum suis esset ingressus, statim isdem Patricius ciuitatis portas claudi præcepit, & armatos milites super Tasonem eiusque socios misit. Quod Taso cum suis comperiens, audacter se ad prælium præparauit, vltimumque sibi data pace vale dicentes, per singulas ciuitatis plateas hac illacque dispersi, quoscunque obuios habere poterant trucidantes, cum magnam stragem de Romanis fecissent, ad extremum etiam ipsi perempti sunt. Gregorius vero Patricius propter iusiurandum quod dederat, caput Tasonis sibi deferri iubens, eius barbam sicut promiserat periurus abscidit.

CAP. XLI.

His ita peremptis, dux Foroiulianus Grasulfus Gisulfi germanus constituitur. Radoaldus vero & Grimoaldus, despectui ducentes sub patrui sui Grasulfi potestate degere, cum essent iam

prope iuuenilem ætatem, ascensa nauicula remigantes ad Beneuenti fines perueniunt. Exinde ad Arichim Beneuentanorum ducem, suum quondam pædagogum, properantes, ab eo gratissime susceptí & filiorum loco sunt habiti. His temporibus mortuo Tassilone duce Baioariorum, filius eius Garibaldus, in Agunto à Sclauis deuictus est, & Baioariorum termini deprædantur. Resumptis tamen Baioarij viribus, & prædas ab hostibus excutiunt, & hostes de suis finibus pepulerunt.

CAP. XLII.

Rex vero Agilulfus pacem cum Imperatore in annum vnum, itemque in alterum faciens, cum Francis quoque iterato pacem renouat. Hoc nihilominus anno Sclaui Histriam interfectis militibus lacrimabiliter deprædati sunt. Sequenti quoque mense Martio defunctus est apud Tridentum Secundus seruus Christi, de quo sæpe iam diximus, qui vsque ad sua tempora succinctam de Langobardorum gestis composuit historiolam. Eo tempore rex Agilulfus cum imperatore iterato pacem composuit. Occisus quoque est hiis diebus Theudebertus rex Francorum, & facta est pugna grauissima inter eos. Gundualdus etiam Theudelindæ reginæ germanus, qui

erat

erat dux in ciuitate Astensi, nemine sciente auctorem mortis ipsius, hoc ipso in tempore sagitta ictus interiit.

CAP. XLIII. XV.

Igitur Agilulfus rex, qui & Ago est appellatus, postquam viginti & quinque annos regnauerat, diem clausit extremum, relicto in regno filio suo Adaloaldo admodum puero, cum Theudelinda matre. Sub hiis ecclesiæ restauratæ sunt, & multæ dationes per loca venerabilia largitæ. Sed cum Adaloaldus euersamente insaniret, postquam cum matre decem regnauerat annis, de regno eiectus est, & à Langobardis in eius loco Arioaldus substitutus est. De cuius rebus gestis, ad nostram notitiam minime aliquid peruenit. Circa hæc tempora beatus Columbanus ex Scotorum genere oriundus, postquam in Gallia in loco qui Luxouius dicitur, monasterium construxerat, in Italiam veniens à Langobardorum rege gratanter exceptus est, cœnobiumque quod Bobium appellatur, in Alpibus Cottiis ædificauit, quod quadraginta milibus ab vrbe diuiditur Ticinensi. Quo in loco & multæ possessiones à singulis principibus siue Langobardis largitæ sunt, & magna ibi facta est congregatio monachorum.

CAP. XLIIII.

Igitur Arioaldus postquam super Langobardos duodecim annis regnum tenuit, ab hac luce subtractus est. Langobardorum regnum Rothari genere Arodus suscepit. Fuit autem viribus fortis, & iustitiæ tramitem sequens, sed tamen fidei Christianæ non rectam lineam tenens, Arrianæ hæreseos perfidia maculatus est. Siquidem Arriani minorem patre filium, spiritum quoque sanctum minorem patre & filio ad suam perniciem dicunt. Nos autem Catholici patrem & filium & spiritum sanctum, in tribus personis unum & verum Deum, æqualē potentia eademque gloria confitemur. Huius temporibus pene per omnes ciuitates regni eius duo Episcopi erant, unus Catholicus, & alter Arrianus. In ciuitate quoque Ticinensi usque nunc ostenditur, ubi Arrianus Episcopus, apud basilicam Sancti Eusebij residens, baptisterium habuit, cum tamen ecclesiæ catholicæ alius Episcopus præsideret. Qui tamen Arrianus Episcopus, qui in eadem ciuitate fuit Anastasius nomine, ad fidem catholicam conuersus, Christi postea ecclesiam rexit. Hic Rothari rex, Langobardorum leges, quas sola memoria & usu retinebant, scriptorum serie composuit, codicemque ipsum

ipſum Edictum appellari præcepit. Erat autem iam ex quo Langobardi in Italiam venerant, annus ſeptuageſimus ſeptimus, ſicut idem rex in ſui edicti teſtatus eſt prologo.

CAP. XLV.

Ad hunc regem Arichis dux Beneuenti filium ſuum Aionem direxit. Qui cum Rauennam veniſſet, Ticinum pergens, ibi ei Romanorum malitia talis potio data eſt, quæ eum mente excedere faceret: atq. ex eo tempore nunquam pleni ſanique ſenſus fuit. Igitur cum dux Arichis, huius de quo diximus pater, iam maturus annis ad diem vltimum propinquaſſet, ſciens filium ſuum Aionem non recti eſſe ſenſus, Radoaldum & Grimoaldum iam florem iuuentutis habentes, quaſi proprios filios Langobardis qui aderant commendauit; eiſque dixit, quod melius eos regere iſti, quam Aio filius ſuus poſſet.

CAP. XLVI.

Defuncto ergo Arichis, qui ducatum quinquaginta tenuerat annis, Aio eius filius Samnitum dux effectus eſt, cui tamen Radoaldus & Grimoaldus, ſicut ſeniori fratri & domino, per omnia paruerunt. Qui Aio cum anno & menſibus quinque Beneuentanum ducatum regeret,

regeret, venientes Sclaui cum multitudine nauium longe à ciuitate Sepontо castra posuerunt: Qui occultas foueas circa sua castra facientes, cum Aio super eos absentibus Radoaldo & Grimoaldo venisset, eosque debellare vellet, equus eius in vnam de eisdem foueis cecidit, atque irruentibus super eum Sclauis, simul cum aliquantis viris extinctus est. Quod cum Radoaldo nuntiatum fuisset, cito veniens, eisdem Sclauis propria illorum lingua locutus est. Cumque propter hoc segniores ad bellum reddidisset, mox super eos irruens, magnaque strage eos prosternens, & Aionis mortem vltus est, & de illis finibus eos qui remanserant hostes fugam petere coëgit.

XVI. CAP. XLVII.

Igitur Rothari rex, Romanorum ciuitates ab vrbe Tusciæ Lunense vniuersas quæ in littore maris sitæ sunt, vsque ad Francorum fines cepit. Opitergium quoque ciuitatem inter Tarnisium & Foroiulij positam, pari modo expugnauit & diruit. Cum Rauennatibus & Romanis bellum gessit, ad fluuium Aemiliæ, quod Scultenna dicitur: in quo bello à parte Romanorum reliquis terga dantibus, octo milia ceciderunt. Eo tempore magnus Romæ terræ motus factus est, magnaque fuit inundatio aquarum. Post hæc fuit

Digitized by Google

fuit clades ſcabierum, ita vt nullus potuiſſet mortuum ſuum agnoſcere propter nimiũ inflationis tumorem. Apud Beneuentum vero mortuo Radoaldo duce, qui ducatum quinque rexerat annis, Grimoaldus eius germanus dux effectus eſt, gubernauitq; ducatum Samnitium annis viginti & quinque. Hic de captiua puella, ſed tamẽ nobili, cuius nomen Itta fuit, Romualdum filium & duas filias genuit. Qui cum eſſet vir bellicoſiſſimus, & vbique inſignis, venientibus eo tempore Græcis, vt oraculum ſancti Michaëlis Archangeli in monte Gargano ſitum deprædarentur, Grimoaldus ſuper eos cum exercitu veniens, vltima eos cæde proſtrauit.

CAP. XLVIII.

At vero rex Rothari poſtquam annos ſedecim & menſes quatuor regnum tenuerat, vita decedens, Langobardorum regnum Rodoaldo ſuo filio reliquit. Hic cum iuxta baſilicam beati Iohannis baptiſtæ fuiſſet humatus, poſt aliquantum tempus quidam iniqua cupiditate ſuccenſus, eius ſepulchrum nocte aperuit, & quicquid in ornamentis eius corporis reperit, abſtulit. Cui beatus Iohannes per viſionem apparens, eum vehementer exterruit, eique dixit: Cur auſus es corpus iſtius hominis cõtingere? Fuerit licet non recte

recte credens, tamen mihi se commendauit. Quia igitur hoc facere præsumpsisti, nunquam in meam basilicam deinceps ingressum habebis. Quod ita quoque factum est. Quoties enim cumque voluisset beati Ioannis oraculum ingredi, statim velut à validissimo pugili guttur eius feriretur, sic subito retro ruebat impulsus. Veritatem in Christo loquor, hoc mihi ipse retulit, qui hoc ipsum suis oculis factum vidit.

CAP. XLIX.

Rodoaldus igitur post funus patris Langobardorum regnum suscipiens, Gundibergam Agilulfi & Theudelindæ sibi filiam in matrimonium sociauit. Hæc Gundiberga regina ad instar suæ genetricis, sicut illa in Modicia, sic & ista intra Ticinensem ciuitatem, basilicam in honorem beati Iohannis baptistæ construxit. Quam mire ex auro & argento pepluſque decorauit, rebusque singulis optime ditauit, in qua & eius corpus tumulatum quiescit. Hæc cum de crimine adulterij apud virum accusata fuisset, proprius eius seruus Carellus nomine, à rege expetiit, vt cum eo qui reginæ crimen ingesserat, pro castitate suæ dominæ monomachia dimicaret. Qui dum cum criminatore illo singulare certamen iniisset, cum cuncto populo astante superauit.

perauit. Regina vero post hoc factum, ad dignitatem pristinam rediit.

CAP. L. XVII.

Rodoaldus quoque (vt fertur) dum vxorem cuiusdam Langobardi stupraſſet, ab eo interfectus est, postquam septem diebus & quinque regnauerat annis. Huic succeſsit in regni regimine Aripertus, filius Gundualdi, qui fuerat germanus Theudelindæ reginæ. Hic condidit apud Ticinum oraculum domini Saluatoris, quod extra portam occidentalem, quæ dicitur Marenca, situm est, quod ornamentis variis decorauit, & substantiis sufficienter ditauit.

CAP. LI.

His diebus defuncto Heraclio Augusto, apud Constantinopolim, Heracleon eius filius cum matre Martina regni iura suscepit, rexitque imperium duobus annis. Quo vita decedente succeſsit in locum eius Constantinus germanus eiusdem, alius filius Heraclij, imperauitq; mensibus sex. Hoc etiam mortuo, Constantinus eiusdem filius ad regni dignitatem ascendit, tenuitque regnum annis octo & viginti.

CAP. LII.

Circa hæc tempora regis Persarum coniunx nomine Cæsara, de Perside exiens cum paucis suis fideli-

fidelibus, priuato habitu propter Christianæ fidei amorem Constantinopolim venit. Quæ ab Imperatore honorifice susceptа, post aliquot dies vt desiderabat, baptismum consecuta, & ab Augusta de sacro fonte leuata est. Quod vir eius Persarum rex audiens, legatos Constantinopolim ad Augustum direxit, quatinus eidem suam vxorem redderet. Qui ad Imperatorem venientes, verba regis Persarum nunciant, qui suam requirebat reginam. Imperator hæc audiens, remque omnino ignorans, eis responsum reddidit dicens: De regina quam quæritis fatemur nos nihil scire, præter quod ad nos hic aliqua mulier priuato habitu aduenit. Legati vero responderunt dicentes: Si placet vestro conspectui, volumus hanc quam dicitis mulierem videre. Quæ cum iussu Imperatoris aduenisset, mox vt eam conspiciunt, ad eius vestigia prouoluuntur, eique venerabiliter, quod eam suus vir requireret, suggerunt. Quibus illa respondit: Ite, renuntiate regi vestro & domino, quia nisi sicut ego iam credidi, ita & ipse in Christum crediderit, me iam vltra consortem thori habere non poterit. Quid multa? Reuersi legati ad patriam, vniuersa quæ audierant, regi nunciant. Qui nihil moratus, cum sexaginta milibus virís Constantinopolim pacifice ad Imperatorem venit, à quo

Digitized by Google

quo gratanter & satis digne susceptus est. Qui cum vniuersis in Christum dominum credens, pariter cum omnibus sacri baptismatis vnda perfusus, & ab Augusto de fonte leuatus, catholica fide confirmatus est. Multisque muneribus ab Augusto honoratus, accepta sua coniuge lætus & gaudens ad suam patriam repedauit. Circa hæc tempora mortuo apud Forumiulij Grasulfo duce Forouliensi, ducatum Ago regendum suscepit. Apud Spoletum quoq; Theudelapio defuncto, Atto eidem ciuitati ductor efficitur.

CAP. LIII. XVIII.

Igitur Aripertus, postquam apud Ticinum per annos nouem Langobardos rexerat, diem obiens, regnum duobus filiis suis adhuc adolescentibus, Bertarido & Godeberto, regendum reliquit. Et Godebertus quidem Ticini sedem regni habuit, Bertaridus vero in ciuitate Mediolanensi. Inter quos fratres, facientibus malignis hominibus, discordiæ & odiorum fomes surrexit, in tantum vt alter alterius regnum inuadere conaretur. Qua de re Godebertus Garibaldum Taurinatium ducem ad Grimoaldum Beneuentanorum strenuum tunc ductorem direxit, inuitans eum vt quantocius veniret, & sibi aduersus germanum suum Bertaridum auxi-

lium ferret, regisque filiam, suam germanam ei se daturum promittens. Sed legatus ipse fraudulenter contra suum dominum agens, Grimoaldum exhortatus est vt veniret, & Langobardorum regnum, quod adolescentes germani dissipabant, ipse arriperet, qui ætate maturus, consilio prouidus, & viribus fortis existeret. Grimoaldus hæc audiens, mox animum ad regnum Langobardorum obtinendum erexit. Ordinatoque apud Beneuentū Romualdo suo filio duce, ipse cum electa manu Ticinum profecturus iter arripuit, ac per omnes ciuitates quas obuiam habuit, sibi amicos & adiutores ad regnum percipiendum asciuit. Trasemundum vero comitem Capuanum per Spoletum & Tusciam direxit, vt per eas regiones Langobardos suo consortio coaptaret. Qui imperata sibi strenue perficiens, ei cum multis adiutoribus, apud Aemiliam in itinere occurrit. Igitur Grimoaldus cum prope Placentiam cum robusta virorum multitudine adueniisset, Garibaldum, qui legatus ad eum missus à Godeberto fuerat, Ticinum præmisit, vt eidem Godeberto de suo aduentu nuntiaret. Qui ad Godebertum veniens, Grimoaldum citius aduentare dixit. Cumque Godebertus ab eo quæreret, quo in loco eidē Grimoaldo hospitium præparare deberet, Garibaldus ita respondit, quod

dignum

dignum esset vt Grimoaldus qui pro eius causa venerat, eiusque sororem accepturus esset, hospitium intra palatium haberet. Quod ita quoque factum est. Nam adueniens Grimoaldus, intra palatium hospitium accepit. Isdem vero Garibaldus, totius nequitiæ seminator, Godeberto persuasit, vt non aliter quam lorica sub veste indutus, cum Grimoaldo locuturus veniret; asserens quia Grimoaldus eum occidere vellet. Rursus isdem fallendi artifex, ad Grimoaldum veniens dixit, quod nisi se fortiter præpararet, eum Godebertus suo gladio perimeret, asseuerans Godebertum quando cum eo ad colloquendum veniret, loricam sub veste gestare. Quid plura? Cum ad colloquium die crastino veniissent, & Godebertum post salutationem Grimoaldus amplexatus esset, statim sensit quod loricam sub veste gestaret. Nec mora, euaginato gladio eum vita priuauit, regnumque eius & omnem potentiam inuadens, suæ subdidit ditioni. Habebat autem tunc Godebertus iam filium paruulum nomine Reginbertum, qui à Godeberti fidelibus sublatus & occulte nutritus est. Nec eum Grimuald persequi curauit, quippe qui adhuc infantulus esset. Quo audito Bertaridus qui apud Mediolanum regnabat, quod germanus eius esset extinctus, quanta potuit velocitate fugam arripuit,

atque ad regem Auarum Cacanũ peruenit, uxorem Rodelindam & paruulum filium nomine Cunibertum relinquens, quos Grimoaldus Beneuentũ in exilium direxit. His ita gestis Garibaldus, cuius instigatione & certamine ista patrata sunt, & nõ solũ hæc egerat, sed & fraudem in legatione sua fecerat, dum munera quæ deferre Beneuentum debuerat, non integra deportasset; talium ergo operum patrator, non diu lætatus est. Erat quidam paruus homunculus, ex propria familia Godeberti oriundus, in ciuitate Taurinatium. Is cũ Garibaldum ducem ipso sacratissimo Paschali die ad orationem in beati Iohannis basilicam venturum sciret, super sacrũ baptisterij fontem conscendens, læuaq; manu se ad columellam tugurij cõtinens, unde Garibaldus transiturus erat, euaginatum ensem sub amictu tenens, cum iuxta eum Garibaldus uenisset & pertransiret, ipse eleuato ense, annisu eundem in ceruicem percussit, caputque protinus amputauit. Super quem qui cũ Garibaldo uenerant irruentes, multis eum ictuum uulneribus occiderunt. Qui licet occubuerit, tamen Godeberti sui domini iniuriam insigniter ultus est.

Explicit liber quartus, de gestis Langobardorum.

Incipiunt

Digitized by Google

Incipiunt

CAPITA LIBRI QVINTI.

CAP. I.

QVOMODO Grimoaldus confirmato regno vxorem duxit, filiam Ariperti regis.

CAP. II.

De fuga Bertaridi, & quomodo ad Grimoaldum reuersus est, & iterum in Franciam fugit.

CAP. III.

De clementia Grimoaldi regis in Hunulfo & vestiario Bertaridi.

CAP. IIII.

Quomodo Grimoaldus Hunulfum & vestiarium Bertaridi ad eundem Bertaridum remisit.

CAP. V.

Bellum Grimoaldi aduersus Francos, & victoria eius.

CAP. VI.

Quomodo Constans Augustus Italiam veniens Beneuentum obsedit.

CAP. VII.

Quomodo Grimoaldus inuitatus à filio suo Romoaldo Beneuentum aduenit.

CAP. VIII.

Quomodo Imperator accepta obſide Romoaldi ſorore à Beneuento diſceſſit.

CAP. IX.

Quomodo Imperatoris exercitum Micola Capuanus Comes afflixit.

CAP. X.

Quomodo Romoaldus Saburrum ab Imperatore miſſum, cum viginti millibus vicit.

CAP. XI.

De malis quæ Conſtans Auguſtus Romanis intulit, & de prædationibus quas ſingulis regionibus fecit: & quomodo extinctus eſt.

CAP. XII.

De imperio Mecetij, & de morte ipſius.

CAP. XIII.

Quomodo Sarraceni ab Alexandria venientes Sieiliam depopulati ſunt, & quicquid Conſtans Auguſtus de Roma abſtulerat deprædati ſunt.

CAP. XIIII.

De morte Giſæ ſororis Romoaldi.

CAP. XV.

De pluuiis & tonitruis quæ eo tempore nimiæ factæ ſunt.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVI.

Quomodo rex Grimoaldus Trasemundum ducem apud Spoletum ordinauit, eique suam filiam in matrimonium tradidit. CAP. XVII.

Quod in Foroiulij post Grasulfum Ago ducatum tenuit, & post hunc eorum ductor Lupus effectus est.

CAP. XVIII.

Quomodo Lupus dux contra Grimoaldum rebellauit.

CAP. XIX.

Quomodo ipse dux bellum contra Auares gessit.

CAP. XX.

De morte Lupi ducis, & quomodo Auares Foroiulianorum fines deprædati sunt.

CAP. XXI.

Quomodo Auares nolentes de Foroiulij exire, Grimoaldi astutia expulsi sunt.

CAP. XXII.

De Warnefrido filio Lupi.

CAP. XXIII.

De Wictari Foroiulianorum duce, & de eius victoria.

CAP. XXIIII.

De morte Wictari, & quomodo ei Landaris

daris succeſſit, & de Rodoaldo qui poſt eum ducatum tenuit.

CAP. XXV.

Quomodo Grimoaldus filiam Lupi ducis Romoalde ſuo filio ſociauit.

CAP. XXVI.

Quomodo Grimoaldus de ſuis contemptoribus ſe vltus eſt.

CAP. XXVII.

Quomodo Grimoaldus Forum populi expugnans deleuit.

CAP. XXVIII.

De odio quod Grimoaldus aduerſus Romanos habuit.

CAP. XXIX.

De Bulgarum duce Alzecone, & quomodo in Beneuento cum ſuis ordinatus eſt.

CAP. XXX.

Quia extincto tyranno Mecetio, Conſtantinus in locum Conſtantis Auguſti Romanorum princeps effectus eſt.

CAP. XXXI.

De ſtella Comete, & de operibus Papæ Doni.

CAP. XXXII.

Quomodo Bertaridus ad regnum Saxonum in Britannia ire diſpoſuit.

CAP.

CAP. XXXIII.
De morte Grimoaldi regis, & de reuersione Bertaridi, & regno eius.
CAP. XXXIIII.
De monasterio quod construxit, vel quod regina eius ædificauit.
CAP. XXXV.
De Bertarido, & regno Cuniberti filij eius. CAP. XXXVI.
De rebellatione Alachis prima, & quomodo in gratiam rediit.
CAP. XXXVII.
De morte Bertaridi, & regno Cuniberti.
CAP. XXXVIII.
Quomodo Alachis palatium Cuniberti inuasit. CAP. XXXIX.
Quomodo Cunibertus rursus suum palatium ingressus est.
CAP. XL.
Bellum Alachis aduersus Cunibertum.
CAP. XLI.
Item bellum Cuniberti & Alachis, & de victoria Cuniberti, & quomodo triumphans Ticinum ingressus est.

EXPLICIVNT CAPITA.

Incipit

LIBER QVINTVS

De gestis Langobardorum.

I. CAP. I.

CONFIRMATO itaque Grimoaldus regno apud Ticinum, non multo post tempore iam dudum pactam sibi Ariperti regis filiam, cuius germanum Godebertum extinxerat, duxit vxorem. Beneuentanum vero exercitum, cuius auxilio regnum adeptus erat, multis ditatum muneribus remisit ad propria. Aliquantos tamen ex eis secum habitaturos retinuit, largissimas eis tribuens possessiones.

CAP. II.

Qui postquam comperit Bertaridum profugum Scythiam petisse, & apud Cacanum demorari, eidem Cacano Auarum regi per legatos mandauit, vt si Bertaridum in suo regno detineret, pacem quam Langobardis & secum hactenus habuerat, deinceps habere non posset. Hæc Auarum rex audiens, ascito Bertarido dixit ei, vt in quã partem vellet pergeret, ne propter eum Auares cum Langobardis inimicitias contraherent. Bertaridus vero hæc audiens, Italiam ad Gri-

ad Grimoaldum reuertens repetiit, audierat enim eum clementißimum esse. Igitur cum ad Laudensem ciuitatem veniſſet, miſit ante ſe ad Grimoaldum regem Hunulfum ſibi fideliſſimum virum, qui ſuum ei aduentum nuntiaret. Hunulfus vero ad regem veniens, Bertaridum in eius fide aduentare nuntiauit. Hæc ille audiens, fidenter promiſit in ſua eum fide venientem nihil mali paſſurum fore. Inter hæc Bertaridus adueniens, ad Grimoaldum ingreſſus, cum eius ſe veſtigiis aduoluere conatus eſſet, rex eum clementer retinuit, atq; ad os ſuum ad oſculumque erexit. Ad quem Bartaridus: Seruus tuus ſum inquit, ſciens te Chriſtianißimum & pium esse, cum poßim inter paganos viuere, fretus de tua clementia, ad tua veſtigia veni. Cui rex vt ſolebat iurando ita repromiſit dicens: Per eum qui mè naſci fecit, poſtquam in meam fidem ad me veniſti, nihil mali in aliquo patieris, ſed ita de te ordinabo, vt decenter viuere poßis. Tunc ei in ſpatioſa domo hoſpitiũ præbens, eum poſt vitæ laborem, habere requiem iußit, præcipiens eidem ex publico victum, & quæcunque eſſent neceſſaria largius miniſtrari. Bertaridus vero cum ad hoſpitium ſibi à rege præparatum veniſſet, mox ad eum Ticinenſium ciuium cæperũt turmæ concurrere, vt eum vel viderent, vel priſtina notitia

titia cognitum salutarent. Verum quid nō mala lingua irrumpere potest? Mox namque venientes ad regem quidam maligni adulatores, regi denuntiant, quia nisi Bartaridus citius vita priuaretur, ipse regnum protinus cum vita perderet; asseuerantes ob hoc ad eum totam concurrere ciuitatem. His auditis Grimoaldus nimium credulus effectus, & quod promiserat oblitus, in innocentis Bertaridi statim necem accenditur, consiliumque iniit, qualiter eum, quia iam hora tardior erat, in crastinum vita priuaret. Cui denique ad vesperam diuersos cibos, vina quoque præcipua, variaque potionum genera transmisit, vt eum inebriare posset, quatinus multa eadem nocte potatione resolutus, vinoque sepultus, de sua nihil salute cogitare valeret. Tunc vnus qui de eius patris obsequio fuerat, cum eidem Bertarido ferculum regium attulisset, quasi eum salutaturus, sub mensa caput mittens, eidem secrete, quia rex eum occidere disponeret, nuntiauit: Bertaridus vero statim suo pincernæ præcepit, vt sibi in fiala argentea non aliud quam aliquātulum aquæ propinaret. Cumque hȳ qui diuersi generis potiones ei à rege deferebant, de verbo regis eum rogarent, vt totam fialam biberet, ille in honorem regis se totam bibere promittens, parum aquæ libabat de argenteo ca-

teo calice. Qui ministri dum hæc regi nuntiarent, quod ille auidissime biberet, rex lætus respondit; Bibat ebriosus ille, cras enim pariter eadem vina, mixta cum sanguine refundet. Bertaridus vero Hunulfo citius ad se acito, de sua morte ei consilium regis nuntiauit. Qui statim ad domum suam puerum misit vt sibi lectisternia afferret, lectumque sibi iuxta stratum Bertaridi fieri præcepit. Nec mora, rex Grimoaldus suos satellites direxit, qui domum in qua Bertaridus quiescebat, ne aliquo modo effugere posset, custodire deberent. Cumque cæna finita esset, & egressis omnibus, Bertaridus tantum & Hunulfus ac vestiarius Bertaridi remansissent, qui vtique ei satis erant fideles, consilium ei aperuit, & obsecrauit eum vt cum Bertaridus fugeret, ipse eum quam diu posset intra eiusdem cubiculum quiescere simularet. Cumque ille se hoc facturum spospondisset, Hunulfus pannos suos lecticarios, & culcitram, vrsinamque pellem, supra dorsum ac ceruicem Bertaridi imposuit, eumque ex consilio quasi rusticanum seruum extra ianuam impellere cæpit, multasque ei iniurias faciens, fuste eum percutere desuper & vrgere non cessabat, ita vt impulsus atque ictus sæpius ad terram corrueret. Cumque eundem Hunulfum regis satellites qui ad custodiam positi

positi erant, requirerent quid hoc esset, seruus iste, inquit, nequam lectū mihi in cubiculo istius ebrij Bertaridi strauit, qui in tantum vino plenus est, vt quasi mortuus ita cubet. Sed satis est quod eius huc vsque amentiam secutus sum, iam deinceps in vita domini regis in domo propria manebo. Hæc illi audientes, & vera quæ audierant esse credentes, læti effecti sunt, & eum pariterque Bertaridum, quem putabant seruum, quia opertum ne agnosceretur habebat caput, locum illis dantes, abire permiserunt. Illis autem abeuntibus, vestiarius ille fidelissimus, obserato diligenter ostio remansit intrinsecus solus. Hunulfus vero Bertaridum de muri angulo, qui est à parte Ticini fluminis, per funē deposuit, eique quos potuit socios coniunxit. Qui arreptis quos in pastu inuenerant equis, eadem nocte ad Astensem properant ciuitatem, in qua Bertaridi amici manebant. Deinde Bertaridus quantocius Taurinensem vrbem petens, ac post claustra Italiæ transgressus, Francorum ad patriam peruenit. Sicque Deus omnipotens dispositione misericordi, & innocentem à morte eripuit, & ex animo bona facientem ab offensione regem seruauit.

II. CAP. III.

At vero rex Grimoaldus dum Bertaridum in hospi-

in hospitio suo quiescere putaret, ab eodem hospitio vsque ad palatium suum acies hominum hinc & inde astare fecit, vt per eorum medium Bertaridus deduceretur, quatinus effugere minime posset. Cumque à rege missi venissent, qui Bertaridum ad palatium euocarent, & ad ostium in quo eum quiescere putabant pulsassent, vestiarius ille qui introrsus erat, rogabat eos dicens: Misericordiam cum eo facite, eumque paululum quiescere sinite, quia adhuc de itinere lassus, grauissimo somno deprimitur. Quod cum illi adquieuissent, hoc ipsum regi nuntiauerunt, quia adhuc Bertaridus graui somno quiesceret. Tunc ille: Sic, inquit, hesterno sero vino se adeo oppleuit, vt adhuc vigilare non possit? Quibus tamen præcepit, vt mox eum excitatū ad palatiū deducerent. Qui venientes ad ianuam cubiculi, in quo Bertaridum sperabant quiescere, cæperunt acrius pulsare. Tunc vestiarius ille rursum eos rogare cœpit, vt quasi eundem Bertaridum aliquantulum adhuc dormire permitterent. Qui irati vociferantes iam satis ebriosum illū quieuisse, mox calcibus eiusdem cubiculi ostium confringunt, ingressique Bertaridum in lectulo requirunt. Quem cum non inuenissent, ad requisita eum naturæ residere suspicati sunt. Quem cum nec ibi reperissent, vestiarium illum interrogant,

rogant, quid de Bertarido factum fuisset. Quibus ille fugisse eum respondit. Quem statim capillis apprehensum furentes, eumque verberantes ad palatium pertrahunt, eumque ad regis præsentiam perducentes, fugæ Bertaridi hunc esse conscium, ideoque morte dignissimum dicunt. Quem rex dimitti præcepit, eumque per ordinem, qualiter Bertaridus effugisset, inquisiuit. Ille regi vniuersa sicut acta fuerant retulit. Tunc rex à circumstantibus requisiuit dicens: Quid vobis de homine isto videtur, qui taliter perpetrauit? Tunc omnes vna voce responderunt, eum esse dignum multis supplicijs excruciatum interire. At rex: Per eum qui me nasci fecit, inquit, dignus est homo iste bene habere, qui se pro fide sui domini morti tradere non recusauit. Eumq; mox inter suos vestiarios esse præcepit, admonens eum vt sibi eandem fidem, quam erga Bertaridum habuerat, seruaret: multa se ei commoda largiturum promittens. Cum rex requireret quid de Hunulfo factum fuisset, nuntiatum est ei quod in beati Archangeli Michaëlis basilicam confugium fecisset. Qui mox ad eum misit, sponte promittens quod nihil pateretur mali, tantum in sua fide veniret. Hunulfus vero talem regis promissionem audiens, mox ad palatium venit, atque ad regis vestigia prouolutus,

solutus, interrogatus ab eo est, quomodo aut qualiter Bertaridus euadere potuisset. At ille cum ei cuncta ex ordine retulisset, rex eius fidem & prudentiam collaudans, omnes facultates eius, & quicquid habere poterat, eidem clementer concessit.

CAP. IIII.

Cumque post aliquod tempus rex Hunulfum inquireret, utrum vellet ipsis diebus cum Bertarido esse? ille iureiurando ait, cum Bertarido prius se velle mori, quam vsquam alibi in summis deliciis viuere. Tunc rex vestiarium illum requisiuit, dicens, utrum melius ei esset secum in palatio manere, an cum Bertarido in peregrinatione degere. Qui cum ei similia, sicut & Hunulfus, respondisset; rex eorum verba benigne suscipiens, eorumque fidem collaudans, præcepit Hunulfo vt quicquid vellet de domo sua tolleret, pueros scilicet & equos, & diuersam supellectilem, & ad Bertaridum illæsus properaret. Pari etiam modo & vestiarium illum absoluit. Qui omnia sua secundum benignitatem regis sufficienter tollentes, cum eiusdem regis adiutorio Francorum in patriam ad suum dilectum Bertaridum sunt profecti.

Digitized by Google

III. CAP. V.

Hac tempestate Francorum exercitus de prouincia egrediens, in Italiam introiuit: contra quos Grimoaldus cum Langobardis progressus, hac eos arte decepit. Fugere quippe se eorum impetum simulans, castra sua simul cum tentoriis, & diuersis pariter referta bonis, præcipuéque vini optimi copia, abductis hominibus omnino vacua reliquit. Quo dum Francorum acies aduenissent, existimantes Grimoaldum cũ Langobardis pauore deterritos castra integra reliquisse, mox læti effecti certatim cuncta imadunt, cœnamque affluentissimam instruunt. Qui dum diuersis epulis, multoque degrauati vino somnoque quieuissent, Grimoaldus super eos post noctis medium irruens, tanta eos cæde prostrauit, vt vix pauci ex eis elapsi, ad patriam valuerunt repedare. Qui locus vbi hoc gestum est prælium Francorum, vsque hodie Riuus appellatur, nec longe distat ab Astensis ciuitatis mœnibus.

IIII. CAP. VI.

Hiis diebus Constantinus Augustus, qui & Constans est appellatus, Italiam de Langobardorum manu eruere cupiens, Constantinopoli egressus per littoralia iter habens, Athenas venit, indeque

Digitized by Google

indeque mare transgressus, Tarentum applicuit. Qui tamen prius ad solitarium quendam, qui prophetiæ spiritum habere dicebatur, abiit, studiose ab eo sciscitans, vtrum gentem Langobardorum, quæ in Italia habitabat, superare & obtinere posset. A quo cum seruus Dei spatium vnius noctis expetisset, vt pro hoc ipso dominum supplicaret, facto mane ita eidem Augusto respondit: Gens Langobardorum superari modo ab aliquo non potest, quia regina quædam ex alia prouincia veniens, basilicam beati Iohannis baptistæ in Langobardorum finibus construxit, & propter hoc ipse beatus Iohannes pro Langobardorum gente continue intercedit. Veniet autem tempus quando ipsum oraculum habebitur despectui, & tunc gens ipsa peribit. Quod nos ita factum esse probauimus, quia antè Langobardorum perditionem, eandem beati Iohannis basilicam, quæ vtique in loco qui Modicia dicitur est constituta, per viles personas ordinari conspeximus, ita vt indignis & adulteris non pro vitæ merito, sed præmiorum datione, isdem locus venerabilis largiretur.

CAP. VII.

Igitur cum, vt diximus, Constans Augustus Tarentum venisset, egressus exinde Beneuen-

tanorum fines inuaſit, omneſque pene per quæ veserat Langobardorum ciuitates cepit. Luceriam quoque opulentam Apuliæ ciuitatem expugnatam fortius inuadens diruit, & ad ſolum vſque proſtrauit. Arentiam ſane propter munitiſſimam loci poſitionem, capere minime potuit. Deinde cum omni ſuo exercitu Beneuentum circumdedit, & eam vehementer expugnare cæpit, vbi tunc Romoaldus Grimoaldi filius, adhuc iuuenculus ducatum tenebat. Qui ſtatim vt Imperatoris aduentum cognouit, nutricium ſuum nomine Seſualdum ad patrem Grimoaldum trans Padum direxit, obſecrans vt quantocius veniret, filioque ſuo ac Beneuentanis, quos ipſe nutrierat, potenter ſuccurreret. Quod Grimoaldus rex audiens, ſtatim cum exercitu filio laturus auxilium, Beneuentum pergere cæpit. Quem plures ex Langobardis in itinere relinquentes, ad propria remearunt, dicentes: quia expoliaſſet palatium, & iam non reuerſurus repeteret Beneuentum. Interim Imperatoris exercitus Beneuentum diuerſis machinis vehementer expugnabat; è contra Romoaldus cum Langobardis fortiter reſiſtebat. Qui quamuis cum tanta multitudine congredi manu ad manum, propter paucitatem exercitus, non anderet, frequenter tamen cum expeditis iuuenibus hoſtium caſtra

Digitized by Google

castra irrumpens, magnas eisdem inferebat vndique clades. Grimoaldus eius pater cum iam iamque properaret, eundem nutricium eius de quo præmisimus, ad filium misit, qui ei suum aduentum nuntiaret. Qui cum prope Beneuentum venisset, à Græcis captus, imperatori delatus est. Qui ab eo vnde veniret requirens, ille se à Grimoaldo rege venire, eundemque regem citius aduentare nunciauit. Statimque Imperator exterritus consilium cum suis iniit, quatinus cum Romoaldo pacisceretur, vt Neapolim posset reuerti.

CAP. VIII.

Accepta ità obside Romoaldi sorore, cui nomen Gisa fuit, cum eodem pacem fecit. Eius vero nutricium Sesualdum ad muros duci præcepit, mortem eidem minatus, si aliquid Romoaldo aut ciuibus de Grimoaldi aduentu nuntiaret, sed potius asseueraret eundem minime venire posse. Quod ille ita se facturum vt ei præcipiebatur promisit; sed cum prope muros adueniisset, velle se Romoaldum videre dixit. Qui Romoaldus cum citius adueniisset, sic ad eum locutus est: Constans esto domine Romoalde, & habens fiduciam noli turbari, qui a tuus genitor citius tibi auxilium præbiturus aderit. Nam scias eum

hac nocte iuxta Sangrum fluuium cum valido exercitu manere, tantum obsecro vt misericordiam exhibeas meæ vxori & filiis, quia gens ista perfida me viuere non sinet. Cumque hoc dixisset, iussu Imperatoris caput eius abscisum est, atque cum belli machina, quam petrariam vocant, in vrbem proiectum est. Quod caput Romoaldus sibi deferri iussit, idque lachrymans osculatus est, dignoque in loculo tumulari præcepit.

CAP. IX.

Metuens igitur Imperator subitum Grimoaldi regis aduentum, dimissa Beneuenti obsidione, Neapolim proficiscitur. Caius tamen exercitum Mittola Capuanus Comes iuxta fluenta Caloris fluminis, in loco qui vsque hodie Pugna dicitur, vehementer attriuit.

CAP. X.

Postquam vero Imperator Neapolim peruenit, vnus ex eius optimatibus, cui nomen Saburrus erat, ab Augusto vt fertur viginti milia militum expetiit, seque cum Romoaldo pugnaturum victoremque spopondit. Qui cum accepto exercitu ad locum cui Forinus nomen est aduenisset, ibique castra posuisset, Grimoaldus qui iam Beneuentum aduenerat, hæc audiens, contra

Digitized by Google

contra eum proficisci voluit. Cui filius Romoaldus, non est opus, inquit, sed tantum partem nobis de exercitu vestro tribuite. Ego Deo fauente cum eo pugnabo, & cum vicero maior vtique gloria vestræ potentiæ adscribetur. Factumque est, & accepta aliqua parte de patris exercitu, pariterque cum suis hominibus contra Saburrum proficiscitur. Qui prius quam bellum cum eo iniret, à quatuor partibus tubas insonare præcepit, moxque super eos audenter irruit. Cumque vtraque acies forti intentione pugnarent, tunc vnus de exercitu regis nomine Amalongus, qui regium contum ferre erat solitus, quendam Græculum eodem conto vtrisque manibus fortiter percutiens, de sella super quam equitabat sustulit, eumque in aëra super caput suum leuauit. Quod cernens Græcorum exercitus, mox immenso pauore perterritus, in fugam conuertitur, vltimaque pernicie cæsus, sibi fugiendo mortem, Romoaldo & Langobardis victoriam peperit. Ita Saburrus qui se imperatori suo victoriæ trophæũ de Langobardis promiserat patrare, ad eum cũ paucis remeans ignominiam deportauit. Romoaldus vero patrata de inimicis victoria, Beneuentum triumphans reuersus est, patrique gaudium & cunctis securitatem sublato hostium timore connexit.

CAP. XI.

At vero Constans Augustus, cum nihil se contra Langobardos gessisse conspiceret, omnes sæuitiæ suæ minas contra suos, hoc est Romanos retorsit. Nam egressus Neapoli Romam perrexit. Cui sexto ab vrbe miliario Vitalianus Papa cum sacerdotibus & Romano populo occurrit. Qui Augustus cum ad beati Petri limina peruenisset, obtulit ei pallium auro textum: & manens apud Romanos diebus duodecim, omnia quæ fuerant antiquitus instituta ex ære in ornamentum ciuitatis deposuit, in tantum vt etiam basilicam beatæ Mariæ, quæ aliquando Pantheon vocabatur, & conditum fuerat in honorem omnium deorum, & iam ibi per concessionem superiorum principum, locus erat omnium martyrum, discooperiret, tegubasque æreas exinde auferret, easque simul cum aliis omnibus ornamentis, Constantinopolim transmitteret. Deinde reuersus Imperator Neapolim, itinere terreno perrexit in ciuitatem Regium. Ingressusque Siciliam per indictionem septimam, habitauit in Siracusa, & tales afflictiones imposuit populo seu habitatoribus vel possessoribus Calabriæ, Siciliæ, Africæ, atque Sardiniæ, quales antea nunquam auditæ sunt, ita vt etiam vxores à maritis,

ritis, vel filij à parentibus separarentur. Sed & alia multa & inaudita illarum regionum populi sunt perpessi, ita vt nulli spes vitæ remaneret. Nam & vasa & cimelia sanctarum Dei Ecclesiarum, imperiali iussu & Græcorum auaritia sublata sunt. Mansit autem Imperator in Sicilia ab indictione septima vsque in duodecimam: sed tandem tantarum iniquitatum pœnas luit, atque dum se in balneo lauaret, à suis extinctus est.

CAP. XII. VI.

Interfecto igitur apud Siracusas Constante Imperatore, Mecetius in Sicilia regnum arripuit, sed absque Orientalis exercitus voluntate. Contra quem Italiæ militiæ milites, alij per Histriam, alij per partes Campaniæ, alij verò à partibus Africæ & Sardiniæ venientes, vehementer in Siracusas irruerunt, eumque vita priuauerunt. Multi ex iudicibus eius detruncati, multique Constantinopolim perducti sunt: cum quibus pariter & falsi Imperatoris caput est deportatum.

CAP. XIII.

Hæc audiens gens Sarracenorum, quæ Alexandriam & Ægyptum peruaserat, subito cum multis nauibus venientes Siciliam inuadunt,

Digitized by Google

Siracusas ingrediuntur, multamque stragem faciunt populorum, vix paucis euadentibus qui per munitissima castra & iuga confugerant montium. Auferentes quoque predam nimiam, & omne illud quod Constans Augustus à Roma abstulerat ornatum in ære & diuersis speciebus, sicque Alexandriam reuersi sunt.

CAP. XIIII.

Porro regis filia, quam de Beneuento obsidem nomine Gisa sublatam diximus, Siciliam veniens diem clausit extremum.

CAP. XV.

Hoc tempore tantæ pluuiæ tantaque tonitrua fuerunt, quanta ante nullus meminerit hominum, ita vt innumera hominum & animantium milia fulminibus essent perempta. Eo anno legumina, quæ propter pluuias colligi nequiuerant, iterum renata & ad maturitatem vsque perducta sunt.

VII.

CAP. XVI.

At vero Grimoaldus ereptis Beneuentanis & eorum prouinciis à Græcis, apud Ticinum ad palatium suum repedare disponens, Trasemundum qui dudum Capuæ comes fuerat, & ei ad

perci-

Digitized by

percipiendum regnum ſtrenuiſſime paruerat, data ei in matrimonium ſua filia, Romoaldi altera ſorore, eum poſt Attonem, de quo ſuperius diximus, apud Spoletum ductorem fecit, indeque Ticinum reuerſus eſt.

CAP. XVII.

Siquidem, vt ſuperius præmiſeramus, Graſulfo Foroiulianorum duce defuncto, ſucceſſor eius in ducatu Ago datus, de cuius nomine vſque hodie domus quædam intra Forum Iulij conſtituta, domus Agonis appellatur. Quo Agone mortuo, Foroiuliamorum ductor Lupus efficitur. Hic Lupus in Grados inſulam, quæ non longe ab Aquileia eſt, cum equeſtri exercitu, per ſtratam quæ antiquitus per mare facta fuerat introiuit. Et deprædata ipſa ciuitate, Aquileienſis eccleſiæ theſauros exinde auferens deportauit. Huic Lupo quando Grimoaldus Beneuentum perrexit, ſuum palatiũ commendauit.

CAP. XVIII.

Qui Lupus dum rege abſente multa inſolenter apud Ticinum egiſſet, quippe quia eum reuerſurum non æſtimaret, reuertente rege ſciens eidem ea quæ nõ rectè geſſerat diſplicere, Forum-Iulij petens, contra eundem regem ſuæ nequitiæ conſcius rebellauit.

CAP.

CAP. XIX.

Tunc Grimoaldus nolens ciuile bellum inter Langobardos excitare, regi Auarum Cacano mandauit, vt in Fōrumiulij contra Lupum ducem cum exercitu veniret, eumque bello protereret. Quod & factum est. Nam veniente Cacano cum magno exercitu in loco qui Fluuius dicitur, sicut nobis retulerunt seniores viri qui in ipso bello fuerunt, per tres dies Lupus dux cum Foroiulianis, aduersus Cacani exercitū conflixit. Et prima quidem die validum eius exercitum paucis suis vulneratis prostrauit; secunda vero die iam aliquantis è suis vulneratis & mortuis, pari modo multos ex Auaribus extinxit. Tertia vero die iam pluribus ex suis sauciatis, siue peremptis, nihilominus magnum Cacani exercitum deleuit, prædamque copiosam inuasit. At vero die quarto tantam super se multitudinem conspexerunt venientem, vt vix per fugam euadere possent.

CAP. XX.

Ibi itaque Lupo duce perempto, reliqui qui remanserant, sese per castella communiunt. Auares vero per omnes eorum fines discurrentes, cuncta rapinis inuadunt, vel supposito igne combu-

Digitized by Google

comburunt. Qui cum per aliquot dies hoc facerent, à Grimoaldo eis mandatum est, vt iam à deuastatione quiescerent. Qui legatos ad Grimoaldum mittunt dicentes, Forumiulij se minime relicturos, quam armis propriis cõquisissent.

CAP. XXI. VIII.

Tunc Grimoaldus necessitate cõpulsus exercitum coadunari præcepit, quatinus Auares de suis finibus exturbaret. In medio itaque campo sua castra cõtra Auarũ hostium componens, cum exercitus partem exiguam haberet, & Cacanus ad eum legatos mitteret, eosdem ipsos quos habebat diuerso habitu variisque instructos armis, ante oculos legatorum per dies aliquot, quasi nouus iugiter exercitus aduentaret, frequenter transire fecit. Auarum vero legati dum eundem ipsum exercitum, aliis & aliis modis præterire conspiciunt, immensam Langobardorum multitudinem esse crediderunt. Quibus Grimoaldus ita dixit; Cum omni quam vidistis exercitus multitudine statim super Cacanum irruam, & Auarum exercitus disperdam, nisi de Foroiulianorum finibus velociter exierint. Hiis visis & auditis, legati Auarorum cum hæc suo regi nuntiassent, mox cum omni suo exercitu ad proprium reuersus est regnum.

CAP.

IX.

CAP. XXII.

Denique Lupo hoc modo vt præmiſimus interemptò, Warnefridus eius filius voluit in loco patris apud Forumiulij obtinere ducatum. Sed metuens Grimoaldi regis vires, fugit ad Sclauorum gentem in Carnuntum, quod corrupte vocitant Carantanum. Qui poſtea cum Sclauis adueniens, quaſi ducatum eorum viribus reſumpturus, apud Nemas caſtrum, quod non longe à Foroiulij diſtat, irruentibus ſuper ſe Foroiulianis, extinctus eſt.

CAP. XXIII.

Deinde ordinatus eſt apud Forumiulij dux Wectari, qui fuit oriundus de Vincentina ciuitate, vir benignus & populum ſuauiter regens. Hunc cum audiſſet Sclauorum gens Ticinum profectum eſſe, congregata valida multitudine, voluerunt ſuper Forbiulianorũ caſtrum irruere. Et venientes caſtra metati ſunt in loco qui Broxas dicitur, non longe à Foroiulij. Secundum diuinam autem diſpoſitionem contigit, vt dux Wectari ſuperiori veſpere à Ticino reuerteretur neſcientibus Sclauis. Cuius Comites cum ad propria (vt aſſolet fieri,) remeaſſent, ipſe hoc nuntium de Sclauis audiens, cum paucis viris,

hoc

hoc est cum viginti quinque contra eos progressus est. Quem Sclaui cum tam paucis venire conspicientes, irriserunt dicentes, Patriarcham contra se cum clericis aduentare. Qui cum ad pontem Natisonis fluminis, qui ibidem est vbi Sclaui residebant, propinquasset, cassidem sibi de capite auferens, vultum suum Sclauis ostendit, erat enim caluo capite. Quem dum Sclaui quia ipse esset Wectari cognouissent, mox perturbati Wectari adesse clamitant. Deoque eos exterrente plus de fuga, quam de prælio cogitant. Tunc super eos Wectari cum paucis quos habebat irruens, tanta eos strage prostrauit, vt ex quinque milibus viris vix pauci qui euaderent remanerent.

CAP. XXIIII.

Post hunc Wectari Laudari apud Forumiulij ducatum tenuit. Quo defuncto, ei Rodoaldus in ducatum successit.

CAP. XXV. X.

Mortuo igitur vt diximus Lupo duce, Grimoaldus rex filiam eius nomine Theuderadam, suo filio Romoaldo, qui Beneuentum regebat, in matrimonium tradidit. Ex qua tres filios, hoc est Grimoaldum, Gisulfum, nec non & Arichis genuit.

CAP.

CAP. XXVI.

Rex quoque Grimoaldus de omnibus illis qui eum quando Beneuentum profectus fuerat deseruerunt, suas iniurias vltus est.

CAP. XXVII.

Sed & Forumpopily, Romanorum ciuitatem, cuius ciues eidem aduersa quædam intulerant, Beneuentum proficiscenti, missosque illius euntes & redeuntes à Beneuento sæpius læserant, hoc modo deleuit. Quadragesimorum tempore per Alpem Bardonis Tusciam ingressus, nescientibus omnino Romanis, in ipso Sacratissimo Sabbato Paschali, super eandem ciuitatem, ea hora qua baptismus fiebat, inopinate irruit, tantamque occisorum stragem fecit, vt etiam Diaconos ipsos qui infantulos baptizabant, in ipso sacro fonte perimeret. Sicque eandem vrbem deiecit, vt vsque hodie pauciſsimi in ea commaneant habitatores.

CAP. XXVIII.

Erat quidem Grimoaldo contra Romanos non mediocre odium, pro eo quod eius quondam germanos Tassionem & Cacconem in sua fide decepissent. Quam ob causam Opitergium ciuitatem, vbi ipsi extincti sunt, funditus destruxit,

xit, eorumq; qui ibi aderant fines, Forciulianis Taruisianisque & Ceretensibus diuisit.

CAP. XXIX.

Per hæc tempora Bulgarorum dux Alzeco nomine, incertum quam ob causam à sua gente digressus, Italiam pacifice introiens, cum omni sui ducatus exercitu, ad regem Grimoaldum venit, ei se seruiturum atque in eius patria habitaturum promittens. Quem ille ad Romoaldum filium suum Beneuentum dirigens, vt ei cum suo populo loca ad habitandum concedere deberet præcepit. Quos Romoaldus gratanter excipiens, eisdem spatiosa ad habitandum loca, quæ vsque ad illud tempus deserta erant contribuit, scilicet Sepianum, Bouianũ, & Iserniam, & alias cum suis territoriis ciuitates, ipsumque Alzeconem mutato dignitatis nomine de duce Gastaldium vocitari præcepit. Qui vsque hodie in his vt diximus locis habitantes, quamquam & Latine loquantur, linguæ tamen propriæ vsum minime amiserunt.

CAP. XXX.

Igitur extincto, vt diximus, apud Siciliam Constante Augusto, punitoque qui ei successerat Mecentio Tyranno, Romanorum regnum Constantinus Constantij Augusti filius suscepit

pit regendum, Romanisque principatus est annis decem & septem. Constantini sane temporibus Theodorus Archiepiscopus & Adrianus abbas viri æque doctissimi, à Vitaliano Papa missi in Britanniam, plurimas ecclesias Anglorum doctrinæ ecclesiasticæ fruge fœcundarunt. E quibus Theodorus Episcopus peccantium iudicia, quantis scilicet annis pro uno quoque peccato quis pœnitere debeat, mirabili & discreta consideratione descripsit.

CAP. XXXI.

In sequenti post tempore mense Augusto, à parte Orientis stella Cometes apparuit nimis fulgentibus radiis, quæ post in semetipsam reuersa disparuit. Nec mora, grauis pestilentia ab eadem parte orientis secuta, Romanum populum deuastauit. Hiis diebus Donus Papa Romanæ ecclesiæ locum qui Paradisus dicitur, ante basilicam beati apostoli Petri, candidis & magnis marmoribus mirifice strauit.

CAP. XXXII.

Hac tempestate Francorum regnum apud Gallias Dagobertus regebat, cum quo rex Grimoaldus pacis firmissime fœdus inierat. Cuius Grimoaldi vires Bertaridus etiam apud Fran-

corum

eorum patriam constitutus metuens, egressus è Gallia, ad Britanniam insulam Saxonumque regem properare disponit.

CAP. XXXIII. XII.

At vero Grimoaldus cum nono die post phlebotomiam in suo palatio constitutus, accepto arcu columbam sagitta percutere nisus esset, eius brachij vena dirupta est. Cui, vt ferunt, medici venenata medicamina supponentes, eum ab hac funditus priuauerunt luce. Hic edicto quod Rothari rex composuerat, aliqua quoque capitula legis quæ ei vtilia visa sunt adiecit. Fuit autem corpore prævalidus, audacia primus, caluo capite, barbâ prominenti, non minus consilio quam viribus decoratus. Sepultum est autem eius corpus in basilica beati Ambrosij confessoris, quam dudum ipse intra Ticinensem construxerat ciuitatem. Hic post mortem Ariperti regis, expleto iam anno vno & mensibus tribus, Langobardorum regnum inuasit, regnauitque ipse annis nouem, relicto Garibaldo filio suo, quem ei Ariperti regis filia genuerat, rege adhuc pueriles ætatis.

Igitur, vt dicere cœperamus, Bertaridus egressus XIII.
de Gallia nauem ascendit, vt ad Britanniam insulam ad regnum Saxonũ transmearet. Cumque iam aliquantum per pelagus nauigasset, vox

a lictore audita est inquirentis, utrum Bertaridus in eadem mane consisteret? Cui cum responsum esset quod Bertaridus ibi esset, ille quiclamabat subiunxit: Dicite illi, reuertatur in patriam suam, quia tertia dies est hodie, quod Grimoaldus ab hac subtractus est luce. Quo audito Bertaridus statim post se reuersus est, venienseque ad litus inuenire personam non potuit, quae ei de Grimoaldi morte nuntiauit. Vnde arbitratus est, non hunc hominem, sed diuinum nuntium fuisse. Exindeque ad patriam rediens, cum ad clausira Italiæ venisset, iam ibi omnia obsequia Palatina, ommemque regiam dignitatem, cum magna Langobardorum multitudine præparatam esse reperit. Exinde itaque Bertaridus Ticinum reuersus, exturbato Garibaldo puerulo à regno, ab vniuersis Langobardis mense tertio post mortem Grimoaldi in regnum leuatus est. Erat autem vir pius, fide catholicus, iustitiæ tenax, pauperumque largissimus nutritor. Qui statim Beneuentum misit, exindeque Rodelindam suam coniugem & Cunibertum filium suum reuocauit.

CAP. XXXIIII.

Qui vi regni iura suscepit, in loco illo, qui à parte fluminis Ticini est, vnde ipse olim fugerat,

gerat, monasterium quod Nouum appellatur, domino & liberatori suo, in honorem sanctæ virginis & martyris Agathæ construxit. In quo multas virgines aggregauit, rebusque diuersis pariterque ornamentis eundem locum ditauit. Regina vero vxor eius Rodelinda basilicam sanctæ Dei genitricis extra muros eiusdem ciuitatis Ticinensis, quæ ad Perticas appellatur, opere mirabili condidit, ornamentisque mirificis decorauit. Ad Perticas autem locus ipse ideo dicitur, quia ibi olim pertice, id est trabes erectæ steterant, quæ ob hanc causam iuxta morem Langobardorum poni solebant. Si quis enim in aliquam partem, aut in bello aut quomodocunque extinctus fuisset, consanguinei eius intra sepulchra sua perticam figebant, in cuius summitate columbam ex ligno factã ponebant, quæ illuc versa esset, vbi illorum dilectus obiisset; scilicet vt sciri posset in quam partem is qui defunctus fuerat quiesceret.

CAP. XXXV. XIIII.

Igitur Bertaridus cum solus per annos septem regnasset, octauo iam anno Cunibertum filium suum in regno consortem asciuit, cum quo pariter per decem annos regnauit.

CAP. XXXVI.

Cumque in magna pace degerent, & ex omni parte in circuitu tranquillitatem haberent, surrexit contra eos filius iniquitatis, Alachis nomine, per quem in regno Langobardorum perturbata pace, maximæ populorum factæ sunt strages. Hic dum dux esset in Tridentina ciuitate, cũ comite Baioariorum, quem illi Grausonem dicunt, qui Bauzanum & reliqua castella regebat, conflixit, eumque mirifice superauit. Qua de causa elatus, etiam contra regem suum Bertaridum manum leuauit, atque se intra Tridentinum castellum rebellans communiuit. Contra quem rex Bertaridus progressus, cum eum extrinsecus obsideret, inopinate subito Alachis cum suis ciuitatem egressus, regis castra protriuit, regemque ipsum fugam petere compulit. Qui tamen postmodum faciente Cuniberto regis filio, qui eum iam olim diligebat, in regis Bertaridi gratiam reuersus est. Qui rex cum eum interficere aliquotiens voluisset, Cuniberti us eius filius hoc fieri semper prohibuit, reputans eum de reliquo fidelem existere. Nec destitit apud patrem obtinere quinetiam ei ducatum Brexiæ contribueret, reclamante sæpius patre, quod in suam hoc Cunibertus perniciem faceret, qui

Digitized by Google

ret, qui hosti suo ad regnandum vires præberet. Brexiana denique ciuitas magnam semper nobilium Langobardorum multitudinem habuit, quorum auxilio metuebat Bertaridus Alachis potentiorem fore. His diebus Rex Bertaridus in ciuitate Ticinensi portam contiguam palatio, quæ & Palatinensis dicitur, opere mirifico construxit.

CAP. XXXVII.

Qui cum decem & octo annis, & primum solus, & post cum filia regnum tenuisset, ab hac luce subtractus est, corpusque illius iuxta basilicam domini saluatoris, quam Aripertus eius genitor construxerat, sepultum est. Fuit autem statura decens, corpore plenus, mitis per omnia & suauis. At vero Cuniberтus rex Hermelindam ex Saxonum Anglarum genere duxit vxorem. Quæ cum in balneo Theodotem puellam ex nobilissimo Romanorum genere ortam, eleganti corpore, & flauis prolixisque capillis pene usque ad pedes decoratam vidisset, eius pulchritudinem suo viro Cuniberto regi laudauit. Qui abvxore hoc libenter audire dissimulans, in magnum tamen puellæ exarsit amorem. Nec mora, venatum in siluam quam Vrbem appellant perrexit, secumque suam coniugem Hermelindam venire præcepit. Qui exinde noctu

egrediens Ticinum rediit, & ad se Theodotem puellam venire faciens, cũ ea concubuit. Quam tamen postea in monasterium, quod de illius nomine intra Ticinum appellatum est, misit.

XV. CAP. XXXVIII.

Alachis vero iam dudum conceptam iniquitatem parturiens, annitentibus Aldone & Grausone Brexianis ciuibus, sed & aliis multis ex Langobardis, oblitus tantorum beneficiorum, quæ in eum rex Cunibertus impenderat, oblitus etiam iusiurandi, quo ei se fidelissimum esse sponderat cum Cunibertus abesset, regnum eius & palatium intra Ticinum positum inuasit. Quod Cunibertus vbi erat audiens, ad insulam quæ intra lacum Larium non longe à Como est confugit, ibique se fortiter communiuit. Facta est autem magna tribulatio omnibus qui eum diligebant, & maximè sacerdotibus & clericis, quos omnes Alachis exosos habebat. Erat autem eo tempore Ticinensis ecclesiæ episcopus, vir domini Damianus, sanctitate præcipuus, liberalibus artibus sufficienter instructus. Is cum Alachis palatium inuasisse conspiceret, ne quid ab eo ipse vel sua ecclesia aduersi pateretur, Thomam diaconum suum, sapientem scilicet & religiosum virum ad eum misit, per quem eidem

Alachis

Alachis benedictionem ſanctæ eccleſiæ ſuæ tranſmiſit. Nuntiatum eſt Alachis Thomam diaconum ante fores aſtare, benedictionemque ab Epiſcopo detuliſſe. Tunc Alachis, qui vt diximus omnes clericos odio habebat, ita inquit ad ſuos. Ite dicite illi: Si munda femoralia habet, intret; ſin autem aliter, foris contineat pedem. Thomas vero cum hos ſermones audiſſet, ita reſpondit: Nuntiate ei quia munda femoralia habeo, quippe qui ea hodie lota indutus ſum. Cui Alachis: Ite iterato, & dicite illi quia ego non dico de femoralibus, ſed de iis quæ intra femoralia habentur. Ad hæc Thomas ita reſpondit. Ite dicite illi: Deus ſolus poteſt in me in his cauſis reprehenſionem inuenire, nam ille nullatenus poteſt. Cumque eundem diaconum Alachis ad ſe ingredi feciſſet, aſpere ſatis & obiurgando locutus eſt cum eo. Tunc omnes clericos & ſacerdotes pauor & odium tyranni inuaſit, æſtimantes ſe eius feritatem tolerare omnino non poſſe. Cæperuntque amplius Cunibertum deſiderare, quoniam peruaſorem regni ſuperbum, execrationi haberent. ſed non diu eius feritas & cruda barbaries peruaſum regnum obtinuit.

CAP. XXXIX. XVI.

Denique cum die quadam ſolidos ſuper men-

ſam numeraret, vnus tremiſſis de eadem menſa cecidit, quem filius Aldonis adhuc puerulus de terra colligens, eidem Alachis reddidit. Ad quem Alachis ſperans puerulum parum intelligere, ita locutus eſt: Multos ex iis genitor tuus habet, quos mihi in proximo ſi Deus voluerit daturus eſt. Qui puer cum veſpere domum ad patrem regreſſus eſſet, eum ſuus genitor requiſiuit ſi quid in illo die rex locutus fuiſſet. Ille patri omnia vt facta fuerant, & quod ſibi rex dixerat nuntiauit. Audiens hæc Aldo vehementer pertimuit, fratremque ſuum Grauſonem aſcitum, ei omnia quæ rex maligne locutus fuerat nuntiauit. Qui mox cum amicis & his quibus credere poterant, conſiliũ inierunt qualiter Alachis tyrannum regno priuarent, priuſquam ipſe eis aliquam læſionem facere poſſet. Qui matutinius ad palatium profecti, ita Alachis dixerunt: Quid dignaris in ciuitate reſidere, ecce omnis ciuitas & vniuerſus populus tibi fidelis exiſtit, & ebrioſus ille Cunibertus ita diſſolutus eſt, vt iam vltra nullas poſſit habere vires. Egredere & vade in venationem, & exerce te cum iuuenibus tuis, nos autem cum reliquis fidelibus tuis defendemus tibi hanc ciuitatem. Sed & ita tibi repromittimus, vt in proxima inimici tui Cuniberti caput afferamus. Qui eorum verbis perſuaſus,

ſuaſus, ciuitatem egreſſus, atque ad Vrbem vaſtiſſimam ſiluam profectus eſt, ibique ſe iocis & venationibus exercere cepit. Aldo vero & Grauſo euntes ad lacum Commacinum, ingreſſique nauem, ad Cunibertum profecti ſunt. Ad quem venientes, eius pedibus prouoluti, ſe contra eum neguiter egiſſe profeſſi ſunt, eig; quid Alachus malitioſe cõtra eos locutus fuerat, vel quale ipſi ad eius perditionem conſilium eidem dederunt, nunciauerunt. Quid plura? Flenerunt pariter & inter ſe ſacramenta dederunt, diem ſtatuentes in quo Cunibertus veniret, vt ipſi ciuitatem Ticinenſem contraderent. Quod & factum eſt. Nam die ſtatuta Cunibertus Ticinum aduemiens ab eis libentiſſime ſuſceptus, palatium ſuum ingreſſus eſt. Tunc omnes ciues, & precipue Epiſcopus, ſacerdotes quoque & clerici, iuuenes & ſenes, certatim ad eum concurrentes, omneſque eum lacrymis amplexantes, Deo gratias de eius reuerſione inæſtimabili gaudio repleti conclamabant. Quos omnes ille vt potuit conſolans oſculatus eſt. Nuntius ſubito ad Alachis peruenit, adimpleſſe Aldonem & Grauſonem quod ei promiſerant, & caput Cuniberti attuliſſe, & non ſolum caput, ſed & totum corpus, eumque affirmans in palatio ſedere. Quod ille audiens, animo conſternatus eſt,

multaque

multaque contra Aldonem & Grauſonem furibundus & frendens comminans, exinde egreſſus, per Placentiam ad Auſtriam rediit, ſingulaſque ciuitates partim blanditiis partim viribus ſibi ſocias aſciuit. Nam Vincentiã veniens, contra eum eius ciues egreſſi, bellum parauerunt, ſed mox victi eius ſocij effecti ſunt. Inde exiens Tarviſium peruaſit, pari modo etiam & reliquas ciuitates. Cumque contra eum Cunibertus exercitum colligeret, & Foroiuliani in eius auxilium iuxta fidelitatem ſuam vellent proficiſci, ipſe Alachis ad pontem Liquentiæ fluminis, quod à Foroiulij quadraginta octo millibus diſtat, & eſt in itinere Ticinum pergentibus, in ſylua quæ Capulanus dicitur latens, cum Foroiulianorum exercitus ſparſim veniret, omnes eos ſicut veniebant iurare ſibi compulit, diligenter cauens ne aliquis ex his retro reuerſus venientibus hoc aliis indicaret. Sicque omnes à Foroiulij venientes ciues ſunt ſacramentis aſtricti. Quid plura? Cum omni Alachis Auſtria, è contra Cunibertus cum ſuis veniens, in campo, cui Coronate nomen eſt, caſtra poſuerunt.

XVII. CAP. XL.

Ad quem Cunibertus nuntium miſit, mandans ei vt cum eo ſingulare certamen iniret, nec

opus esset vtrorumque exercitum fatigari. Ad quæ verba Alachis minime consensit. Cui cum vnus genere Tuscus ex suis ei persuaderet, virum bellicosum fortemque eum appellans, vt contra Cunibertum audenter exiret, Alachis ad hæc verba respondit: Cunibertus quamuis ebriosus sit & stupidi cordis, tamen satis est audax, & miræ fortitudinis. Nam tempore patris eius, quando nos eramus iuuenculi, habebantur in palatio berbices miræ magnitudinis, quos ille supra dorsum eorũ lanam apprehendens, extenso brachio a terra leuabat, quod ego facere nõ poteram. Hæc ille Tuscus audiens, dixit ad eum: Si tu cum Cuniberto pugnam inire singulari certamine mauides, me iam in tuo adiutorio socium non habebis. Et hæc dicens, proripuit se, & statim ad Cunibertum confugit, & hæc ipsi nuntiauit. Conuenerunt itaque, vt diximus, vtraque acies in campo Coronata. Cumque iam prope essent vt se contingere deberent, Zeno diaconus Ticinensis ecclesiæ, qui custos erat basilicæ beati Iohannis Baptistæ, quæ intra eandem sita est ciuitatem, quam quondam Gundiberga regina construxerat, cum nimium diligeret regem, & metueret ne rex in bello periret, ait ad regem: Domine rex, omnis vita nostra in tua salute consistit, si tu in bello perieris, omnes nos iste Tyrannus

rannus Alachis per diuersa supplicia extinguet. Placeat itaque tibi consilium meum. Da mihi apparatum armorum tuorum, & ego vadam & pugnabo cum isto tyranno. Si ego obiero, tu recuperabis causam tuam; si vero vicero, maior tibi quia per seruum tuum vinceris, gloria ascribetur. Cumque hoc rex se facturum esse denegaret, ceperunt eum pauci qui aderant, eius fideles cum lachrymis deposcere, vt ad ea quæ diaconus dixerat, assensum præberet. Victus tandem, vt erat pij cordis, eorum precibus & lachrymis, loricam suam & galeam atque ocreas, & cetera arma diacono præbuit, inque sua persona eum ad prælium direxit. Erat enim ipse diaconus eiusdem staturæ & habitus, ita vt cum fuisset de tentorio armatus egressus, rex Cunibertus esse putaretur ab omnibus. Commissum est itaque prælium, & totis viribus decertatum. Cumque Alachis ibi magis intenderet vbi regem esse putaret, Cunibertum se extinxisse putans, Zenonem diaconum interfecit. Cumque caput eius amputari præcepisset, vt lenato eo in conto, Deo gratias acclamarent, sublata casside clericum se occidisse cognouit. Tunc furibundus exclamans: Heu me, inquit, nihil egimus, quando ad hoc prælium gessimus vt clericum occideremus. Tale itaque nunc facio votum, vt si mihi Deus iterum victo-

riam

Digitized by Google

riam dederit, quod vnum puteum de teſticulis impleam clericorum.

CAP. XLI. XVIII.

Igitur Cunibertus perdidiſſe ſuos conſpiciens, ſtatim ſe eis oſtendit, omniumque corda ſublata pauore ad ſperandam victoriam confortauit. Inſtruuntur iterum acies, & hinc Cunibertus, inde Alachis ad belli certamina præparantur. Cumque prope eſſent vt ſe vtraque acies ad pugnandum contingerent, Cunibertus ad Alachis iterato in hæc verba mandauit. Ecce quantus populus ex vtraque parte conſiſtit, quid opus eſt vt tanta multitudo pereat? Cominngamus nos ego & ille ſingulari certamine, & cui voluerit dominus de nobis, dare victoriam, omnẽ hunc populum ſalnum & incolumem poſſideat. Cumque Alachis ſui hortarentur vt faceret quod Cunibertus illi mandauit, ipſe reſpondit: Hoc facere ego non poſſum, quia inter contos ſuos ſancti archangeli Michaëlis, vbi ego illi iurani, imaginem conſpicio. Tunc vnus ex illis præ pauore, inquit, cernis quod non eſt, & tibi iam tarde eſt modo iſta meditari. Conſeruntur itaque acies perſtrepentibus buccinis, & neutra parte locum dante, maxima populorum facta eſt ſtrages. Tandem crudelis tyrannus Alachis interiit, & Cunibertus adiuuante domino victoriam cepit. Exerci-

tus

tus quoque Alachis, comperta eius morte, fugæ subsidium arripuit, è quibus quem mucro non perculit, Addua fluuius interemit. Caputque Alachis detruncatũ, truncaque eius succisa sunt, informeque tantum truncumque cadauer remansit. In hoc bello Foroiulianorum exercitus minime fuit, quia cum inuitus Alachis iurasset, propter hoc nec regi Cuniberto, nec Alachis auxilium tulit, sed cum illi bellum commisissent, ipsi ad propria sunt reuersi. Igitur Alachis hoc modo defuncto, rex Cunibertus corpus Zenonis diaconi, ante fores basilicæ beati Iohannis quam ipse erexerat, mirifice sepeliri mandauit. Ipse vero regnaturus cũ omni exultatione & triumpho victoriæ, Ticinum reuersus est.

Explicit liber quintus, de gestis Langobardorum.

Incipiunt

Incipiunt

CAPITA LIBRI SEXTI.

CAP. I.

QVOMODO Romoaldus Tarentum cepit, & quomodo Theuderada monaſterium Sancti Petri ædificauit.

CAP. II.

De morte Romoaldi, & quomodo corpus Beati Benedicti ad Gallias delatum eſt.

CAP. III.

De Rodoaldo duce Foro-iuliano, & de Ansfrit qui eius ducatum inuaſit.

CAP. IIII.

De Synodo quæ apud Conſtantinopolim facta eſt; & de epiſtola Damiani Epiſcopi.

CAP. V.

De Eclipſi lunæ & ſolis; & de peſtilentia quæ Romæ & Ticini facta eſt.

CAP. VI.

Quomodo per antiquũ hoſtem Aldoni & Grauſoni nuntiatum eſt, quod eos Cunibertus occidere vellet.

CAP. VII.

De Felice Diacono Grammatico.

Digitized by Google

CAP. VIII.
De Iohanne Bergomenſi Epiſcopo.
CAP. IX.
De ſtella obſcura, quæ tunc apparuit, & de eructatione Veſuuij montis.
CAP. X.
Quomodo gens Sarracenorum Africam cepit, & Carthaginem diruit.
CAP. XI.
De morte Conſtantini, & regno Iuſtiniani, & victoria eius de Sarracenis.
CAP. XII.
Quomodo Leo Iuſtiniani in exilium truſi regnum inuaſit.
CAP. XIII.
Quomodo Tiberius Leonem ſuperans, & in carcerem coniiciens, Imperator effectus eſt.
CAP. XIIII.
Quomodo Papa Sergius Aquileienſem Synodum, nolentem ſanctam quintam Synodum ſuſcipere, correxit.
CAP. XV.
De Theodoaldo rege Anglorum, quomodo Romam veniens baptizatus eſt, ſtatimque obiit.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVI.

Quomodo regnum Francorum apud Gallias ſub maioribus domus regiæ eſſe cœperit.

CAP. XVII.

De morte Cuniberti regis, & regno filij eius Liuberti.

CAP. XVIII.

De Raginberto duce Taurinenſium, quomodo ſuperato Liudberto regnum invaſit, & eo anno occubuit.

CAP. XIX.

Quomodo Aripertus regnum inuaſit, & Liutbertum viuum comprehendit, & poſtea extinxit.

CAP. XX.

Quomodo Rotharit apud Bergamum regnans, ab Ariperto captus vitaque priuatus eſt.

CAP. XXI.

Quomodo Anſprandus in Boioariam fugiens, cum Theudeberto eorum duce permanſit.

CAP. XXII.

Quomodo Aripertus Anſprandi vxorem filiumque eius & filiam diuerſis mo-

Digitized by Google

dis deturpauit,& quomodo Luitprandum ad patrem ſuum in Boioariam ire permiſit.

CAP. XXIII.

Quomodo apud Gallias maior domus Anſchis Arnulfi filius tunc erat.

CAP. XXIIII.

De morte Aldonis apud Forumiulij; & ducatu Ferdulfi, qui à Sclauis occiſus eſt.

CAP. XXV.

De ducatu Coruuli apud Forumiulij, qui à rege excæcatus eſt.

CAP. XXVI.

De Pemmone Foroiulianorum duce, & de natiuitate trium filiorum eius.

CAP. XXVII.

De Giſulfo Beneuentanorum duce; quomodo Suram & alia caſtra inuaſit.

CAP. XXVIII.

De donatione quam Aripertus Romanę Eccleſiæ fecit, & de duobus Anglorum regibus.

CAP. XXIX.

De Benedicto Mediolanenſi Archiepiſcopo.

CAP. XXX.

De morte Traſemundi Spoletani ducis, & ducatu filij eius Faroaldi.

CAP.

CAP. XXXI.

De Iuſtiniano Imperatore, quomodo iterum regnum inuaſit, & ſuos rebelles occidit.

CAP. XXXII.

Quomodo Philippicus Iuſtinianũ peremit, & Auguſtale decus inuaſit.

CAP. XXXIII.

De obitu Petri Architæ, & Sacerdotio Sereni.

CAP. XXXIIII.

Quomodo Philippicum Anaſtaſius ſuperauit.

CAP. XXXV.

Quomodo Anſprandus auxiliante ſibi Theudeberto cum Boioariis Aripertum ſuperauit,& de morte Ariperti in flumine: & de fuga germani eius Cuniberti, & regno Anſprandi, & Luitprandi filij eius.

CAP. XXXVI.

Quomodo Theodoſius Anaſtaſium ſuperauit, & regnum inuaſit, & de inundatione Tyberis.

CAP. XXXVII.

De gente Anglorum,& rege Francorum Pipino, & bellis eius, & quia ei Karolus ſuus filius ſucceſſit.

CAP. XXXVIII.

Quomodo Liutprandus Rex Rotharit ſuum rebellem occidit, & de audacia eiuſdem regis.

CAP. XXXIX.

De morte Giſulfi ducis Beneuentani, & ducatu filij eius Romoaldi.

CAP. XL.

Quomodo Beatus Petronax, monaſterium Sancti patris Benedicti apud Caſſinum reparauit, & de monaſterio Sancti Vincentij.

CAP. XLI.

Quomodo defuncto Imperatore Theodoſio, Leo ei ſucceſſit in regno.

CAP. XLII.

Quomodo Karolus Francorum princeps Reginfridum ſuperauit.

CAP. XLIII.

Quomodo Liutprandus Rex donationem Eccleſiæ confirmauit, & quomodo filiam Theudeberti in coniugium accepit.

CAP. XLIIII.

Quomodo Faroaldus claſſem inuaſit, & quia Theudo Boiariorum dux ad Apoſtolorum limina Romam venit.

CAP.

Digitized by Googl

CAP. XLV.

Quod defuncto Sereno Patriarcha, Calixtus regimen Ecclesiæ susceperit; & de bello Pemmonis aduersus Slauos.

CAP. XLVI.

De aduentu Sarracenorum in Hispaniam: & quomodo eos Karolus & Eudo in Gallia superauerunt.

CAP. XLVII.

Quomodo Sarraceni Constantinopolim obsederunt, & à Bulgaribus deuicti sunt.

CAP. XLVIII.

Quomodo Liutprandus rex corpus Beati Augustini Ticinum aduexit.

CAP. XLIX.

Quas ciuitates Romanorum Liutbrandus Rex inuasit; & de deterioribus factis Leonis Augusti.

CAP. L.

De Romoaldo Beneuentano duce, & Gisulfo filio eius.

CAP. LI.

De inimicitiis Pemmonis contra Calixtum Patriarcham.

CAP. LII.

Bellum Ratchis contra Slauos.

CAP. LIII.

Quomodo Rex Liutbrandus Pipino Karoli regis filio capillum totondit.

CAP. LIIII.

Sarraceni rursum Gallias repetentes à Francis superantur,&quomodo Liutbrandus in solatium Francorum iuit.

CAP. LV.

De Trasemundo duce Spoletano, & Gisulfo Beneuentano,& Gregorio, & regno Hilprandi.

CAP. LVI.

Quia mortuo Gregorio Gothschalcus in Beneuento dux factus est: & quomodo rex Liutbrandus bellú in Pentapoli gessit.

EXPLICIVNT CAPITA.

Incipit

Incipit

LIBER SEXTVS

De gestis Langobardorum.

CAP. I. I.

DVM ista apud Langobardos trans Padum geruntur, Romoaldus Beneuentanorum Dux, congregata exercitus multitudine, Tarentum expugnauit & cepit, parique modo Bruzdusium, & omnem illam quæ in circuitu est latissimam regionem suæ ditioni subiugauit. Coniunx quoque eius Theuderada, eodem tempore foras muros Beneuentanæ ciuitatis, Basilicam in honorem Beati Petri Apostoli construxit; quo in loco multarum ancillarum Dei cœnobium instituit.

CAP. II.

Romoaldus quoque postquam sedecim annos ducatum gessit, ab hac luce subtractus est: post quem eius filius Grimoldus tribus annis Samnitum populos rexit. Huic in coniugio sociata fuit Wigilinda, soror Cuniberti, filia Bertaridi regis. Defunctoque Grimoaldo Gusulfus eius germanus ductor effectus est, præfuitque Beneuento annis decem & septem. Huic sociata fuit

Digitized by Google

Winiberta, quæ ei Romoaldum peperit. Circa hæc tempora, cum in castro Casino, vbi beatissimi Benedicti sacrum corpus requiescebat, aliquantis iam elapsis annis, vasta solitudo existeret, venientes de Cenomannicorum vel Aurelianensium regione Franci, dum apud venerabile corpus pernoctare se simulassent, eiusdem venerabilis patris, pariterque eius germanæ venerandæ Scholasticæ ossa auferentes, in suã patriam asportauerunt. Vbi singillatim duo monasteria in vtriusque honorem, beati Benedicti, & Sanctæ Scholasticæ constructa sunt. Sed certum est nobis os illud venerabile, & omni nectare suauius, & oculos semper cælestia cõtuentes, cetera quoque membra quamuis in cinerem defluxa, remansisse. Solum etenim singulariter dominicum corpus non vidit corruptionem. Ceterum omnium sanctorum corpora, in æternam postea gloriam reparanda, corruptioni subiecta sunt; his exceptis, quæ ob diuina miracula sine labe seruantur.

CAP. III.

At vero Rodoaldus, quem apud Forumiulij præmisimus ducatum tenuisse, cum ab eadem ciuitate abesset, Ansfrit de castro Reunia ducatum eius absque regis nutu peruasit. Quo comperto

Digitized by Google

perto Rodoaldus in Hiſtriam fugit, ac deinde nauigio per Rauennam Ticinum ad Cunibertum regem peruenit. Ansfrit vero non contentus ducatum Foroiulianenſium regere, inſuper contra regem Cunibertum rebellans, regnum eius inuadere voluit. Sed comprehenſus in Verona, ad regem ductus, emulſis oculis in exilium retruſus eſt. Foroiulianorum autem ducatum poſt hæc, Ado frater Rodoaldi loci ſeruatoris nomine per annum & menſes ſeptem gubernauit.

CAP. IIII.

II.

Dum hæc in Italia geruntur, Hæreſis apud Conſtantinopolim orta eſt, quæ vnam in domino noſtro Ieſu Chriſto voluntatem, & operationem aſſeuerabat. Hanc autem hæreſim excitarunt Gregorius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Macarius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus. Quam ob cauſam Conſtantinus Auguſtus, centum quinquaginta Epiſcopos congregari fecit: inter quos etiam fuerunt legati ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, miſſi ab Agathone Papa, Iohannes Diaconus, & Iohannes Portuenſis Epiſcopus. qui omnes eandem hæreſim damnauerunt. Ea hora tantæ aranearum telæ in medio populi cecidерunt, vt omnes mirarentur. Ac per hoc ſignificatum eſt, quod ſordes hæreticæ prauitatis depulſæ

pulſæ ſint. Et Gregorius quidem Patriarcha correctus eſt, ceteri vero in ſua defenſione perſeuerantes anathematis vltione perculſi. Eo tempore Damianus Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſub nomine Manſueti Mediolanenſis Archiepiſcopi, hac de cauſa ſatis vtilem rectæque fidei Epiſtolam compoſuit, quæ in præfata ſynodo non mediocre ſuffragium tulit. Recta autem & vera fides hæc eſt, vt in Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſicut duæ ſunt naturæ, hoc eſt, Dei & hominis, ſic etiam duæ eſſe credantur voluntates ſiue operationes. Vis audire de eo quid deitatis eſt? Ego, inquit, & pater vnum ſumus. Vis audire quid humanitatis? Pater maior me eſt. Cerne ſecundum humanitatem eum in naui dormientem; cerne eius diuinitatem, cùm Euangeliſta ait, Tunc ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Hæc eſt ſexta ſynodus vniuerſalis, Conſtantinopoli celebrata, quæ Græco ſermone conſcripta, temporibus Papæ Agathonis, exequente ac reſidente Conſtantino principe intra ſepta palatij ſui.

CAP. V.

His temporibus per indictionẽ octauam Luna eclipſin paſſa eſt. Solis quoque eclipſis eodem penè tempore, hora diei quaſi decima, quinto

Nonas

Nonas Maias effecta est, moxque subsecuta est grauissima pestis tribus mensibus, hoc est, Iulio, Augusto, & Septembrio : Tantaque fuit multitudo morientium, vt etiam parentes cum filiis, atque fratres cum sororibus, bini per feretra positi, apud vrbem Romam ad sepulchra deducerentur. Pari etiam modo hæc pestilentia Ticinum quoque depopulata est, ita vt cunctis ciuibus per iuga montium seu per diuersa loca fugientibus, in foro & per plateas ciuitatis herbæ & frutetæ nascerentur. Tuncq; visibiliter multis apparuit, quia bonus & malus angelus noctu per ciuitatem pergerent, & ex iussu boni angeli, malus angelus, qui videbatur venabulum manu ferre, quotiens de venabulo ostium cuiuscunque domus percussisset, tot de eadem domo die sequenti homines interirent. Tunc per reuelationem cuidam dictum est, quod pestis ipsa prius non quiesceret, quam in Basilica Beati Petri, quæ ad Vincula dicitur, Sancti Sebastiani martyris altarium poneretur. Factumque est, & delatis ab vrbe Roma Beati Sebastiani martyris reliquiis, mox vt in iam dicta basilica altarium constitutum est, pestis ipsa quieuit.

CAP. VI. III.

Rex vero Cunibertus, dum post hæc cum stratore

tore ſuo, qui lingua propria Marpahis dicitur, conſilium iniret in ciuitate Ticinenſi, quomodo Aldonem & Grauſonem vita priuare deberet, repente in feneſtra, iuxta quam conſiſtebant, vna de maiuſculis muſca conſedit. Quam Cunibertus cultello vt extingueret percutere volens, eius tantum pedem abſcidit. Aldo vero & Grauſo, dum ad Palatium regis conſiliũ neſcientes venirent, cum baſilicæ ſancti Romani martyris, quæ prope Palatium ſita eſt, propinquaſſent, repente eis obuius quidam claudus vno pede truncato factus eſt, qui eis dixit quod eos Cunibertus, ſi ad eum pergerent, occiſurus eſſet. Qui hæc audientes, magno timore correpti, poſt altarium eiuſdem baſilicæ confugerunt. Moxque Cuniberto regi nuntiatum eſt, quod Aldo & Grauſo in baſilicam Beati Romani martyris confugiſſent. Tunc Cunibertus ſtratorem ſuum arguere cæpit, vt quid conſilium ſuum prodere debuiſſet. Cui ſuus ſtrator ita reſpondit: Domine mi rex, tu ſcis, quia poſtquam hoc conſiliati ſumus, ego à tuo conſpectu non exiui, & quomodo hoc alicui dicere potui? Tunc rex ad Aldonem & Grauſonem miſit, interrogans eos, ad quid in locum ſanctum confugium feciſſent? Qui reſpondentes dixerunt, quia nuntiatum eſt nobis, quod nos dominus Rex occidere vellet. Iterato

rex

rex misit ad eos, sciscitans quis fuit ille, qui eis nuntiauerit, mandans, vt nisi ei nuntiatorem proderent, eius gratiam inuenire non possent. Tunc illi sicut factum fuerat, regi narrauerunt dicentes, claudum hominem obuium se habuisse, qui vnum pedem truncatum habebat, & genu tenus crure ligneo vtebatur: & hunc fuisse sui interitus nuntium. Tunc intellexit Rex, muscam illam cui pedem truncauerat, malignum spiritum fuisse, & ipsum sui secreta consilij prodidisse. Qui statim Aldonem & Gransonem in sua fide de eadem Basilica suscipiens, eisdem culpam pepercit, & in reliquum eosdem in loco habuit filiorum.

CAP. VII.

Eo tempore floruit in arte Grammatica Felix, patruus Flauiani præceptoris mei, quem in tantum Rex dilexit, vt ei baculum argento auroque decoratum, inter reliqua suæ largitatis munera condonaret.

CAP. VIII.

Per idem quoque tempus Iohannes Episcopus Bergomatis Ecclesiæ, vir miræ sanctitatis extitit. Qui cum regem Cunibertum in comiuio dum sermocinarentur offendisset, rex ei ad hospitium

pitium reuertenti equum ferocem & indomitum, qui immenſo fremitu ſuper ſe ſedentes terræ allidere ſolebat, præparari fecit. Cui cum Epiſcopus ſuperſediſſet, ita manſuetus extitit, vt eum blando inceſſu vſque ad domum propriam deportaret. Quod rex audiens, & Epiſcopum ex eo die honore debito coluit, & ei ipſum equum, quem ſua ſeßione dedicauerat, dono largitus eſt.

IIII. CAP. IX.

Hac tempeſtate noctu ſtella iuxta vergilias, cælo ſereno, inter domini natalem & theophaniam, apparuit, omnimodo inumbrata, veluti cum Luna ſub nube eſt conſtituta. Poſt hæc menſe Februario, die media, ſtella ab occaſu exiit, quæ cum magno fulgore in partes orientis declinauit. Debinc menſe Martio Veſuuij eructauit incendium per dies aliquot, & omnia virentia circumquaque præ puluere & cinere illius exterminata ſunt.

CAP. X.

Tunc Sarracenorum gens infidelis & deo inimica, ex Ægypto in Africam cum nimia multitudine pergens, obſeſſam Carthaginem cepit, captamque crudeliter depopulata eſt, & ad ſolum vſque proſtrauit.

CAP.

CAP. XI.

Inter hæc Constantinus Imperator apud Constantinopolim moritur, & eius minor filius Iustinianus Romanorum regnum susceptit, cuius per decem annos gubernacula tenuit. Hic Africam à Sarracenis abstulit, & cum eisdem pacem terra marique fecit. Hic Sergium Pontificem, quia in erroris illius synodo, quam Constantinopoli fecerat, fauere & subscribere noluit, missa Zacharia protospatario suo, iussit Constantinopolim deportari. Sed militia Rauennæ, vicinarumque partium, iussa principis nefanda contemnens, eundem Zachariam cum contumeliis ab vrbe Roma & iniuriis pepulit.

CAP. XII.

Contra hunc Iustinianum Leo Augustalem dignitatem arripiens, eum regno priuauit; Regnumque Romanorum tribus annis regens, Iustinianum exulem in Ponto seruauit.

CAP. XIII.

Rursumque Tiberius contra hunc Leonem insurgens, regnum eius inuasit, eumque toto quo ipse regnauit tempore, in eadem ciuitate in custodia tenuit.

Digitized by Google

CAP. XIIII.

Hoc tempore Synodus Aquileiæ facta ob imperitiam fidei, quintum vniuersale concilium suscipere diffidit, donec salutaribus Beati Papæ Sergy monitis instructa, & ipsa cum ceteris Christi Ecclesijs annuere consentit. Facta autem est hæc Synodus Constantinopoli, temporibus Vigilij Papæ, sub Iustiniano principe, contra Theodorum & omnes hæreticos, qui beatam Mariam solum hominem, non deum & hominem genuisse affirmabant. In qua synodo catholicè est institutum vt beata Maria semper virgo, Θεοτόκος diceretur, quia sicut catholica fides habet, non hominem solum, sed vere Deum & hominem genuit.

CAP. XV.

His diebus Cedoaldus rex Anglorum Saxonum, qui multa in sua patria bella gesserat, ad Christum conuersus Romam properauit. Qui ad Cunibertum regem veniens, ab eo mirifice susceptus est: is cum Romam peruenisset, à Sergio Papa baptizatus, Petrusq; est appellatus, & ad huc in albis constitutus, ad regna cælestia migrauit. Cuius corpus in Basilica beati Petri sepultum est, & hoc super se epitaphium descriptum habet:

Culmen,

Digitized by Google

Culmen, opes, ſobolem, pollentia regna, triumphos,
Exuuias, proceres, mænia, caſtra, lares:
Quæque patrum virtus, & quæ congeſſerat ipſe
Cedoald armipotens, liquit amore Dei,
Vt Petrum ſedemque Petri rex cerneret hoſpes,
Cuius fonte meras ſumeret almus aquas,
Splendificumque iubar, radianti carperet hauſtu,
Ex quo viuificus ſplendor vbique fuit,
Perſpicienſque alacer recidiuæ præmia vitæ,
Barbaricam tabiem nomen & inde ſuum.
Conuerſus conuertit ouans, Petrumque vocari
Sergius antiſtes iuſſit vt ipſe pater.
Fonte renaſcentis quem Chriſti gratia purgans,
Protinus albatum vexit in arce poli.
Mira fides regis, clementia maxima Chriſti,
Cuius conſilium nullus adire poteſt.
Soſpes enim veniens ſupremo ex orbe Britanni,
Per varias gentes, per freta, perque vias.
Vrbem Romuleam vidit, templumq. verendum
Aſpexit Petri, myſtica dona gerens.
Candidus inter oues Chriſti ſociabilis ibit,
Corpore nàm tumulum, mente ſuperna tenet.
Commutaſſe magis ſceptrorum inſigna credas,
Quem regnum Chriſti promeruiſſe vides.

CAP. XVI. V.

Hoc tempore apud Gallias Francorum regibus à ſolita fortitudine & ſcientia degeneran-tibus, hi qui maiores domus regalis eſſe videban-

tur, administrare regni potentiam, & quicquid regibus agere mos est, cæperunt, quippe cum cælitus esset dispositum, ad horum progeniem Francorum transuehi regnum. Fuitque eo tempore maior domus in regio Palatio Arnulfus, vir vt postmodum claruit, deo amabilis & miræ sanctitatis. Qui post gloriam sæculi Christi seruitio se subdens, mirabilis in Episcopatu extitit, ac demum Eremiticam vitam eligens, leprosis vniuersa præbens obsequia, continentissimè vixit. De cuius mirabilibus apud Mettensem Ecclesiam, vbi Episcopatum gessit, liber extat eiusdem miracula & vitæ abstinentiam continens. Sed & ego in libro quem de Episcopis eiusdem ciuitatis conscripsi, flagitante Angilrammo viromitissimo, & sanctitate præcipuo, præfatæ Ecclesiæ Archiepiscopo, de hoc sacratissimo viro Arnulfo, quædam eius miranda composui, quæ modo superfluum duxi replicare.

CAP. XVII.

Inter hæc Cunibertus cunctis amabilis princeps, postquam duodecim annos Langobardorum regnum post patrem solus obtinuit, tandem ab hac luce subtractus est. Hic in campo Coronate, vbi bellum contra Alachis gessit, in honorem Beati Gregorij martyris monasteriũ construxit.

Fuit

Digitized by Google

Fuit autem vir elegans, & omni bonitate conſpicuus, audaxque bellator. Hic cum multis Langobardorum lachrymis, iuxta baſilicam domini ſaluatoris, quam quondam auus eiuſdem Aripertus conſtruxerat, ſepultus eſt, regnumque Langobardorum Liutberto filio adhuc puerilis ætatis reliquit, cui tutorem Anſprandum virum ſapientem & illustrem contribuit.

CAP. XVIII. VI.

Dehinc elapſis octo menſibus, Ragunbertus dux Taurinenſium, quem quondam Rex Godebertus cũ extingueretur à Grimoaldo reliquerat paruulum, de quo & ſuperius diximus, cum valida manu veniens aduerſus Anſprandum & Rotharit Bergomenſium ducem apud Nouarias conflixit, eoſque in campo exuperans, regnum Langobardorum inuaſit, ſed eodem anno mortuus eſt.

CAP. XIX.

Tunc filius eius Aripertus, iterum bellum parans, pugnauit cum Liutberto rege apud Ticinum, cumq; Anſprando & Ottone, & Tazone, nec non & Rotharit, ac Farone. Sed omnes hos bello exuperans, Liutbertum infantulum viuum in bello comprehendit. Anſprandus quoque fugiens, in inſulam ſe Commacinam communiuit.

CAP. XX.

At vero Rotharit dux, Bergamum ciuitatem ſuam rediens, regnum arripuit. Contra quem rex Aripertus cum magno exercitu proficiſcens, expugnata primum & capta Laude, Bergamum obſedit, eamque cum arietibus & diuerſis belli machinis, ſine aliqua difficultate oppugnans mox cepit, comprehenſumque Rotharit pſeudo-regem, eius caput barbamque radens, Taurinis in exilium retruſit, quique ibidem poſt aliquot dies peremptus eſt. Liutbertum vero, quem ceperat, parè modo in balneo vita priuauit.

CAP. XXI.

Miſit quoque exercitum aduerſus Anſprandum in Inſulam Commacinam. Quo comperto Anſprandus fugit Clauennam, deinde per Curiam Rethorum ciuitatem venit ad Theudebertum Boioariorum ducem; & fuit cum eo per nouem annos. Exercitus vero Ariperti, inſulam in qua Anſprandus confugerat, inuadens, eius oppidum diruit.

VII. ## CAP. XXII.

Rex igitur Aripertus confirmato regno, Sigibrandum Anſprandi filium oculis priuauit, omneſque qui ei conſanguinitate iuncti fuerant, diuerſis

diuersis modis afflixit. Minorem quoque Anſprandi filium Liutprandum in cuſtodia tenuit, quem quia deſpicabilem perſonam, & adhuc adoleſcentulum eſſe perſpexit, non ſolum in eius corpore vindictam aliquam minime ingeſſit, ſed eum vt ad patrem ſuum pergeret, abire permiſit. Quod dei omnipotentis nutu factum fuiſſe, qui eum ad regni gubernacula præparabat, dubium non eſt. Igitur Liutprandus ad patrem ſuum in Boioariam profectus, ei de ſuo aduentu inæſtimabile gaudium fecit. Vxorem vero Anſprandi Theuderadam nomine, rex Aripertus comprehendi fecit. Quæ cum ſe voluntate fœminea reginam futuram eſſe iactaret, naſo atque auribus abſciſis, decore ſuæ faciei deturpata eſt. Pari etiam modo & germana Liutprandi, nomine Aurona, deformis effecta eſt.

CAP. XXIII. VIII.

Hoc tempore apud Gallias in Francorum regnum, Anchis Arnulfi filius, qui de nomine Anchiſæ quondam Troiani creditur appellatus, ſub nomine maioris domus, gerebat principatum.

CAP. XXIIII.

Mortuo quoque apud Forumiulij Aldone, quem dixeramus loci ſeruatorem fuiſſe, Ferdulfus ducatum

catum ſuſcepit, qui de partibus Liguriæ extitit homo lubricus & elatus. Qui dum victoriæ laudem de Slauis habere cupiens, magna ſibi & Foroiulianis detrimenta inuexit. Is præmia quibuſdam Slauis dedit, vt exercitum Slauorum in eandem prouinciam ſua adhortatione immitterent. Quod ita quoque effectum eſt. Cauſa autem magnæ in eadem Foroiulij prouincia perditionis, iſta fuit: Irruerunt latrunculi Slauorum ſuper gregem & paſtores ouium, quæ in eorum vicinia paſcebantur, & de eis prædas abegerunt. Subſecutus eſt hos rector loci illius, quem Sculdhais lingua propria dicunt, vir nobilis, animoque & viribus potens, ſed tamen eoſdem latrunculos aſſequi non potuit. Cui exinde reuertenti, dux Ferdulfus obuiam factus eſt. Quem dum interrogaret, quid de illis latrunculis factum eſſet, Argaid ei (ſic enim nomen habebat) eoſdem fugiſſe reſpondit. Tunc ei Ferdulfus indignans, ita locutus eſt: Quando tu aliquid fortiter facere poteris, qui Argaid ab Arga nomen deductum habes? Cui ille, maxima ſtimulatus ira, vt erat vir fortiſſimus, ita reſpondit: Sic velit Deus, vt non antea ego & tu Ferdulfe exeamus de hac vita, quam cognoſcant alij, quis ex nobis magis eſt Arga. Hæc cum ſibi inuicem vulgaria verba locuti fuiſſent,

fuiſſent, contigit non poſt multos dies, vt exercitus Slauorum, pro quorum aduentu Dux Ferdulfus præmia dederat, cum magnis viribus aduentaret. Qui cum caſtra in ſummo montis vertice poſuiſſent, & penè ex omni parte difficile eſſet ad eos accedere, Ferdulfus dux cum exercitu veniens, cœpit eundem montem circuire, vt per loca planiora ſuper eos poſſet irruere. Tunc Argaid de quo premiſimus, ita Ferdulfo dixit: Memento dux Ferdulfe, quod me eſſe inertem & inutilem dixeris, & vulgari verbo Arga vocaueris. Nunc autem ira Dei veniat ſuper illum, qui poſterior è nobis ad hos Slauos acceſſerit. Et hæc dicens, verſo equo per aſperitatem montis, vnde grauis erat aſcenſus, ad caſtra contendere cœpit Slauorum. Ferdulfus verò opprobrium ducens, ſi non ipſe per eadem difficilia loca ſuper Slauos irrueret, eum per aſpera quæque & difficiliarmuiag, loca ſecutus eſt. Quem ſuus exercitus turpe ducens ducem non ſequi, ſubſequi & ipſe cœpit. Videntes itaque Slaui eos per deuexa loca ſuperuenire, præparauerunt ſe viriliter, & magis lapidibus ac ſecuribus, quam armis contra eos pugnantes, penè omnes deiectos equis peremerunt, ſicque victoriam non viribus, ſed caſu adepti ſunt. Ibi omnis nobilitas periit Foroiulianorum, ibi Ferdulfus dux ce-

 cidit,

cidit, ibi & ille qui eum prouocauerat extinctus est. Tantique ibi viri fortes per contentionis malum & imprudentiæ debellati sunt, quanti possent per vnam concordiam & salubre consilium, multa milia sternere æmulorum. Ibi tamen vnus è Langobardis nomine Munichis, qui pater post Petri Forojulianorum & Vrsi Cenetensis ducum extitit, solus fortiter & viriliter fecit. Is cum de equo deiectus esset, & eum vnus de Slauis subito inuadens eius manus fune colligasset, ipse manibus ligatis lanceam ab eiusdem Slaui dextera extrahens, eum cum ipsa percussit, & ligatus per aspera se loca deiiciens euasit. Hæc ideo vel maxime in hac posuimus historia, ne quid alicui per contentionis malum simile contingat.

IX. CAP. XXV.

Mortuo itaque Ferdulfo duce hoc modo, in eius loco ordinatus est Cernulus, qui pauco tempore ducatum tenens, dum regem offendisset, euulsis oculis dedecorose vixit.

CAP. XXVI.

Deinceps vero Pemmo ducatum promeruit, qui fuit homo ingeniosus & vtilis patriæ. Hic patre genitus Billonense, qui de Belluno fuerat: sed

Digitized by Google

ſed propter ſeditionem quam illic fecerat, in Forumiulij poſt veniens, ibi pacifice vixit. Hic Pemmo habuit coniugem Ratbergam nomine. Quæ cum eſſet facie ruſticana, ſæpè maritum deprecabatur, vt ſe dimiſſa aliam vxorem duceret, quam tanti ducis coniugem eſſe deceret. Sed ipſe, vt erat vir ſapiens, plus eius mores, & humilitatem, verecundamque pudicitiam, quam corporis pulchritudinem, ſibi complacere dicebat. De hac ergo coniuge tres Pemmo filios, hoc eſt, Ratchis & Ratchait, & Abiſtulfum viros ſtrenuos genuit. Quorum natiuitas humilitatem matris ad gloriam erexit. Qui Dux congregatis omnium nobilium qui in bello, de quo diximus, obierant filiis, ſic eos cum ſuis natis pariter nutriuit, ac ſi & ipſi ab eo geniti fuiſſent.

CAP. XXVII.

Hac denique ætate, Giſulfus Beneuentanorum ductor, Suram Romanorum ciuitatem, Hirpinos, atque Arcom, pari modo oppida cepit. Qui Giſulfus tempore Iohannis Papæ, cum omni ſua virtute Campaniam venit, incendia & depræda tiones faciens, multos captiuorum cepit, & vſque in locum qui Horrea dicitur caſtra metatus eſt, nulluſque ei reſiſtere potuit. Ad hunc pontifex miſſis ſacerdotibus cum Apoſtolicis

licis donariis, vniuersos captiuos de eorum manibus redemit, ipsumque ducem cum suo exercitu, ad propria repedare fecit.

CAP. XXVIII.

X. *Hoc tempore Aripertus rex Langobardorum, donationē patrimonij Alpium Cottiarum, quæ quondam ad ius pertinuerant Apostolicæ sedis, sed à Langobardis multo tempore fuerant ablatæ, restituit, & hanc donationem aureis exaratam litteris, Romam direxit. His etiam diebus duo reges Saxonum, ad vestigia Apostolorum Romam venientes, sub velocitate vt optabant defuncti sunt.*

CAP. XXIX.

Tunc quoque venit Benedictus Archiepiscopus Mediolanensis Romam, & causam egit pro Ecclesia Ticinensi. Sed victus est, eo quod à priscis temporibus Ticinenses Episcopi à Romana fuerant ecclesia consecrati. Fuit autem isdem venerabilis Benedictus Archiepiscopus, vir egregiæ sanctitatis, de quo per vniuersam Italiam bonæ opinionis fama flagranit.

CAP. XXX.

Igitur defuncto Trasemundo duce Spoletanorum, Faroaldus eius filius in loco patris est subro-

Digitized by Google

subrogatus. Denique Wachilapus germanus fuit Trasemundi, & cum fratre pariter eundem rexit ducatum.

CAP. XXXI.

At vero Iustinianus qui amisso principatu in Ponto exulabat, auxilio Terebelli Bulgarum regis, regnum rursus recipiens, eos qui se expulerant, patricios occidit. Leonem quoque & Tiberium, qui locum eius vsurpauerant, cepit, & in medio Circo coram omni populo iugulari fecit. Gallicinum vero Patriarcham Constantinopolitanum eruti oculis Romam misit, Cyrumque Abbatem, qui eum in Ponto exulem aluerat, Episcopum in loco Gallicini constituit. Hic Constantinum Papam ad se venire iubens, honorifice suscepit, ac remisit. Quem prostratus in terram pro suis peccatis intercedere rogans, cuncta eius Ecclesiæ priuilegia renouauit. Qui cum exercitum in Pontũ mitteret ad comprehendendum Philippicum, quem ibi releganerat, multum eum isdem venerabilis Papa prohibuit, ne hoc facere deberet, sed tamen inhibere non potuit.

CAP. XXXII.

Exercitus qui missus contra Philippicum fuerat, ad partem Philippici se contulit, eumque imperatorem

Digitized by Google

peratorem fecit. Qui Constantinopolim contra Iustinianum veniens, cum eo ab vrbe miliario duodecimo pugnauit, vicit & occidit, regnumque eius adeptus est. Imperauit autem Iustinianus cum filio Tiberio in hac secunda vice, annos sex, quem Leo in expulsione illius naribus detruncauit. Qui post iterum assumto imperio, quotiens defluentē guttam rheumatis manu detersit, penè totiens aliquem ex iis, qui contra eum fuerant, iugulari præcepit.

CAP. XXXIII.

Mortuo denique his diebus Patriarcha Petro, Aquileiensis regimen Ecclesiæ suscepit Serenus, qui fuit vir simplicitate præditus, & ad Christi seruitium promus.

XI. CAP. XXXIIII.

At vero Philippicus, qui & Bardanis dictus est, postquam in imperiali dignitate confirmatus est, Cyrum, de quo dixeramus, de pontificatu eiectum, ad gubernandum monasterium suum, Pontum redire præcepit. Hic Philippicus Constantino Papæ litteras prauæ dogmatis direxit, quas ille cum Apostolicæ sedis consilio respuit. Et huius rei causa fecit picturas in porticu Sancti Petri, quæ gesta sex sanctarum Synodorum vniuersalium

Digitized by Google

uersalium retinent. Nam & huiusmodi pictu-
ras, cum haberentur in urbe regia, Philippicus
iusserat auferri, statuitque Populus Romanus,
ne Hæretici Imperatoris nomen, aut chartas, aut
figuram solidi susciperent. Vnde nec eius effi-
gies in Ecclesiam introducta est, nec nomen ad
missarum sollemnia prolatum. Hic cum annum
unum & sex menses regnum gessisset, contra
eum Anastasius, qui & Artemius dictus est,
insurgens, eum regno expulit, oculisque priua-
uit, nec tamen occidit. Hic Anastasius litteras
Constantino Papæ Romam per Scholasticum Pa-
tricium & Exarchum Italiæ direxit, quibus se
fautorem Catholicæ fidei, & sancti sexti concilij
prædicatorem esse declarauit.

CAP. XXXV. XII.

Igitur postquam Ansprandus apud Boioariam
iam nouem expletis annis exulasset, promoto tan-
dem Theudeberto decimo anno Boioariorum
ductor exercitu uenit Italiam, pugnauit cum
Ariperto, & facta est ex utraque parte multa
strages populorum. Sed quamuis ad extremum
nox prælium diremisset, certũ tamen est, Boioa-
rios terga præbuisse, & Ariperti exercitum vi-
ctorem ad castra remeasse. Sed dum Aripertus
in castris manere noluisset, sed potius Ticinum
ciuitatem

ciuitatem introisset, & suis hoc facto desperationem, & aduersariis audaciam præbuit. Qui postquam in ciuitatem ingressus est, & sensisset quia pro hoc facto suum exercitum offensum haberet, mox arrepto consilio vt in Franciam fugeret, quantum sibi vtile duxit, è Palatio aurum sustulit. Qui dum trans fluuium Ticinum grauatus auro natare voluisset, ibi corruens suffocatus aquis extinctus est. Cuius in crastinum diem corpus inuentum, in Palatio ornatum, ac deinde ad Basilicam Domini Saluatoris, quã antiquitus Aripertus construxérat, perlatũ ibique sepultum est. Hic in diebus quibus regnum tenuit noctu egrediens, & hac illacque pergens, quid de eo a singulis ciuitatibus diceretur, per semetipsum explorabat, ac diligenter qualem iustitiam singuli iudices populo suo facerent, inuestigabat. Hic aduenientibus ad se exterarum gentium legatis, vilibus coram eis vestibus siue pelliciis vtebatur, vtque minus Italiæ insidiarentur, nunquam eis pretiosa vina, vel ceterarum rerum delitias ministrabat. Regnauit autem cum patre Ragumberto, siue solus, vsque ad annum duodecimum. Fuit quoque vir pius, eleemosynis deditus, ac iustitiæ amator. In cuius temporibus, terræ vbertas nimia, sed tempora barbarica. Huius germanus Gumbertus eo tem-

pore

Digitized by Google

pore in Franciam fugiens, ibidemque usque ad suæ mortis diem permansit. Huic fuerunt filij tres, quorum qui maior natu extitit, Raginbertus nomine, nostris in diebus Aurelianensem ciuitatem rexit. Post cuius Ariperti funus, Ansprandus Langobardorũ regno potitus, tres menses solummodo regnauit: Vir per omnia egregius, & cuius sapientiæ rari æquandi sunt. Cernentes Langobardi huius interitum, Liutprandum eius filium, in regali constituunt solio. Quod Ansprandus dum adhuc viueret audiens, valde lætatus est.

CAP. XXXVI.

Hoc tempore Anastasius Imperator classem in Alexandriam contra Sarracenos direxit. Cuius exercitus ad aliud versus constituunt, ab itinere inedio Constantinopolitanam urbem regressus, Theodosium orthodoxam inquirens, imperatorem elegit, atque coactum in solio imperij confirmauit. Qui Theodosius apud Areas ciuitatem Anastasium graui prælio vicit, datoque sibi sacramento, eum clericum fieri ac presbyterum fecit ordinari. Ipse vero vt regnum accepit mox in regia urbe, imaginem illam veneranda, in qua sancta synodus erat depicta, & à Philippico fuerat deiecta, pristinum in locum erexit. His diebus Tyberis fluuius ita inundauit,

vt alueum ſuum egreſſus multa Romane fecerit exitia ciuitati ; ita vt in via lata ad vnam & ſemis ſtaturam excreſceret, atque à porta Sancti Petri vſque ad pontem Miluium aquæ ſe diſtendentes coniungerent.

CAP. XXXVII.

His temporibus multi Anglorum gentis nobiles & ignobiles, viri & fœminæ, duces & primates, diuini amoris inſtinctu Romam venire conſueuerunt. Apud regnum Francorum tunc temporis Pipinus obtinebat principatum. Fuit autem vir mirę audaciæ, qui hoſtes ſuos aggrediendo ſtatim conterebat. Nam ſupra ſuum quendam aduerſarium Rhenum transgreſſus, cum vno tantum ſatellite ſuo irruit, eumque in ſuo cubiculo reſidentem cum ſuis trucidauit. Bella quoque multa cum Saxonibus, & maxime cum Rathodo Friſionum rege, fortiter geſſit. Hic & alios filios habuit, ſed ex his Karolus præcipuus extitit, qui ei poſt in principatu ſucceſſit.

CAP. XXXVIII.

XIII.

At vero Liutprandus rex cum in regno confirmatus eſſet, cum Rothari eius conſanguineus perimere voluit. Is enim conuiuium ei in domo ſua apud Ticinum præparauit, in qua domo

Digitized by Google

dono viros fortissimos, qui regem conuiuantem extinguerent, armatos abscondit. Quod cum Liutprando nuntiatum fuisset, eum ad palatium suum euocari præcepit; quem, sicut ei dictum fuerat, loricam sub veste indutum ipse manu pertractans repperit. Qui Rotharit cum se detectum cognouisset, statim post se exiliens spatam euaginauit, vt regem percuteret. Econtra rex suum ensem vagina exemit. Tunc vnus è regijs satellibus, nomine Subo, Rotharit à tergo comprehendens, ab eo in fronte vulneratus est. Super quem Rotharit & alij insilientes eum ibidem occiderunt. Quatuor vero eius filij qui non aderant, vbi inuenti ibi perempti sunt. Fuit autem Rex Liutprandus vir multæ audaciæ, ita vt cum eum duo armigeri eius occidere cogitarent, & hoc ei perlatum fuisset; in profundissimam situam cum eis solus egressus est, mox euaginatum gladium contra eos tenens, eisdem quia eum occidere cogitauerunt improperauit. Quod vt facere deberent hortatus est. Qui statim eius pedibus prouoluti, ei sunt omnia quæ machinati erant professi. Et de aliis quoque similiter fecit. Sed tamen confessis, mox tantæ malitiæ culpam pepercit.

CAP. XXXIX.

Defuncto itaque Gisulfo Beneuentanorum

duce, Samnitum populus Romoaldum eius filium ad regendum se sublimauit.

CAP. XL.

Circa hæc tempora Petronax ciuis Brexianæ urbis, diuino amore compunctus, Romam venit, hortatuque tunc Gregorij Apostolicæ sedis Papæ, Cassinum castrum petiit, atque ad Sacrum corpus beati Patris Benedicti perueniens, ibi cum aliquibus simplicibus viris, iam ante residentibus, habitare cœpit, qui eundem venerabilem virum Petronacem sibi seniorem statuerunt. Hic non post multũ tempus, cooperante diuina misericordia, & suffragantibus meritis beati Benedicti patris, iamque euolutis fere centum & decem annis, ex quo locus ille habitatione hominum destitutus erat, multorum ibi monachorum, nobilium & mediocrium, ad se concurrentium pater effectus, sub sancta regulæ iugo, & beati Benedicti institutione, reparatis habitaculis viuere cœpit, atque hoc sanctum cœnobium in statum, quo nunc cernitur, erexit. Huic venerabili viro Petronaci in sequenti tempore sacerdotum præcipuus & Deo dilectus pontifex Zacharias plura adiutoria contulit, libros scilicet Sanctæ scripturæ, & alia quoque quæ ad vtilitatem monasterij pertinent; insuper & regulam,

lum, quam beatus pater Benedictus suis sanctis manibus conscripsit, paterna pietate concessit. Monasterium vero Beati Vincentij martyris, quod iuxta Vulturnis Fluminis fontem situm est, & nunc magna congregatione refulget, à tribus nobilibus fratribus, hoc est, Tato, Taso, & Paldo iam tunc ædificatum, sicut viri eruditissimi Autberti eiusdem monasterij abbatis, in volumine quod de hac re composuit, scripta significant. Superstite sane adhuc Beato Papa Gregorio Romanæ sedis, Cumanum castrum à Langobardis Beneuentanis peruasum est, sed à duce Neapolitana noctu superueniente, quidam ex Langobardis capti, quidam perempti sunt, castrum quoque ipsum à Romanis est receptum. Pro cuius castri redemptione, pontifex septuaginta libras auri, sicut primitus promiserat, dedit.

CAP. XLI.

Inter hæc defuncto imperatore Theodosio, qui uno solummodo imperium rexerat anno, eius in locum Leo Augustus subrogatur.

CAP. XLII.

Apud Francorum quoque gentem Pipino vita exempto, eius filius Karolus, de quo præmiseramus, licet per multa bella & certamina, de

manu Reginfridi principatum ſuſtulit. Namq; cum in cuſtodia teneretur, diuino nutu creptus aufugit, ac primum contra Reginfridum, cum paucis bis terq; certamen iniit, nouiſſimeq; eum apud Vinciacum magno certamine ſuperauit. Cui tamen vnam, hoc eſt, Andegauenſem ciuitatem ad habitandum conceſſit. Cunctam vero Francorum gentem, ipſe gubernandam ſuſcepit.

CAP. XLIII.

Eo tempore Liudprandus rex, donationem patrimony Alpium Cottiarum Romanæ Eccleſiæ confirmauit. Nec multum poſt idem regnator Guntrudam filiam Boioariorum ducis, apud quem exulabat, in matrimonium duxit, de qua vnam ſolummodo filiam genuit.

CAP. XLIIII.

Per hæc tempora Faroaldus Spoletanorum dux Claſſem Rauennatium ciuitatem inuaſit: ſed iuſſu regis Liudprandi, eadem Romanis reddita eſt. Contra hunc Faroaldum ducem, filius ſuus Traſemundus inſurrexit, eumque clericum faciens, locum eius inuaſit. His diebus Theudo Boioariorum gentis dux, orationis gratia Romam ad Beatorum Apoſtolorum veſtigia venit.

CAP.

CAP. XLV.

Apud Forumiulij igitur, ſublato è rebus humanis Patriarcha Sereno, Caliſtus vir egregius, qui erat Taruiſianæ Eccleſiæ Archidiaconus, annitente Liutprando principe, Aquileienſem Eccleſiam regendam ſuſcepit. Quo, vt diximus, in tempore, Pemmo Forioulianis præerat Langobardis. Is cum iam nobilium, quos cum ſuis natus nutrierat, filios ad iuuenilē perduxiſſet ætatem, repente ei nuntius venit, immenſam Slauorum multitudinem, in locum qui Lauriana dicitur aduentaſſe. Cum quibus ille iuuenibus ſuper eoſdem Sclauos tertio irruens, magna eos clade proſtrauit, nec amplius ibi aliquis à parte Langobardorum cecidit, quam Sigualdus, qui erat iam ætate grandæuus. Iſte namque in ſuperiori pugna, quæ ſub Ferdulfo facta eſt, duos filios amiſerat. Qui cum prima & ſecunda vice, iuxta voluntatem ſuam ſe de Sclauis vltus eſſet, tertia vice prohibente duce & aliis Langobardis non potuit inhiberi, ſed ita eis reſpondit: Iam ſatis, inquit, meorum filiorum mortem vindicaui, etiā ſi aduenerit, lætus ſuſcipiam mortem. Factumque eſt; & ipſe ſolus in eadem pugna peremptus eſt. Pemmo vero cum multos inimicorum proſtrauiſſet, metuens ne aliquem ſuorum

amplius in bello perderet, cum eiſdem Sclauis in eodem loco pacis concordiam iniit. atque ex illo iam tempore magis ac magis ceperunt Sclaui Foroiulianorum arma formidare.

XIIII. CAP. XLVI.

Eo tempore gens Sarracenorum in loco qui Septem dicitur, ex Africa transfretantes, uniuerſam Hiſpaniam inuaſerunt. Deinde poſt decem annos cum uxoribus & parulis uenientes, Aquitaniam Galliæ prouinciam, quaſi habitaturi ingreſſi ſunt. Karolus ſiquidem cum Eudone Aquitaniæ principe, tunc diſcordiam habebat. Qui tamen in unum ſe coniungentes, contra eoſdem Sarracenos pari conſilio dimicauerunt. Nam irruentes Franci ſuper eos, trecenta ſeptuaginta quinque millia Sarracenorum interemerunt. Ex Francorum uero parte, mille & quingenti tantum ibi ceciderunt. Eudo quoque cum ſuis ſuper eorum caſtra irruens, pari modo multos interficiens, omnia deuaſtauit.

CAP. XLVII.

Hoc etiam tempore eadem Sarracenorum gens cum immenſo exercitu ueniens, Conſtantinopolim circumdedit, ac per continuum triennium obſedit, donec multa inſtantia ad deum clamantibus

manibus ciuibus, plurimi eorum fame & frigore, bello & pestilentia perirent, ac sic pertæsi obsidionis, abscederent. Qui inde egressi Bulgarum gentem, quæ est super Danubium, bello aggrediuntur. Et ab hac quoque victi, ad suas naues refugiunt, quibus cum altum peterent, ingruente subito tempestate, plurimi etiam mersis siue contritis nauibus perierunt. Intra Constantinopolin vero, trecenta millia hominum pestilentia interierunt.

CAP. XLVIII.

Liudprandus vero audiens quod Sarraceni depopulata Sardinia, etiam loca illa vbi ossa Augustini Episcopi, propter vastationem Barbarorum olim translata & honorifice fuerant condita, fodarent, misit eo, & dato magno pretio, accepit, & transtulit ea in vrbem Ticinensem, ibique cum debito tanto patri honore condidit. His diebus Narnia ciuitas à Langobardis peruasa est.

CAP. XLIX.

Eo tempore Rex Liudprandus Rauennam obsedit, Classem inuasit atque destruxit. Tunc Patricius Paulus ex Rauenna misit qui pontificem interimerent. Sed Langobardis prædefen-

Digitized by Google

ſione Pontificis repugnantibus Spoletanis in Salario ponte, & ex aliis partibus Langobardis Tuſcis reſiſtentibus, conſilium Rauennatium diſſipatum eſt. Hac tempeſtate Leo Imperator apud Conſtantinopolim ſanctorũ imagines depoſitas incendit. Romano quoque Pontifici ſimilia facere, ſi imperialem gratiam habere vellet, mandauit. ſed pontifex hoc facere contemſit. Omnis quoque Rauennæ exercitus, vel Venetiarum, talibus iuſſis vno animo reſtiterunt, & niſi eos prohibuiſſet pontifex, Imperatorem ſuper ſe conſtituere fuiſſent aggreſſi. Rex quoque Liutprandus caſtra Æmiliæ, Foronianum, & Montem Bellium, Buxeta & Perſiceta, Bononiam & Pentapolim, Auximumque inuaſit. Pari quoque modo tunc & Sutrium peruaſit; ſed poſt aliquot dies, iterum Romanis redditum eſt. Per idem tempus Leo Auguſtus ad peiora progreſſus eſt, ita vt compelleret omnes Conſtantinopoli habitantes, tam vi, quam blandicijs, vt deponerent vbicunque haberentur imagines tam Saluatoris quam Sanctæ eius genitricis, vel omnium Sanctorum. eaſque in medium ciuitatis incendio concremari fecit. Et quia plerique ex populo tale ſcelus fieri prædiebant, aliquanti ex eis capite truncati, alij corporis parte multati ſunt. Cuius errori Germanus Patriarcha non conſen-

consentiens, à propria sede depulsus est, & eius in loco Anastasius presbyter ordinatus est.

CAP. L.

Romoaldus denig, dux Beneuenti, uxorem sortitus est, Gumbergam nomine, que fuit filia Auzone Liutprandi regis sororis. De qua filium genuit, quem nomine sui patris Gisulfum appellauit. Habuit rursum post hanc & aliam coniugem, nomine Ranigundam, filiam Gaidoaldi Brexiani ducis.

CAP. LI.

Grauis sane per idem tempus inter Pemmonem ducem & Calistum Patriarchum discordie rixa surrexit. Causa autem huius discordie ista fuit. Adueniens anteriore tempore Fidentius Episcopus de castro Iuliensi, cum voluntate superiorum aucum intra Forciuliani castri muros habitauit, ibique sui Episcopatus sedem statuit. Quo vita decedente, Amator in eius loco ordinatus est. Vsque ad eundem enim diem superiores Patriarchæ, quia in Aquileia propter Romanorum incursionem habitare minime poterant, sedem non in Forciuly, sed in Cormones habebant. Quod Calisto, qui erat nobilitate conspicuus, satis displicuit, vt in eius diœcesi, cum duce

& Lan-

& Langobardis habitaret Episcopus, & ipse tantũ vulgo sociatus vitã duceret. Quid plura? Contra eundem Amatorẽ Episcopum egit, eumque de Foroiulij expulit, atq; in illius domo sibi habitationem statuit. Hac de causa Pemmo dux, contra eundem Patriarcham, cum multis nobilibus Langobardis consilium iniit, apprehensumque eum ad castellam Pontium, quod supra mare situm est, duxit, indeque eum in mare præcipitare voluit. Sed tamen Deo inhibente minime fecit, intra carcerem tamen eum retentum, pane
XV. *tribulationis sustentauit. Quod Rex Liutprandus audiens, in magnã iram exarsit, ducatumque Pemmoni auferens, Ratchis eius filium in eius loco ordinauit. Tunc Pemmo cum suis disposuit, vt in Sclauorum patriam fugeret: sed Ratchis eius filius à Rege supplicando obtinuit patri veniam, eumque in regis gratiam reduxit. Accepta itaque Pemmo fiducia quod nihil mali pateretur, ad regem cum omnibus Langobardis, cum quibus consilium habuerat, perrexit. Tunc rex in iudicio residens, Pemmonem & eius duos filios Ratchait & Ahistulfum, Ratchis concedens, eos post suam sedem consistere præcepit. Rex vero eleuata voce, omnes illos qui Pemmoni adhæserant, nominatim comprehendere iussit. Tunc Ahistulfus dolorem non ferens, euagi-*

nato

nato pexe gladio regem percutere voluit, nisi eum Ratchis suus germanus cohibuisset. Hoc modo iis Langobardis comprehensis, Herfemar, qui vnus ex eis fuerat, euaginato gladio, multis insequentibus, ipse se viriliter defensans, in Basilicam beati Michaelis confugit. Ac deinde solus regis indulgentia impunitatem meruit, ceteris longo tempore in vinculis excruciatis.

CAP. LII.

Ratchis denique apud Foruiulij dux, vt diximus, effectus, in Carniolam Sclauorum patriam, cum suis ingressus, magnam multitudinem Sclauorum interficiens, eorum omnia deuastauit. Vbi cum Sclani super eum subito irruissent, & ipse adhuc lanceam suam ab armigero non abstulisset, eum qui primus ei occurrit, clauaquam manu gestabat percutiens, eius vitam extinxit.

CAP. LIII.

Circa hac tempora Karolus princeps Francorum, Pipinum suum filium ad Liudprandum direxit, vt eius iuxta morem capillum susciperet. Qui eius cesariem incidens, ei pater effectus est, multisque eum ditatum regiis muneribus, genitori remisit.

CAP. LIIII.

Per idem tempus Sarracenorum exercitus,

rursus

rursum in Galliam introiens, multam depastationem fecit. Contra quos Karolus non longe à Narbona bellum committens, eos, sicut & prius, maxima cæde prostrauit. Iterato Sarraceni Gallorum fines ingressi, vsque ad Prouinciam venerunt, & capta Arelate, omnia circumquaque demoliti sunt. Tunc Karolus legatos cum muneribus ad Liudprandum regem mittens, ab eo contra Sarracenos auxilium poposcit. Qui nihil moratus, cum omni Langobardorum exercitu in eius adiutorium properauit. Quo comperto gens Sarracenorum, mox ab illis regionibus aufugit. Liudprandus vero cum omni suo exercitu ad Italiam rediit. Multa idem regnator contra Romanos bella gessit, in quib. semper victor extitit, præter quod semel in Arimino, eo absente, eius exercitus cæsus est, & alia vice cum apud vicum Pilleum, rege in Pentapoli demorante, magna multitudo horum, qui regi munuscula vel xenia, vel singularum Ecclesiarum dona deferebant, à Romanis irruentibus cæsa vel capta est. Rursus cum Rauennam Hildebrandus regis nepos, & Peredeo Vincentinus dux obtinerent, irruentibus subito Veneticis, Hildebrandus ab eis captus est, Peredeo viriliter pugnans occubuit. In sequenti quoque tempore Romani solita elatione turgidi, congregati vniuersaliter, habentes in

capite

capite Agathonem Perusinorum ducem, venerunt vt Bononiam comprehenderent, vbi tunc Walcari, Peredeo, & Rothari, morabantur in castris. Qui super Romanos irruentes, multam de eis stragem fecerunt, reliquosque fugam petere compulerunt.

CAP. LV.

His diebus Trasemundus contra regem rebellauit. Super quem Rex cum exercitu veniens, ipse Trasemundus Romam fugam petiit. In cuius XVI.
loco Hildericus ordinatus est. Morino autem Romualdo iuniore Beneuentanorum duce, qui viginti & sex ducatum tenuerat annis, Gisulfus eius filius adhuc parvulus remansit. Contra quem aliqui insurgentes, cum moliti sunt extinguere. Sed Beneuentanorum populus, qui suis ductoribus semper fidelis extitit, eos peremerũt, & sui ducis vitam seruantes. Qui Gisulfus cum propter ætatem puerilem idoneus ad tantum populum regendum non esset, Liudprandus rex Beneuentum tunc veniens, eum exinde abstulit, & apud Beneuentum suum nepotem Gregorium ducem ordinauit. Cui in matrimonio vxor sociata Giselberga nomine fuit. Ita rex Liudprandus rebus compositis, ad suum solium remeauit: Gisulfumque suum nepotem paterna pietate erudiens,

diens, ei Conibergam, nobili ortam progenie, in matrimonium iunxit. Ipse rex eo tempore in languorē decidens, morti approximauit. Quem Langobardi vita excedere existimantes, eius nepotem Hildeprandum foras muros ciuitatis, ad Sanctæ Dei genitricis Ecclesiam, quæ ad Pertices dicitur, in regem leuauerunt. Cui dum comtum, sicut moris est, traderent, in eius conti summitate, cuculus auis volitando veniens, insedit. Tunc aliquibus prudentibus hoc portento visum est significari, eius principatum inutilem fore. Rex autem Liudprandus cum hoc cognouisset, non æquo animo accepit: Tamen de infirmitate conualescens, eum regni sui consortem habuit. Euolutis dehinc aliquot annis, Trasemundus qui Romam fugerat, Spoletum rediens, Hildericum extinxit, rursumque contra regem rebellionis audaciam sumsit.

CAP. LVI.

At vero Gregorius dum apud Beneuentum annis septem ducatum gessisset, vita exemptus est. Post cuius obitum Godeschalcus dux effectus, annis tribus Beneuentanis præfuit, cui in coniugio vxor sociata nomine Anna fuit. Rex ergo
XVII. *Liudprandus talia de Spoleto siue Beneuento audiens, rursum cū exercitu Spoletum petiit. Qui*

Pentia-

Pentapolim veniẽs, dum à Fano ciuitate forum Sempronij pergeret, in ſiluam quæ in medio eſt, Spoletani ſe cum Romanis ſociantes, magna incommoda regis exercitui intulerunt. Qui Rex in nouiſſimo loco Ratchis ducem, & eius fratrem Ahiſtulfum, cum Foroiulianis conſtituit. Supra quos Spoletani & Romani irruentes, aliquos ex eis vulnerauerunt. Sed tamen Ratchis cum ſuo germano, & aliquibus viris fortiſſimis, omne illud pugnæ pondus ſuſtinentes, viriliterque certantes, multiſque trucidatis, ſe ſuoſque inde, præter, vt dixi, paucos ſauciatos exemerunt. Ibi quidam Spoletanorũ fortiſſimus, Berto nomine, nominatiue Rãtchis acclamans, armis inſtructus ſuper eum venit. Quem Ratchis ſubito percutiens, equo deiecit. Cumque eius ſocij eum perimere vellent, eum pietate ſolita fugere permiſit. Qui manibus pedibuſque reptans ſiluam ingreſſus euaſit. Super Ahiſtulfum vero in quodam ponte duo fortiſſimi Spoletani à tergo venientes, vnum eorum aduerſa cuſpide feriens, de eodem ponte deiecit; alterum vero ſubito ad eum conuerſus, vita priuatum poſt ſociũ merſit.

CAP. LVII.

At vero Liutprandus Spoletum perueniens, Traſemundum ducatu expulit, eumque clericum

fecit. Cuius in loco Agibrandum ſuum nepotem conſtituit. Cum vero Beneuentum properaret, Codeſcalcus, audito eius aduentu, nauem conſcendere, atque in Græciam fugere molitus eſt. Qui poſtquam vxorem & cunctam ſupellectilem ſuam in nauim impoſuiſſet, & nouiſſime ille aſcendere vellet, irruentibus Beneuentanis Giſulfi fidelibus, extinctus eſt. Vxor ſane illius, cum omnibus quæ habebat, Conſtantinopolim perlata eſt.

CAP. LVIII.

Tunc Rex Liudprandus Beneuentum perueniens, Giſulfum ſuum nepotem iterũ in loco proprio ducem conſtituit. Rebuſque ita compoſitis, ad ſuum Palatium remeauit. Hic glorioſiſſimus Rex multas in Chriſti honore, per ſingula loca vbi degere ſolebat, baſilicas conſtruxit. Hic monaſterium beati Petri, quod foras muros Ticinenſis ciuitatis ſitum eſt, & Cælum aureum appellatur, inſtituit. In ſumma quoque Bardonis alpe, monaſterium, quod Berceium dicitur, ædificauit. In Olonna nihilominus ſuo prohaſtio, miro opere in honorẽ Sancti Anaſtaſij martyris, Chriſto domicilium ſtatuit: in quo & monaſterium fecit. Pari etiam modo multa, per loca ſingula, diuina templa inſtituit. Intra ſuum quoque Palatium,

Digitized by Google

Palatium, oraculum domini Saluatoris ædificauit, & quod nulli alij reges habuerant, ſacerdotes & clericos inſtituit, qui ei quotidie diuina officia decantarent. Huius regis temporibus fuit XVIII. *in loco, cui Forum nomen eſt, iuxta fluuium Tamarum, vir mirę ſanctitatis, Baodolinus nomine, qui multis miraculis, Chriſti gratia ſuffragante, refulſit. Qui ſæpè futura prædixit, abſentia quoque quaſi præſentia nuntiauit. Denique cum Rex Liudprandus in Vrbem ſiluam venatum iſſet, vnus ex eius comitibus, cerum ſagitta percutere niſus, eiuſdem regis nepotem, hoc eſt, ſororis eius filium Aufuſum nomine, nolens ſauciauit. Quod rex cernens, valde enim eundem puerum amabat, cum lachrymis eius incommodum lamentari cępit, ſtatimque vnum è ſuis equitem miſit, qui ad virum Dei Baodolinum curreret, eumque peteret, vt pro vita eiuſdem pueri Chriſtũ ſupplicaret. Qui cum ad ſeruũ Dei pergeret, puer defunctus eſt: cui Chriſti famulus ad ſe peruenienti, ita dixit: Scio quam ob cauſam veneris, ſed illud quod poſtulas iam fieri non poteſt, quia puer ille defunctus eſt. Quod cum is qui miſſus fuerat, regi, quod à ſeruo Dei audierat, renuntiaſſet, rex licet doluerit, quod effectum ſupplicationis ſuę habere non potuit, tamen quia vir*

Domini Baodolinus ſpiritum prophetiæ habuerit, aperte cognouit. Huic quoque non diſſimilis apud Veronenſem ciuitatem Theudelapius nomine fuit, qui inter miranda, quæ patrabat, præſago etiam ſpiritu, multa quæ erant ventura, prædixit. Eo quoque tempore floruit vita vel actibus Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopus Petrus, qui quia regis erat conſanguineus, ab Ariperto quondam rege, apud Spoletum exilio fuerat retruſus. Huic beati martyris Sabini Eccleſiam frequentanti, iſdem venerabilis martyr prænuntiauit, quod Epiſcopus apud Ticinum futurus eſſet. Qui poſtea cum id fuiſſet factum, baſilicam eidem beato martyri Sabino, in ſolo proprio, apud eandem ciuitatem conſtruxit. Hic inter reliquas optimæ vitæ, quas habuit, virtutes, etiam virginitatis flore decoratus enituit. Cuius nos aliquod miraculum, quod poſteriori tempore geſtum eſt, in loco proprio ponemus. At vero Liudprandus, poſtquam triginta & vno anno, ſeptemque mensibus principatū obtinuit, iam ætate maturus, huius vitæ curſum expleuit. Corpuſque eius in baſilica beati Adriani martyris, vbi & eius requieſcit genitor, ſepultum eſt. Fuit autem vir multæ ſapientiæ, conſilio ſagax, pius admodum, & pacis amator: Bello potens, delinquentibus

clemens,

clemens, castus, pudicus, orator pervigil, eleemosynis largus, litterarum quidem ignarus, sed philosophis æquandus, nutritor gentis, legum augmentator. Hic initio regni sui, Boioariorum plurima castra cepit, plus semper orationibus, quam armis fidens; maxima semper cura Francorum Austrumque pacem custodiens.

Explicit liber sextus Pauli Warnefridi Langobardi Filij,

DE GESTIS LANGOBARD.

Digitized by Google

ANNOTATIONES
IN
HISTORIAM
PAVLI WARNEFRIDI
LANGOBARDI FILII
De gestis Langobardorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Incipiunt

ANNOTATIONES IN HISTORIAM PAVLI WARNEFRIDI, *De geſtis Langobardorum.*

IN LIBRVM PRIMVM.

PAG. 5. PAVLI WARNEFRIDI] Ita huius autoris verum nomen eſſe, ipſemet ſcribit in hac hiſtoria lib. IIII. cap. XXXIX. Diaconum eum plera pars vocat, alij etiã Monachum; vt & MS. exemplar : *Pauli Caſſinienſis Monachi.* Videtur autem primo fuiſſe Atrienſem. nam in veteribus Gloſſis, vbi ſub eius nomine citantur fragmenta Feſti, quem hic noſter nimis pol magno reip. litterariæ damno laceravit, Paulus Athenienſis vocatur, quod vir magnus corruptũ putat, ſcribendumq., *Paulus Atrienſis*: qui, vt ſuſpicari licet, tunc temporis Atrienſis fuit, poſtea Diaconus, vltimo vero Monachus. Saxo Grammaticus, eum ſolummodo Paulum vocat, nullo præterea addito nomine; quẽ, ſi lubet, vide lib. VIII.

PAG. 6. Plinius Secundus] Libro IIII. cap. XIII.

PAG. 8, Scritobini] Hos à ſaltando vocatos ſcribit. Durat hodie illa vox, apud Germanos. nam *Scriten* eſt diuaricare & diducere pedes, vel

vt Paulo placet, ſaltare; in quo illi cum Græcis conuenit, qui id σκιρτᾶν dicunt. In nomine diſſentit à Procopio, in cuius de bello Gothico lib. II. Σκειτιφίνοι vocantur: ab aliis *Scritofini.*

PAG. 10. A Virgilio Charybdis] Æneid. lib. III. alij tamen etiam Thule adtribuunt, vt & Statius lib. V. Sil. I.

— *è refluo circumſona gurgite Thule.*

Quod vero additur, naues ibi abſorberi, ac rurſum euomi, idem tangit & Ouidius Metamorph. lib. XIII. fab. VIII.

Scylla latus dextrum, lævum inquietata Charybdis
Infeſtat, vorat hæc raptas reuomitque carinas.

PAG. 13. Tunc Fream ſubiunxiſſe] Vetuſtiorem huius fabulæ ſcriptorem Paulo extare non puto: nam & Saxo Grammaticus libro VIII. eius ex Paulo meminit, vbi tamen pro *Frea*, *Frig* ſcriptum eſt. Verba hæc ſunt: *Primum itaque Blekingam aduecti, ac deinde Moringam præternauigantes, ad Gutlandiam ſe appulerunt; vbi & Paulo teſte, autore Frig Dea, Langobardorum vocabulum, quorum poſtea gentem condiderunt; tradunt accepiſſe.*

PAG. 14. ab intactæ ferro barbæ longitudine] Inde vocatos Langobardos, etiam Otto Friſingenſis ſcribit lib. II. capite III. de Geſtis Friderici Imperatoris. & Gunterus lib. II.

Dicitur à longis ea Longobardia barbis.

à quibus alij diſſentiunt, qui eos à Bardis Saxoniæ populis dictos affirmant.

Wodan vt Deus adoratur] Alius erat *Wodan* Deus Sueonum, de quo bene M. Adamus in Septentrionalium populorum hiſtoria, nuper ex Gene-

Digitized by Google

ex Generosissimi Domini Henrici Ranzouij Bibliotheca edita: *In hoc templo* (Vbsolà patrio sermone vocato) *quod totum ex auro paratum est, statuas trium deorum veneratur populus, ita vt potentissimus eorum Thor in medio solum habeat triclinium; hinc & inde locum possident Wodan & Fricco. Quorum significationes eiusmodi sunt. Thor, inquiunt, præsidet in aëre, qui tonitrus & fulmina, ventos imbresque, serena & fruges gubernat; alter Wodan, id est, fortior, bella regit, hominumque ministrat virtutem contra inimicos. Tertius est Fricco, pacem voluptatemque largiens mortalibus, cuius etiam simulachrum fingunt ingenti Priapo; Wodanem vero sculpunt armatum, sicut nostri Martem sculpere solent. Thor autem cũ sceptro Iouem exprimere videtur.* Hactenus ille. A nostro vero *Wodan*, quem eundem cum Romanorum Mercurio facit, etiamnum hodie Belgæ diem Mercurij *Woensdag* dicunt corrupte, pro Wodensdag. Sic etiam ab vxore Wodani Frea *Freidag* (Danis *Fredag*) id est, Veneris diem deductũ puto: quanquam id nõ certo affirmare ausim. Errauit autẽ & male patriã linguam intellexit P. Nannius, qui putat *Woensdag* à lucro dictum, quia Romanorum Mercurius lucri præses cluebat; quemadmodum nec illud mihi verisimile fit, Freidag dici quasi liberationis diem, quia Venus libertatis Dea. Pro *Wodan* autem Clarissimus I. Lipsius in commentario ad Tacitum legendum censet *Wonstan* vel *Wondam*, à lucro nomine deducto. quod si cui magis placuerit, legat ita.

PAG. 15. Plurimos in castris ignes accendun-

cendũt] Simile ſtrategema Beliſarij apud Agathiam lib. v. Νυκτὸς ἡ ὑπηγορεύθη, φρυκτωρίας ἀνῆψαν πολλὰς ὅπη μέγα τοῦ πεδίου σχεδὸν ἁπάντων. ἵνα δὴ οἱ πολέμιοι ὁρῶντες, οἰηθεῖεν μέγιστον εἶναι τὸ στράτευμα, ταῖς πυρκαϊαῖς ἀναμετροῦντες. Nec vanum hoc ſtrategema. nam ex igne in caſtris incenſo de hoſtium copiis iudicari ſolitum, etiam Cæſar indicat lib. II. de bello Gallico: *Quæ caſtra, vt fumo atque ignibus ſignificabatur, amplius mille* IIX. *in latitudinem patebant.*

Pag. 18. Quæ eorum lingua lama dicitur.] *Lamam* vocem etiam apud Feſtum reperies. *Lacuna aquæ collectio, à lacu deriuatur, quam alij Lamam, alij luſtrum dicunt.* Beatus Rhenanus legendum putat *Qualamam*, à ſcaturigine. Nam *quellen* Teutonica lingua ſcaturire ſonat.

Pag. 25. Vexillum quod Bandum appellant] Suidas Βάνδον καλοῦσι Ῥωμαῖοι τὸ σημεῖον τὸ ἐν πολέμῳ. Gloſſarium Latino-Græcum, *Bandum* λάγνον. legendum σάγνον. Conſtantinus Magnus ad Silueſtrium Papam: Ομοίως καὶ τὰ βασιλικὰ σκήπτρα, καὶ πάντα τὰ σάγνα, καὶ τὰ βάνδα, καὶ τὰ λοιπὰ κοσμήματα τῶν βασιλικῶν μεγαλειότητι. Hinc Βανδοφόρος. Leo imperator de Bellico apparatu cap. 3. καὶ Βανδοφόρος ἐστὶν ὁ τὸ σημεῖον τοῦ Βάνδου βαστάζων. Ita iam olim ab optimo Geſnero editum & emendatum, nec opus fuerat ea denuo ab aliis repeti. ô ſenium! ô mores!

Pag. 26. Vtque rata haberi poſſet libertas] Notandus ritus manumiſſionis. nam qui in Legib. Langobard. Tit. de manumiſſionibus habentur, alterius generis ſunt.

Pag. 28.

PAG.28. A rege gentis exteræ arma ſuſcipiat] Vide quæ notauit Petr. Pithœus I.C. Aduerſar. lib.1. cap.1.

PAG.30. Annos nonaginta & ſex] Alij ita legunt: *annos nonaginta, & iure & vi Romano.* Tamen Regino etiam XC. & VI. annos ponit, alij nonaginta & ſeptem.

Alemannicus, Gothicus] Sic reſtitui ex corrupta Aſcenſiana editione. nam in MS. & Auguſt. tantum erat, *Alamannicus, Anticus, Alanicus, Wandalicus, Africanus.* Rectum autem eſſe quemadmodum ſcripſi, confirmat Agathias lib. 1. & ipſe Iuſtinianus loco non vno.

PAG. 31. *Ἁγίαν σοφίαν*] Vide Procopium de ædificiis Iuſtiniani Cæſaris lib.1.

PAG.33. Dapes Agapes] Sic indigetabant priſci Chriſtiani conuiuia ad quæ pauperes vocabantur. De his bene Tertullianus, vt alia eius loca omittam, Apologetico cap. XXXIX. *Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit, vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos. Quantiſcunque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum; ſiquidem inopes quoq; refrigerio iſto iuuamus.* Vide Cyprianum Teſtim. lib.3. Caſſianum Collat.XXIIII. cap.XII.

PAG.41. Caput eius ſublatum ad bibendum ex eo poculum fecit.] Barbaris hoc receptum. nam de Scythis ita ſcribit Strabo lib.VII. Καὶ μάλιστα τῶν Σκυθῶν ξενοδυτέντων, καὶ σαρκοφαγούντων, καὶ τοῖς χρανίοις ἐκπώμασι χρωμένων. Plinius lib. VII. cap.II. *Priores anthropophagos, quos ad Septemtrionem eſſe diximus, decem dierum itinere*

itinere ſupra Boryſthenem amnem oſſibus humanorum capitum bibere, cutibuſque cum capillo pro mantelibus ante pectora vti. Ammian. Marcell. lib. XXVII. *Scordiſci, longe nunc ab iiſdem prouinciis diſparati, ſæui quondam & truces, vt antiquitus docet, hoſtiis captiuorum Bellonæ litantes & Marti, humanumque ſanguinem in oſſibus capitum humanorum bibentes auidius.*

Scala dicitur.] Non dum exoleuit hæc vox, vſitata non Germanis ſolum, ſed & aliis populis. Iſidorus Etymolog. lib. xx. cap. v. *Calices, & calathi, & ſcalæ poculorum genera, antea ex ligno facta. vnde & vocata: Græci enim omne lignũ cala dicebant.*

Pag. 43. In eorum carminibus celebratur] Tacitus de moribus Germanorum: *Celebrant carminibus antiquis, quod vnum apud illos memoriæ & annalium genus eſt.* ad quem locum lege notata doctiſſimo Lipſio. Non abſimilia his fuiſſe puto carmina quæ Bardi decantabant. De quibus Ammian. Marcell. lib. xv. *Bardi fortia virorum illuſtriũ facta heroicis compoſita verſibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt.* Athenæus lib. VI. ex Poſidonio: Κελτοί, φησι, θεὸν μὲν ἐπιχθόνιον πολεμοῦντες συμβιωτὰς, οὓς καλοῦσι παρασίτους. ἔστι δὲ ἐγκώμια αὐτοῖς καὶ τοὺς ἀνδρώδεις λέγουσιν ἀνδρώσεις σωτηρίους, καὶ τοὺς ἔτι μέρος ἐπαινοῦντας ἀνδρωμίους. τοὺς δὲ ἀοιδοὺς αὐτοῖς εἰσὶν οἱ καλούμενοι Βάρδοι. ποιητὰς δὲ ἔστι τυγχάνοντες μετ' ᾠδῆς ἐπαίνους λέγοντες.

IN LIBRVM SECVNDVM.

Pag. 49. Narſes Chartularius] Gloſſarium: χαρτόφυλαξ, *Chartularius*, Sed hoc aliis non probatur,

probatur qui discrimen inter χαρτοφύλακα & *Chartularium* faciunt. Suidas eundem esse cum Scriniario dicit: Σκευικάριος, ὁ χαρτουλάριος τῆς ἐπάρχου, ὁ αἴρων τὸ σκεῦος, ἤτοι τὸ κιβώτιον. Iam vero χαρτοφύλακα autor Etymologici etiam Σκευικάριον vocat. vt hinc aliquo modo tueri posset interpretatio Glossarij. Officium eius penè ex Leonis & Anthemij verbis colligitur l. 3. C. de canon. larg. titul. vbi sic scribitur: *Chartularios qui de cohortalibus officiis vniuscuiusque prouinciæ largitionales titulos retractare constituimus*. Emittebant etiam σύμβολα, id est, cõmonitoria, vt D. Cuiacius docuit. Erant sub dispositione Præpositi Sacri cubiculi, ideoque à vetere Scholiaste Iuliani Patricij Constit. xv. Tit. LX. *Cubicularij* interpretantur *Chartularij*. Sic Narsetem, quem alij chartularium vocant, cubicularium nominat Cedrenus Georgius: τῷ καὶ ὕστερον ἐπέμφθη Ναρσῆς ὁ Κουβικουλάριος εἰς Ῥώμην, πολεμῆσαι τοῖς Γότθοις. Fit etiam *Magni Chartularij* mentio apud Curopalatam; quemadmodum & *Chartularij magistrorum equitum, & peditum*. C. Theod. l. 5. de diuers. offic. & apparit. quo pertinet Zonaras lib. III. Καὶ Παῦλον τὸν τῆς βασιλικῶν ἱππικόμων ὑπασπιστὴν, χαρτουλάριον τῶν Ῥωμαίων οἷόν τινα λέγειν ἔστιν. cui simile Niceræ, Θεόδωρος ὁ χαμαί, χαρτουλάριος ὢν τῶν ἱππασάθμων.

Patriciatus honorem meruit] Hunc honorem summam dignitatem Iustinianus vocat Institut. lib. I. Tit. XII. & quæ sola morte soluatur. *Nam*, vt Cassiodorus scribit lib. VI. Form. 11. *mox vt datus fuerit* (hic honor) *in vitæ tempus reliquum homini sit coæuus, ornatus induuidui cingulum fidele,*

fidele, quod nescit ante deserere, quam de mundo contingat exire,&c. Vide sodes totum locum : nam egregiè hunc facit.

Dactyli] Suidas Δάκτυλοι παρὰ πολλοῖς οἱ βαλανοὶ τῆς φοίνικος. Aliter etiam *Nicolai* dicebantur. Glossæ Isidori : *Nicolaus dactylus*, quod nomen eis indidit Augustus Cæsar, cui creberrime è Syria à Nicolao Damasceno eiusmodi dactyli mittebantur : quos tamen non dactylos fuisse, sed placentas scribunt Hesychius Illustrius in Vitis Philosophorum, & ex eo Suidas in Nicolao Damasc. Pro placentis etiam Serenus Sammonicus vsurpat:

Grana peregrini piperis diffindito quinque,
Nicolao molli quæ mane inserta capesses.

Pag. 55. Strator erat, quem lingua propria Marpahis vocant] Suidas: Στράτωρ εἶδος ἀξιώματος. officium autem tale, vt dominum in equum sustolleret, equumque duceret. Spartianus, *Cum illum in equum strator suus leuaret, pugione latus confodit.* Constantinus Magnus: Καὶ κρατῶντες τὸν χαλινὸν τοῦ ἵππου αὐτοῦ στράτορος ὀφφίκιον ἐπιμίσαμεν. Vnde etiam *Equistratores* & *Protostratores* dicti. Auctor vitæ Cypriani : *Venerunt ad eum principes duo, vnus stator officij Galerij Maximi proconsulis, qui Aspasio Paterno successerat, & alius equistrator à custodiis eiusdem officij*,&c. De protostratoribus videndus Curopalata. Sed & *Statores* hi dicebantur, vt ante citatum exemplum indicat. & hæc inscriptio vetus:

D. M.

Digitized by Google

D. M.
M. ANTONIVS
HEVTVCAS AN
TONIO FOR
TVNATO. STA
TORI. AVGVSTO
RVM. ALVMNO
BENEMERENTI
FECIT.

Quid autem illud *Marpahis* ſit, plane ſubodorare néqueo: verioremque puto lectionem MS. codicis, in quo *Marhais* legitur. qui ſic dictus eſt; quod iuſſionem & imperium habeat in equos; ſicut *Sculthais* quod in legum tranſgreſſores. *Mar* equum fœminam eſſe pauci non ſciunt, vnde etiam *Marſtalk*, equarum ſeruus. Nam *ſtalk* ſeruum ſignificat, non Germanis modo, ſed & Getis, quos certum eſt Germanico idiomate vſos. in eorum libris ſic legitur; in Cantico Simeonis, quod vidi apud Illuſt. Ioſephum Scaligerum: *Fra leitais ſtalk theinana. Nunc dimittis ſeruum tuum.* Apud hunc noſtrum autem Paulum *Stratorem* eundem eſſe quem Galli *Grand Eſt cuier* dicunt, vir magnus putabat, cuius opinionem hic apponere viſum eſt.

Faras, id eſt generationes] *Fara* vox etiam in legib. Langobard. legitur: Tit. LXIIII. §. 1. *De eo quod cum Fara migrare permiſſum*, &c.

PAG. 63. Victorini reuincit Hiſtoria] Ita impreſſi libri. Sed in MS. *Victoris* legitur. Eſt autem Sextus Aurelius Victor, cuius hæc verba in excerptis imperatorum Romanor. in Nerone:

Pontum in ius prouinciæ Polemonis Reguli permissu redegit, à quo Polemoniacus Pontus appellatus est, itemque Cottias Alpes, Cottio rege mortuo.

PAG. 65. Quas Græci Samia appellant] Ita MS. & Augustana editio. Puto tamen legendum, *quas Græci σαυνία appellant*. Hesychius: Σαυνίον, ἀκόντιον βαρβαρικόν. quam lectionem Plinius confirmat lib. III. cap. XII. *Samnitium, quos Sabellos & Græci Saunitas dixere, Colonia Bouianum vetus*, &c.

PAG. 67. Italia ab Italis, hoc est vitulis dicta] Ex Festo sumtum.

PAG. 70. Schilpor, hoc est, armiger] Magnorum virorum hoc munus erat. Nam de Narsete scribit Corippus, eum armigerum fuisse Iustini: lib. II.

Armiger interea domini vestigia lustrans
Eminet excelsus super agmina vertice Narses.

Curopalata eos Σκηπτέους vocat: Procopius, vt puto, δορυφόρους. Ita enim de Odoacre lib. I. Belli Gotici, ex MS. Illust. Iosephi Scaligeri, ἦν δέ τις ἐν αὐτοῖς Ὀδόακρος ὄνομα, ὃς τὸν βασιλέα δορυφόρους πεζῶν. Nisi potius ibi δορυφόρους domesticos velis interpretari. nam ita hi dicebantur. Socrates lib. I. cap. XIII. Τῶν δορυφόρων τις, ὃς οἰκείως καλεῖ ὁ βασιλεύς. de his lib. XII. Cod. Tit. XVII. & ibi I. Cuiacius I.C. Fit etiam in Notitia Imperij Romani Armigerorum mentio: *Armigeri propugnatores seniores, Armigeri propugnatores iuniores.* Sed illi diuersi ab his fuere: quemadmodum & apud Gunterum lib. 7. Armigeros vulgares tantũ milites esse puto vel satellites. nam eos veteres Grammatici armigeros

interpre-

interpretantur. Sed & apud Paulum noſtrũ *αντὶ τῶ Schilpor, Schilphor* legere mallem, quæ vox Germanis vſitata.

IN LIBRVM TERTIVM.

PAG. 80. In libris Gregorij Turonenſis] Hiſtoriarum lib. VI. cap. VI.

PAG. 83. Factis conciſis per deuia] Gregor. Turonenſ. lib. IIII. cap. XXII. *Actiſque coditibus per diuortia ſiluarum.*

PAG. 86. Neque barbam neque capillos inciſuros] Non prætermiſit hoc Tacitus de moribus Germanor. Eius hæc verba: *Alii Germanorum vſurpatum, rara & priuata cuiuſque audentia, apud Cattos in conſenſum vertit, crinem barbamque ſubmittere, nec niſi hoſte cæſo exuere votiuum obligatumque virtuti oris habitum.* Extat quoque ſimile votum in Narratione de Apollonio Tyrio: quam ſi quis tanti fecerit, legat ibi.

PAG. 87. puer Mummuli adueniens] *Pueri* vox ſic poſita poſteriorum temporum ſcriptoribus nil aliud quam famulum denotat. ea notione Sidonius vſus eſt, lib. I. Epiſt. II. *Si venatione nuntiata procedit, arcum lateri innectere citra grauitatem regiam iudicat. Quem tamen, ſi cominus auem feramque venanti monſtres, aut vianti deus obtulerit* (ſic lego ex MS. qua aliquando vſus, ſceda. vulgo *venanti monſtres aut vianti.*) *manui poſt tergum reflexæ puer inſerit, neruo lorove fluctuantibus.*

PAG. 90. Palatium regeret] Inde *Curapalatij* vocati l. I. C. de Comit. & Tribun. Scholar. De his bene Corippus de laudibus Iuſtini lib. I.

Cum magni regeres diuina palatia patris,
Par exijns curis, solo diademate dispar,
Ordine pro rerum vocitatus Cura palatij.

Agathias eos solummodo *Curatores* dictos scribit lib. v. Ανδρα τῆ τε τῆς ἑαυτῶν ἀξίᾳ τεπμηριένον, καὶ ὡς γε τὸ φρονίδα τίθεσθαι, καὶ ὀπιμέλειαν τῆς βασιλέως οἴκων τε καὶ κτημάτων ἀρχὴν εἰληχότα. Κυβέρνας δὲ τέτες καλοῦσι ῥωμαῖοι. Formulam eorum vide apud Cassiodorum lib. VII.

Crucem domini qua frontem] Tertullianus de corona Militis cap. IV. *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum, ad exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos excusatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.*

Pag. 92. ad dignitatem imperatoriam sublimaret] Optime de hoc ritu Curopalatæ: Μετὰ δὲ τοῦτο, ὁ νέος βασιλεὺς ὅπι σκυτείου καθεδεῖς ἐπαίρεται εἰς ὦμον, καὶ φαίνεται πᾶσι τοῖς κάτωθεν ἱσαμένοις πλήθεσι. κατέχεσι δὲ τὰ μὲ ἔμπροσθεν τῆ ἀσπίδος αὐτός τε ὁ βασιλεὺς καὶ πατὴρ ἀναχορευομένε, ἐαν ζῶν τύχῃ, καὶ ὁ παλατίαρχις. τὰ δὲ ἐκ πλαγίων καὶ ὄπισθεν, οἱ ἐν ἀξιώμασιν ὑπερέχοντες. ἤγουν δεσπόται, σεβαστοκράτορες, ἐαν ὦσιν. εἰ δὲ μὴ, οἱ κρείττονες καὶ δυνατώτεροι τῶν ἀρχόντων: εἰ δ' οὐκ εἰσὶ πατὴρ, τὰ μὲ τῆ ἀσπίδος ἔμπροσθεν ὁ ἐμπεράτωρ τῆς ἀξιωμάτων ἢ τῆς ἀρχόντων μὴ, τὰ παλατίαρχα. τὰ δὲ γε ὄπισθεν, ὡς εἴπομεν. Corippus lib. 2.

Quatuor ingentem clypeis sublimius orbem
Adtollunt lecti iuuenes, manibusque leuatus
Ipse ministrorum supra stetit.

Plura lege apud Pet. Pithœum I. C. Aduersar. lib. II. cap. VI. Post leuationem vero à Patriarcha

vngeba-

vngebatur. Curopalata: Μετὰ ἢ τοῦτο ἐπαίρει μὲ ὁ νέος βασιλεὺς, ὅ, π αὖ φορὴ ὅτι κεφαλῆς. δύθις ἢ πέντες ἔσει διείσκονται ἐν τῷ ιερῷ ἀποκαλύπτειν τὰς κεφαλὰς ἵσαντει. ὁ ἢ πατειάρχης χρίει σαυροειδῶς τὴν κεφαλὴν τὸ βασιλέως τῷ θειῷ μύρῳ, ὅπλέγων μεγάλῃ τῇ φωνῇ τὸ, ἅγιος. Liutprandus lib. VI. *Miro ornatu, miroque apparatu ſuſceptus ab eodem ſummo pontifice, &c. vnctionem ſuſcepit imperij.* Ideoque ſæpiſſime hæc ita iuncta videbis, in regem ſublimatus vnctuſque.

PAG. 92. Triginta diebus ad vindemiam iocundaretur.] Non nouum hoc apud hiſtoricos, maxime illos qui imperatorum vitas ſcripſerunt. Non ſolum autem vindemiarum tempore feriæ erant, ſed & meſſium: de his agitur Cod. Theod. de Feriis l. 2. *Omnes dies iubemus eſſe iuridicos, illos tantum manere feriarum dies fas erit, quos geminis menſibus ad requiem laboris indulgentior annus accepit, æſtiuis feruoribus mitigandus, & autumni fœtibus decerpendus.* Nam tunc temporis cauſam agere, aut dicam alicui ſcribere, legibus non licebat. quod & Statius tangit lib. IIII. Siluarum:

> *Certe iam Latiæ non miſcent iurgia leges,*
> *Et pacem piger annus habet, meſſeſque reuerſæ*
> *Dimiſere forum, nec iam tibi turba reorum*
> *Veſtibulo, querulique rogant exire clientes.*

Minutius Felix in Octauio: *Ad vindemiam feriæ iudiciariam curam laxauerant.* Poſt electionem quoque imperatoris feriari moris erat. Curopalata: Δέκα ἢ ἐφεξῆς ἡμέρας, ἢ πλείους, ἢ ἧττους ἐλαττους τέτων

(ἃ δὲ χὶ ἰδὶ νενομισμένα ἀειθμὸς ἡμερῶν. ἀλλ' ὅπως αὖ βούλοιτο ὁ βασιλεὺς) ἑορτάζεσι παντηλῶς.

PAG. 95. Acclamatis sibi laudibus] Exempla eius rei abunde in Vitis Imperatorum habentur. Corippus:

Laudibus innumeris regnantum nomina tollunt,
Iustino vitam tercentum vocibus optant.
Augustæ totidem Sophiæ plebs tota reclamat,
Mille canunt laudes vocum discrimine mille,
Iustinum Sophiamque pares duo lumina mundi
Esse ferunt : Regnate pares in secula dicunt.
Felices annos dominis felicibus orant.
Insonuit vox illa diu, tandemque quieuit.

Largitus populo munera] Bis hoc fiebat in electione imperatoris, à Senatorij ordinis viro, vocabanturque ea missilia ἐπιχόμβια. Curopalata: ῥίπτουσι εἰς τὸν λαὸν ἃ λέγουσιν ἐπιχόμβια. ἔστι δὲ τοιῦτον· τιμήματα ἐκ πανίων κόπτοντες, καὶ ἐν ἑκάστῳ τιμήματι νομίσματα χρυσᾶ ἢ ἀργυρᾶ δύο τοσαῦτα, καὶ λεπτὰ ἐξ ὀβόλων ἀναδήσαντες, ῥίπτουσιν εἰς τὸ πλῆθος.

PAG. 96. Angariare] Glossarium *Angaria*, ἀπεργασία. Ἀκτσία, ἐργασία. Inde *Angariare* verbum, & *Angarianus*, qui agrum locat vt angariam accipiat, vt habetur in veteribus Glossariis. quæ docti viri de angariis & parangariis scripserunt non compilo, quin potius lectorem ad eorum libros remitto.

PAG. 100. Lauinæ] Glossæ Isidori: *Lauina lapsum inferens.* legitur etiam apud D. Hieronymum. Apud Diaconum quoq. in continuatione Historiæ Eutropij lib. XVIII. *Factæ sunt lacunæ possessiones seu villarum.* Legendum: *Factæ sunt lauinæ*

PAG. 146. Palum in medio campo] Receptũ etiam hoc genus ſupplicij Slauis fuit. Helmoldus Hiſtoriæ Slauorum cap. LIII. *Quanta enim mortium genera Chriſticolis intulerint, relatu difficile eſt, cum his quidem viſcera extorſerint palo circumducentes, hos cruci affixerunt irridentes ſignum redemtionis noſtræ.*

PAG. 154. Quas ſola memoria & vſu retinebat] Ideo Rotharis Rex in peroratione Legum Langobard. *Inquirentes & rememorantes antiquas leges patrum noſtrorum.* Vocabantur autem Langobardorum leges *Auricabeones*, quemadmodum Gothorum *Bellagines*. Gloſſæ Iſidori (quas habeo ab Illuſtriſſimo D. Ioſepho Scaligero, vnico (quod præfiſcine dixerim) meorum ſtudiorum fautore:) *Ancl'abeo vel auricabeo, lex Langobardorum.* De Geticis Iornandes in eorum geſtis: *Phyſicam tradens* (ſcilicet Diceneus) *naturaliter propriis legibus viuere fecit, quas vſque nunc conſcriptas Bellagines nuncupant.* Sed quid voces iſtæ ſignificent, adhuc quærendum cenſeo.

IN LIBRVM QVINTVM.

PAG. 176. In baſilicam confugium feciſſe] Sæpiſſime hoc apud Hiſtoricos & alios ſcriptores legitur. Vide Tit. Cod. de iis qui ad Eccleſ. confug. Primum autem hic mos ab Athenienſibus introductus, apud quos ara miſericordiæ, (vt vulgo iam notum) conſtituta erat, quam qui amplectebantur, eis vim fieri leges vetabant; ideo ſemper locus ille confugis abundabat, vt eleganter Statius ſcribit Thebaid. lib. XII.

Digitized by Google

Semper habet trepidos, semper locus horret egenis
Cœtibus, ignotæ tantum felicibus aræ.

Sic etiam ad principum ſtatuas confugiebant, l. vnica c. de iis qui ad princip. ſtat. confug. & hoc erat tutiſſimum refugium, vt iam viri doctiſſimi docuerunt. Confugientes quoque ad ſigna militaria, tuti erant ab omni læſione: cauſam puto, quia imperatorum & principum imagines illis plerumque annexæ. Tacitus lib. 1. Annal. *Neque aliud periclitanti ſubſidium, quam caſtra primæ legionis: illic ſigna & aquilam complexu, religione ſe tutabatur, & ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuiſſet*: &c. Ammian. Marcellin. lib. xxv. *Qui fraudū conſcius & noxiorū ad militaria ſigna confugit.*

Pag. 180. Nutricium ſuum] Gloſſarium: *Nutricius* τροφεὺς. Inſcriptio vetus:

MEMMIA TERTVLLA
NVTRICIO SVO ET MATRI
BENE MERENTI. POSTERISQ
SVIS. ET SIBI.

Vlpianus eos lib. de officio proconſulis *Educatores* vocat, l. 33. D. de manumiſs. vindict. Iuſtinianus lib. 1. Inſtitut. Tit. VI. §. V. *aut pædagogum, aut nutricem, aut educatorem, aut alumnum*, quem locum ita expreſſit Theophilus: Καὶ τὸ εἰπεῖν, ὅτι παιδαγώγῳ μέν ἐστιν, ἢ τροφὸς, ἢ τροφεὺς, ἢ ἀλύμνῳ. In alia inſcriptione *Tatæ* appellantur:

TI. CLAVDIO EPAPHRODITO TATÆ
BENEMER. FECER.

Quod vocabulum etiam apud Curopalatam reperitur, vbi τῶ πατᾶ τ ἀυλῆς mentio fit. ſed an idem cum hoc ſit, non facile dixerim.

Pag. 182.

Digitized by Google

mina poſſeßionum ſ. v. nam vulgata lectio plane corrupta.

PAG. 108. Feritam facere] *Ferita*, eſt plaga ſiue ictus. Sic explicatur in legibus Langobardor. Tit. 111. §. v. Item Tit. x. §. 111.

PAG. 113. Ciborium] Poculi genus eſt in modum foliorum colocaſiorum factum, vt interpretatur Scholiaſtes Horatij Porphyrio, ad illum Sermon. lib. 2. Od. 7. verſum.

— obliuioſa leuia Maßico
Ciboria exple.

Heſychius: Κιβώειον, Αἰγύπτιον ὄνομα ὅπι ποτηρίου.

IN LIBRVM QVARTVM.

PAG. 123. Homines Gaidulfi] *Homines* hic eo ſignificatu accipiendi, quo apud l Ctos. Sic apud Capitolinum in Pertinace: *Tam lucri cupidus fuit, vt apud vada Sabatia mercaturas exercuerit imperator per homines ſuos; non aliter quam priuatus ſolebat.* Sic apud Symmachum *Homo meus*, Epiſtol. xxv 11. lib. 111. epiſt. L1111. lib. v. Vide D. Cuiacium Obſeruationum lib. v 111. cap. x 1111.

PAG. 125. Exarchus] Gloſſarium Græcolatinum, ἔξαρχοι *Proceres, principes.*

PAG. 135. Capillos à facie, vſque ad os dimiſſos habentes] Etiam hoc Gotis vſitatum fuit. Sidonius Apollinaris lib. 1. Epiſt. 11. *Aurium legulæ, ſicut mos gentis eſt, crinium ſuperiacentium flagellis operiuntur.* vbi flagellis crinium ſignificantur cirri, commune Germanorum ornamentum; vnde etiam *cirrigeri* vocantur. vt optime docuit Vir Clariſſimus, & nunquam ſine

laude loquendus Iuſtus Lipſius in Notis ad Germaniam Taciti, vbi & quædam de veſtitu Germanorum addit, quæ operæ pretium legere.

Hoſis vti] Plane Germanicum vocabulum.

Tubrugos byrreos] Iſidor. Etymolog. lib. XIX. cap. XXII. *Tubrucos vocatos dicunt, quod tibias braccaſque tegant.*

PAG. 139. Apocriſiario] Iſidorus in Gloſſis: *Apocriſiarius miniſter Romanæ Eccleſiæ à ſecretis, legatus à ſecretis.* Eorum ſæpiſſime in libris I. C^torum^ mentio fit. Dicebantur etiã *Adreſponſi*. Nouell. XXV. cap. I. *Habeat item Adreſponſum ſiue apocriſiarium.*

PAG. 141. Primicerius notariorum] *Primicerius* nihil aliud eſt quam princeps vel primus; quemadmodum *Primicerius Numerariorum, Tabulariorum*: ſic etiam dicebatur *Secundicerius, Terciicerius*. Nicephori Gregoræ temporibus hæc appellatio deſiit. & primicerium *dominum* appellarunt. Sic ipſe ſcribit Hiſtoriæ Romanæ lib. VII. pag. 109. τῆς βοιωτίας καὶ τῶν ἀθηνῶν ἄρχοντα, ἀντὶ μεγάλης πριμμικηρίου, μέγαν κύριον ὀνομάζοντα. De origine nominis diuerſi diuerſa ſentiunt: alij dictos putant quaſi primâ cerâ, hoc eſt albo ſiue catalogo inſcriptos, alij τὸ *cerius* productionem tantum vocis eſſe, nihilque præterea ſignificare.

PAG. 142. Praſini & Veneti per Orientem] Ita vocabantur factiones aurigarum. de quibus vide Plin. lib. VII. cap. XXXIII. Suetonium in Domitian. cap. VII. Tertullian. de Spectaculis cap. IX. Caſſiodorum lib. III. Variar. Epiſt. XIII. Suidam, Iſidorum, Cedrenum initio Imperij Romani.

PAG. 146.

Digitized by Google

PAG. 182. Belli machina quam petrariam vocant.] Sic vocabatur vltimis temporibus, cũ antea *Scorpio* vel *onager*: cuius formã qui nosse auet, legat Ammiani Marcellini lib. XXIII. nam locus nimis longus est vt hic describi debeat. Nicetas Choniates πετροβόλα ὄργανα indigetat, eisque maxime barbaras gentes vti idem scribit lib. III. de Gestis Alexij Angeli: Αλλὰ χὴ τὰ πετροβόλα μηχανήματα, οἷς ἐχρῶντο οἱ βάρβαροι.

PAG. 185. Cimelia] Glossarium Κειμήλιον *cimelium*. Hesychius Κειμήλια σκεύη δῶρα, χὴ τὰ ἀποτεθειμένα χρήματα. De priori intelligunt viri docti versum Homeri Iliad. ζ.

— Σὺ δ' ἄξια δέξαι ἄπινα.
Πολλὰ δ' ἐν ἀφνειῷ πατρὸς κειμήλια κεῖται,
Χαλκός τε, χρυσός τε, πολύκμητός τε σίδηρος.

posterius probat Triphiodorus, de Ilij excidio:

— Πολλὰ δὲ ἑρμάων
Ἡρπαζον δαλάμων κειμήλια. —

Cassiodorus *depositiuas pecunias* vocat: lib. VI. form. VIII. *Depositiuæ quoque pecuniæ, quæ longa vetustate competentes dominos amiserunt, inquisitione tua nostris applicantur ærariis.*

PAG. 186. Capuæ comes fuerat] *Comes* hic est præfectus, vt in Notitia Imperij: *Comes Ægypti. Comes Isauriæ. Africæ, Italiæ*, &c. vbi & plura de eius dignitate vide.

PAG. 187. Per stratam] *Strata* est via. Victor Episcopus de persecutione Wandalorum, lib. III. *Stratæ vero vel semitæ cadaueribus repletæ, exhalantiũ fœtore mortuorũ gradientes viuos omni ex parte necabant.* Apud Germanos maxime adhuc in vsu est.

PAG. 192.

Digitized by Google

PAG. 192. Missosque illius] *Missi sunt* legati. Leg. Francicarum lib. IIII. cap. XII. & alibi.

PAG. 193. Gastaldium vocari] Quid sit, iam ab aliis notatum. legitur sæpe in Legibus Langobard.

PAG. 197. Olim perticæ id est trabes erectæ] Consulendi de hoc ritu ij) quibus de priſtina litteratura (vt verbis Septimij vtar, antiquus memoriæ tenor resident. Ego nil simile scio.

PAG. 198. Grauionem] Vide leg. Salicas.

PAG. 202. Tremissis] *Tremissis* genus nummi. Etiam in Legib. Langobard. Tit. CI. §. LXII. Legib. Boioarior. Tit. III. §. I. & alibi.

PAG. 205. Berbices] Glossar. *πρόβατον ἄρνιον. Verbella, ouis verbix.* sic scriptú est apud Licinium Rufin. Tit. de Abigeatorib. Leg. Francicar. lib. I. cap. LXXV. & passim in istis legibus.

IN LIBRVM SEXTVM.

PAG. 219. Loci seruator] *Loci seruatores* sunt, qui mittuntur à præfectis prætorio, vel comitibus, vel præsidibus iuris dicendi causa, vt explicat D. Cuiacius Obseruat. lib. III. cap. XIIII.

PAG. 225. Protospatharius] *Spatharij* erant corporum custodes. Cedrenus: ὅτι σπαθάριος, ὁ σωματοφύλαξ ἐστὶν. Inde *Prosto spatharius.* Curopalata: Ὁ πρωτοσπαθάριος λέγεται, ὅτι ὑπὸ χεῖρα τὸ παλαιὸν πρῶτον τῶν σπαθαρείων ἐτάττετο: νῦν δὲ ἀξίωμα ὑπηρεσίαν ἔχει.

PAG. 226. In albis constitutus] Causa huius

huius ritus explicatur Distinctione 1111. Tit. Quare cand. vest. trad. Christ. *Post baptismum traditur Christianis vestis candida, quæ significat innocentiam & puritatem Christianam, quam post ablatas veteres maculas studio sanctæ conuersationis immaculatam seruare debet ad repræsentandam ante tribunal Christi. Cuncti vero renati albis induuntur vestibus ad ministerium resurgentis Ecclesiæ. Item vtuntur baptizati albis vestibus, vt quorum primæ natiuitatis faciem vetusti erroris pannus fuscauerat, habitus secundæ regenerationis gloriæ præferat indumentum; tegitur enim post sacram vnctionem caput eius mystico velamine, vt intelligat se diademate regni & sacerdotali dignitate potiri.* Huc pertinent l. 5. Cod. Theodos. de Spectacul. illa verba: *Quinquagesimæ diebus, quamdiu cælestis lumen lauacri imitantia nouam sancti baptismatis lucem vestimenta testantur.*

PAG. 227. Maior domus] Glossæ Isidori: *Architriclinius maior domus*; dicitur etiam *Prouisor regis aulæ*, vel *Præfectus palatij*. Cedrenus eum οἰκονόμον vocat; cuius locum, quia vnice huc facit, totũ adscribam. In Leone Iconomacho pag. 373. Ἰσρὴλ δέ, ὅτι ἐθῶ τῷ ῥήγα φερωνίας καὶ γένῳ ἄρχειν, καὶ μηδὲν λοιπεῖν πλὴν ὅτι ἀλόγως ἐσθίειν καὶ πίνειν. Κατὰ δὲ τὸν Μαΐον μηνὰ περιαθέζεσθαι ὅπου πατὴρ τῶ ἔθνους, καὶ περιστεῖν αὐλοῖς, καὶ ἀντιφοσκινῶσι ὑπὸ αὐτῶν, δωροφορεῖσθαί τε καὶ σωμάθειαν, καὶ ἀντιδιδόναι αὐτοῖς, ἔχειν δὲ οἰκονόμον γνώμην αὐτῶ, καὶ τῶ ἔθνους εἰς τὸ λοιπεῖν πάντα τὰ πράγματα. Annales Francorum à P. Pithoeo I. C. editi: *Reges quidẽ dicebantur, sed potestas regis tota apud Maiorem domus habebatur, excepto quod charta & priuilegia Regis nomine scribebantur,*

itinere ſupra Boryſtenem amnem oſſibus humanorum capitum bibere, cutibuſque cum capillo pro mantelibus ante pectora vti. Ammian. Marcell. lib. XXVII. *Scordiſci, longe nunc ab iiſdem prouinciis diſparati, ſæui quondam & truces, vt antiquitus docet, hoſtiis captiuorum Bellonæ litantes & Marti, humanumque ſanguinem in oſſibus capitum humanorum bibentes auidius.*

Scala dicitur.] Non dum exoleuit hæc vox, vſitata non Germanis ſolum, ſed & aliis populis. Iſidorus Etymolog. lib. xx. cap. v. *Calices, & calathi, & ſcalæ poculorum genera, antea ex ligno facta. vnde & vocata: Græci enim omne lignũ cala dicebant.*

Pag. 43. In eorum carminibus celebratur] Tacitus de moribus Germanorum: *Celebrant carminibus antiquis, quod vnum apud illos memoriæ & annalium genus eſt.* ad quem locum lege notata doctiſſimo Lipſio. Non abſimilia his fuiſſe puto carmina quæ Bardi decantabant. De quibus Ammian. Marcell. lib. xv. *Bardi fortia virorum illuſtrium facta heroicis compoſita verſibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt.* Athenæus lib. VI. ex Poſidonio: Κελτοί, φησι, θειάζον δ μετ' ἀωτῆς πολεμοῦντες συμβιωτὰς, ὃς καλεῖται παρασίτους. ἔστι δ ἐγκώμια ἀυτῆς καὶ τοὺς ἄθρόους λέγουσιν ἀνδρώδεις σωτῆρας, καὶ τοὺς ἕκαστον τῆς κατὰ μέρος ἐκείνων ἀριστείας. τὰ δ ἀκούσματα ἀυτῆς εἰσὶν οἱ καλούμενοι Βάρδοι. ποιητὰὶ δ ἔστι τοιχάνουσι μετ' ὠδῆς ἐπαίνους λέγοντες.

IN LIBRVM SECVNDVM.

Pag. 49. Narſes Chartularius] Gloſſarium: χαρτόφυλαξ, *Chartularius*, Sed hoc aliis non probatur,

Digitized by Google

probatur qui discrimen inter χαρτοφύλακα & *Chartularium* faciunt. Suidas eundem esse cum Scriniario dicit: Σκευικάριος, ὁ χαρτηλάριος τῆς ἐπάρχου, ὁ αἴρων τὸ σκεῦος, ἤτοι τὸ κιβώτιον. Iam vero χαρτοφύλακα autor Etymologici etiam Σκευικάριον vocat. vt hinc aliquo modo tueri posset interpretatio Glossarij. Officium eius penè ex Leonis & Anthemij verbis colligitur l. 3. C. de canon. larg. titul. vbi sic scribitur: *Chartularios qui de cohortalibus officiis vniuscuiusque prouinciæ largitionales titulos retractare constituuntur.* Emittebant etiam σύμβολα, id est, cõmonitoria, vt D. Cuiacius docuit. Erant sub dispositione Præpositi Sacri cubiculi, ideoque à vetere Scholiaste Iuliani Patricij Constit. xv. Tit. LX. *Cubicularij* interpretantur *Chartularij*. Sic Narsetem, quem alij chartularium vocant, cubicularium nominat Cedrenus Georgius: τῷ δ' ἔτει ἐπέμφθη Ναρσῆς ὁ Κουβικουλάριος εἰς Ῥώμην, πολεμῆσαι τοῖς Γότθοις. Fit etiam *Magni Chartularij* mentio apud Curopalatam; quemadmodum & *Chartularij magistrorum equitum, & peditum.* C. Theod. l. 5. de diuers. offic. & apparit. quo pertinet Zonaras lib. III. Καὶ Παῦλον τὸν τῆς βασιλικῶν ἱππικόμων ὑπηκοῦντα, χαρτουλάριον τῶν Ῥωμαίων οἵδε τοῦτον λέγειν φωνή. cui simile Niceræ, Θεόδωρος ὁ χαμαί, χαρτουλάριος ὢν τῶν ἱππέων.

Patriciatus honorem meruit] Hunc honorem summam dignitatem Iustinianus vocat Institut. lib. I. Tit. XII. & quæ sola morte soluatur. *Nam*, vt Cassiodorus scribit lib. VI. Form. 11. *mox vt datus fuerit* (hic honor) *in vitæ tempus reliquum homini sit coæuus, ornatus induuidui cingulum fidele,*

Digitized by Google

fidele, quod nescit ante deserere, quam de mundo contingat exire,&c. Vide sodes totum locum : nam egregiè huc facit.

Dactyli] Suidas Δάκτυλοι παρὰ πολλοῖς οἱ βαλανοὶ τῶν φοινίκων. Aliter etiam *Nicolai* dicebantur. Glossæ Isidori : *Nicolaus dactylus*, quod nomen eis indidit Augustus Cæsar, cui creberrime è Syria à Nicolao Damascено eiusmodi dactyli mittebantur : quos tamen non dactylos fuisse, sed placentas scribunt Hesychius Illustrius in Vitis Philosophorum, & ex eo Suidas in Nicolao Damasc. Pro placentis etiam Serenus Sammonicus vsurpat:

Grana peregrini piperis diffindito quinque,
Nicolao molli quæ mane inserta capesses.

Pag. 55. Strator erat, quem lingua propria Marpahis vocant] Suidas: Στράτωρ εἶδος ἀξιώματος. officium autem tale, vt dominum in equum sustolleret, equumque duceret. Spartianus, *Cum illum in equum strator suus leuaret, pugione latus confodit.* Constantinus Magnus: Καὶ κρατῶντες τὸν χαλινὸν τοῦ ἵππου αὐτοῦ στράτορος ὀφφίκιον ἐπωνόμασεν. Vnde etiam *Equistratores* & *Protostratores* dicti. Auctor vitæ Cypriani : *Venerunt ad eum principes duo, vnus stator officij Galerij Maximi proconsulis, qui Aspasio Paterno successerat, & alius equistrator à custodiis eiusdem officij*,&c. De protostratoribus videndus Curopalata. Sed & *Statores* hi dicebantur, vt ante citatum exemplum indicat. & hæc inscriptio vetus:

D. M.

Digitized by Google

D. M.
M. ANTONIVS
HEVTVCAS AN
TONIO FOR
TVNATO. STA
TORI. AVGVSTO
RVM. ALVMNO
BENEMERENTI
FECIT.

Quid autem illud *Marpahis* ſit, plane ſubodorare néqueo: verioremque puto lectionem MS. codicis, in quo *Marhais* legitur. qui ſic dictus eſt; quod iuſſionem & imperium habeat in equos; ſicut *Scalkhais* quod in legum tranſgreſſores. *Mar* equum fœminam eſſe pauci non ſciunt, vnde etiam *Marſcalk*, equarum ſeruus. Nam *ſcalk* ſeruum ſignificat, non Germanis modo, ſed & Getis, quos certum eſt Germanico idiomate vſos. in eorum libris ſic legitur; in Cantico Simeonis, quod vidi apud Illuſt. Ioſephum Scaligerum: *Fra leitais ſcalk; theinana. Nunc dimittis ſeruum tuum.* Apud hunc noſtrum autem Paulum *Stratorem* eundem eſſe quem Galli *Grand Eſcuier* dicunt, vir magnus putabat, cuius opinionem hic apponere viſum eſt.

Faras, id eſt generationes] *Fara* vox etiam in legib. Langobard. legitur: Tit. LXIIII. §. 1. *De eo quod cum Fara migrare permiſſum*, &c.

PAG. 63. Victorini reuincit Hiſtoria] Ita impreſſi libri. Sed in MS. *Victoris* legitur. Eſt autem Sextus Aurelius Victor, cuius hæc verba in excerptis imperatorum Romanor. in Nerone:

Pontum in ius prouinciæ Polemonis Reguli permissu redegit, à quo Polemoniacus Pontus appellatus est, itemque Cottias Alpes, Cottio rege mortuo.

Pag. 65. Quas Græci Samia appellant] Ita ms. & Augustana editio. Puto tamen legendum, *quas Græci σαυνία appellant*. Hesychius: Σαυνίον, εἰκόνιον βυβλιακὸν. quam lectionem Plinius confirmat lib. III. cap. XII. *Samnitium, quos Sabellos & Græci Saunitas dixere, Colonia Bouianum vetus*, &c.

Pag. 67. Italia ab Italis, hoc est vitulis dicta] Ex Festo sumtum.

Pag. 70. Schilpor, hoc est, armiger] Magnorum virorum hoc munus erat. Nam de Narsete scribit Corippus, cum armigerum fuisse Iustini: lib. II.

Armiger interea domini vestigia lustrans
Eminet excelsus super agmina vertice Narses.

Curopalata eos Σκυτέας vocat: Procopius, vt puto, δορυφόρους. Ita enim de Odoacre lib. I. Belli Gotici, ex ms. Illust. Iosephi Scaligeri, ἦν δέ τις ἐν αὐτοῖς Ὀδόακρος ὄνομα, ἐς τοὺς βασιλέως δορυφόρους τεταγμένων. Nisi potius ibi δορυφόρους domesticos velis interpretari. nam ita hi dicebantur. Socrates lib. I. cap. XIII. τῶν δορυφόρων τις, οὓς οἰκείους καλεῖ ὁ βασιλεύς. de his lib. XII. Cod. Tit. XVII. & ibi I. Cuiacius I. C. Fit etiam in Notitia Imperij Romani Armigerorum mentio: *Armigeri propugnatores seniores, Armigeri propugnatores iuniores.* Sed illi diuersi ab his fuere: quemadmodum & apud Gunterum lib. 7. Armigeros vulgares tantũ milites esse puto vel satellites. nam eos veteres Grammatici armigeros interpre-

interpretantur. Sed & apud Paulum noſtrũ *αὐτὴ τῆ Schilpor, Schilphor* legere mallem, quæ vox Germanis vſitata.

IN LIBRVM TERTIVM.

PAG. 80. In libris Gregorij Turonenſis] Hiſtoriarum lib. VI. cap. VI.

PAG. 83. Factis conciſis per deuia] Gregor. Turonenſ. lib. IIII. cap. XXII. *Actiſque codicibus per diuortia ſiluarum.*

PAG. 86. Neque barbam neque capillos inciſuros] Non prætermiſit hoc Tacitus de moribus Germanor. Eius hæc verba: *Alius Germanorum vſurpatum, rara & priuata cuiuſque audentia, apud Cattos in conſenſum vertit, crinem barbamque ſubmittere, nec niſi hoſte cæſo exuere votiuum obligatumque virtuti oris habitum.* Extat quoque ſimile votum in Narratione de Apollonio Tyrio: quam ſi quis tanti fecerit, legat ibi.

PAG. 87. puer Mummuli adueniens] *Pueri* vox ſic poſita poſteriorum temporum ſcriptoribus nil aliud quam famulum denotat. ea notione Sidonius vſus eſt, lib. I. Epiſt. II. *Si venatione nuntiata procedit, arcum lateri innectere citra grauitatem regiam iudicat. Quem tamen, ſi comminus auem feramque venanti monſtres, aut vianti deus obtulerit* (ſic lego ex MS. qua aliquando vſus, ſceda. vulgo *venanti monſtres aut vianti.*) *manui poſt tergum reflexæ puer inſerit, neruo lorove fluctuantibus.*

PAG. 90. Palatium regeret] Inde *Curapalatij* vocati l. 1. C. de Comit. & Tribun. Scholar. De his bene Corippus de laudibus Iuſtini lib. 1.

Cum magni regeres diuina palatia patrũ,
Par exiens cunis, ſolo diademate diſpar,
Ordine pro rerum vocitatus Cura palatij.

Agathias eos ſolummodo *Curatores* dictos ſcribit lib. v. Ἀνδρὶ τῇ τε τῆς ἑσπέρου ἀξίᾳ τετιμημένον, καὶ ὡς γε τὸ φρονήματος τοῦδε, καὶ ὀπαδείαν τῆς βασιλέως οἴκων τε καὶ κτημάτων ἀρχὴν εἰληχότα. Κυβέρνας δὲ τύτους καλοῦσι Ῥωμαῖοι. Formulam eorum vide apud Caſſiodorum lib. VII.

Crucem domini qua frontem] Tertullianus de corona Militis cap. IV. *Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum, ad exitum, ad veſtitum, ad calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcunque nos excuſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.*

Pag. 92. ad dignitatem imperatoriam ſublimaret] Optime de hoc ritu Curopalatæ: Μετὰ δὲ τοῦτο, ὁ νέος βασιλεὺς ὅτι σκυτείου καθεδεῖς ἐπαίρεται εἰς ὕψος, καὶ φαίνεται πᾶσι τοῖς κάτωθεν ἱσταμένοις πολίταις. κατέχει δὲ τὰ μὲν ἔμπροσθεν τὸ ἀσπίδος αὐτός τε ὁ βασιλεὺς καὶ πατὴρ ἀναγορευόμενος, ἐὰν ζῶν τύχῃ, καὶ ὁ παλατιάρχης. τὰ δὲ ἐκ πλαγίων καὶ ὄπισθεν, οἱ ἐν ἀξιώμασιν ὑπερέχοντες. ἤγουν δεσπόται, σεβαστοκράτορες, ἐὰν ὦσιν. εἰ δὲ μὴ, οἱ κρείττονες καὶ ἀγχινέστεροι τῶν ἀρχόντων: εἰ δ' οὐκ εἰσὶ πατὴρ, τὰ μὲν τ' ἀσπίδος ἔμπροσθεν ὁ ἐνπεράτωρ τῆς ἀξιωμάτων ἢ τῆς ἀρχόντων μὴ τὸ παλατιάρχου. τὰ δὲ γε ὄπισθεν, ὡς εἴπομεν. Coripp. lib. 2.

Quatuor ingentem clypeis ſublimius orbem
Adtollunt lecti iuuenes, manibuſque leuatus
Ipſe miniſtrorum ſupra ſtetit.

Plura lege apud Pet. Pythœum I. C. Adnerſar. lib. II. cap. VI. Poſt leuationem vero à Patriarcha vngeba-

vngebatur. Curopalata: Μετὰ ϑ τοῦτο ἐπαίρει μὲ ὁ νέος βασιλεὺς, ὅ, π αὖ φορᾷ ὅπὶ κεφαλῆς. ἀϑὺς ϑ πάν-τες ὅσοι διείσκονται ἐν τῷ ναῷ ἀποκαλύπτουσι τὰς κεφαλὰς ἵστανται. ὁ ϑ πατριάρχης χείει σταυροειδῶς τὴν κεφαλὴν τοῦ βασιλέως τῷ ϑείῳ μύρῳ, ὅπλέγων μεγάλῃ τῇ φωνῇ τὸ, ἅγιος. Liutprandus lib. VI. *Miro ornatu, miroque apparatu ſuſceptus ab eodem ſummo pontifice, &c. vnctionem ſuſcepit imperij.* Ideoque ſæpiſſime hæc ita iuncta videbis, in regem ſublimatus vnctuſque.

Pag. 92. Triginta diebus ad vindemiam iocundaretur.] Non nouum hoc apud hiſtoricos, maxime illos qui imperatorum vitas ſcripſerunt. Non ſolum autem vindemiarum tempore feriæ erant, ſed & meſſium: de his agitur Cod. Theod. de Feriis l. 2. *Omnes dies iubemus eſſe iuridicos, illos tantum manere feriarum dies fas erit, quos geminis menſibus ad requiem laboris indulgentior annus accepit, æſtiuis feruoribus mitigandis, & autumni fœtibus decerpendis.* Nam tunc temporis cauſam agere, aut dicam alicui ſcribere, legibus non licebat. quod & Statius tangit lib. IIII. Siluarum:

Certe iam Latiæ non miſcent iurgia leges,
Et pacem piger annus habet, meſſeſque reuerſæ
Dimiſere forum, nec iam tibi turba reorum
Veſtibulo, querulique rogant exire clientes.

Minutius Felix in Octauio: *Ad vindemiam feriæ iudiciariam curam laxauerant.* Poſt electionem quoque imperatoris feriari moris erat. Curopalata: Δέκα ϑ ἡμέρας, ἢ πλείους, ἢ ἐλάττους τέτων

PAG. 146. Palum in medio campo] Receptũ etiam hoc genus ſupplicij Slauis fuit. Helmoldus Hiſtoriæ Slauorum cap. LIII. *Quanta enim mortium genera Chriſticolis intulerint, relatu difficile eſt, cum his quidem viſcera extorſerint palo circumducentes, hos cruci affixerunt irridentes ſignum redemtionis noſtræ.*

PAG. 154. Quas ſola memoria & vſu retinebat] Ideo Rotharis Rex in peroratione Legum Langobard. *Inquirentes & rememorantes antiquas leges patrum noſtrorum.* Vocabantur autem Langobardorum leges *Auricabeones*, quemadmodum Gotorum *Bellagines*. Gloſſæ Iſidori (quas habeo ab Illuſtriſſimo D. Ioſepho Scaligero, vnico (quod præfiſcine dixerim) meorum ſtudiorum fautore:) *Ancl'abeo vel auricabeo, lex Langobardorum.* De Geticis Iornandes in eorum geſtis: *Phyſicam tradens* (ſcilicet Diceneus) *naturaliter propriis legibus viuere fecit, quas vſque nunc conſcriptas Bellagines nuncupant.* Sed quid voces iſtæ ſignificent, adhuc quærendum cenſeo.

IN LIBRVM QVINTVM.

PAG. 176. In baſilicam confugium feciſſe] Sæpiſſime hoc apud Hiſtoricos & alios ſcriptores legitur. Vide Tit. Cod. de iis qui ad Eccleſ. confug. Primum autem hic mos ab Athenienſibus introductus, apud quos ara miſericordiæ, (vt vulgo iam notum) conſtituta erat, quam qui amplectebantur, eis vim fieri leges vetabant; ideo ſemper locus ille confugis abundabat, vt eleganter Statius ſcribit Thebaid. lib. XII.

Digitized by Google

Semper habet trepidos, ſemper locus horret egenis
Cœtibus, ignotæ tantum felicibus aræ.

Sic etiam ad principum ſtatuas confugiebant, l. vnica c. de iis qui ad princip. ſtat. confug. & hoc erat tutiſſimum refugium, vt iam viri doctiſſimi docuerunt. Confugientes quoque ad ſigna militaria, tuti erant ab omni læſione: cauſam puto, quia imperatorum & principum imagines illis plerumque annexæ. Tacitus lib. 1. Annal. *Neque aliud periclitanti ſubſidium, quam caſtra primæ legionis: illic ſigna & aquilam complexu, religione ſe tutabatur, & ni aquiliſer Calpurnius vim extremam arcuiſſet*: &c. Amnian. Marcellin. lib. xxv. *Qui fraudũ conſcius & noxiorũ ad militaria ſigna confugit.*

Pag. 180. Nutricium ſuum] Gloſſarium: *Nutricius* τροφεὺς. Inſcriptio vetus:

MEMMIA TERTVLLA
NVTRICIO SVO ET MATRI
BENE MERENTI. POSTERISQ
SVIS. ET SIBI.

Vlpianus eos lib. de officio proconſulis *Educatores* vocat, l. 33. D. de manumiſs. vindict. Iuſtinianus lib. 1. Inſtitut. Tit. VI. §. V. *aut pædagogum, aut nutricem, aut educatorem, aut alumnum*, quem locum ita expreſſit Theophilus: Καὶ τὸ εἰπεῖν, ὅτι παιδαγώγου μέν ἐστιν, ἢ τροφὸς, ἢ τροφεὺς, ἢ ἀλύμνου. In alia inſcriptione *Tatæ* appellantur:

TI. CLAVDIO EPAPHRODITO TATÆ
BENEMER. FECER.

Quod vocabulum etiam apud Curopalatam reperitur, vbi τῷ ταταῖ τῆ ἀυλῆς mentio fit. ſed an idem cum hoc ſit, non facile dixerim.

Pag. 182.

nina possessionum s. v. nam vulgata lectio plane corrupta.

PAG. 108. Feritam facere] *Ferita*, est plaga siue ictus. Sic explicatur in legibus Langobardor. Tit. 111. §. v. Item Tit. x. §. 111.

PAG. 113. Ciborium] Poculi genus est in modum foliorum colocasiorum factum, vt interpretatur Scholiastes Horatij Porphyrio, ad illum Sermon. lib. 2. Od. 7. versum.

— obliuiosa leuia Massico
Ciboria exple.

Hesychius: Κιβώειον, Αἰγύπτιον ὄνομα ὃπι ποτηρίς.

IN LIBRVM QVARTVM.

PAG. 123. Homines Gaidulfi] *Homines* hic eo significatu accipiendi, quo apud I Ctos. Sic apud Capitolinum in Pertinace: *Tam lucri cupidus fuit, vt apud vada Sabatia mercaturas exercuerit imperator per homines suos; non aliter quam priuatus solebat.* Sic apud Symmachum *Homo meus*, Epistol. xxv 11. lib. 111. epist. LIIII. lib. v. Vide D. Cuiacium Obseruationum lib. v 111. cap. x 1111.

PAG. 125. Exarchus] Glossarium Græcolatinum, ἔξαρχοι *Proceres, principes.*

PAG. 135. Capillos à facie, vsque ad os dimissos habentes] Etiam hoc Gotis vsitatum fuit. Sidonius Apollinaris lib. 1. Epist. 11. *Aurium legulæ, sicut mos gentis est, crinium superiacentium flagellis operiuntur.* vbi flagellis crinium significantur cirri, commune Germanorum ornamentum; vnde etiam *cirrigeri* vocantur. vt optime docuit Vir Clarissimus, & nunquam sine

PAG. 182. Belli machina quam petrariam vocant.] Sic vocabatur vltimis temporibus, cũ antea *Scorpio* vel *onager*: cuius formã qui nosse auet, legat Ammiani Marcellini lib. XXIII. nam locus nimis longus est vt hic describi debeat. Nicetas Choniates πετροβόλα ὄργανα indigetat, eisque maxime barbaras gentes vti idem scribit lib. III. de Gestis Alexij Angeli: Αλλὰ καὶ τὰ πετροβόλα μηχανήματα, οἷς ἐχρῶντο οἱ βάρβαροι.

PAG. 185. Cimelia] Glossarium Κειμήλιον *cimelium*. Hesychius Κειμήλια σκεύη δῶρα, καὶ τὰ ἀποθετα χρήματα. De priori intelligunt viri docti versum Homeri Iliad. ζ.

—Σὺ δ' ἄξια δέξαι ἄπαντα.
Πολλὰ δ' ἐν ἀφνειῷ πατρὸς κειμήλια κεῖται,
Χαλκός τε, χρυσός τε, πολύκμητός τε σίδηρος.

posterius probat Triphiodorus, de Ilij excidio:

— Πολλὰ δὲ ἑρήμων
Ἡρπαζον Τελάμων κειμήλια. —

Cassiodorus *depositiuas pecunias* vocat: lib. VI. form. VIII. *Depositiuæ quoque pecuniæ, quæ longa vetustate competentes dominos amiserunt, inquisitione tua nostris applicantur ærariis.*

PAG. 186. Capuæ comes fuerat] *Comes* hic est præfectus, vt in Notitia Imperij: *Comes Ægypti. Comes Isauriæ. Africæ, Italiæ*, &c. vbi & plura de eius dignitate vide.

PAG. 187. Per stratam] *Strata* est via. Victor Episcopus de persecutione Wandalorum, lib. III. *Stratæ vero vel semitæ cadaueribus repletæ, exhalantiũ fœtore mortuorũ gradientes viuos omni ex parte necabant.* Apud Germanos maxime adhuc in vsu est.

PAG. 192.

Digitized by Google

PAG. 192. Missosque illius] *Missi* sunt legati. Leg. Francicarum lib. IIII. cap. VII. lib. IIII. cap. XII. & alibi.

PAG. 193. Gastaldium vocari] Quid sit, iam ab aliis notatum. legitur sæpe in Legibus Langobard.

PAG. 197. Olim perticæ id est trabes erectæ] Consulendi de hoc ritu ij) quibus de pristina litteratura (vt verbis Septimij vtar, antiquus memoriæ tenor residet. Ego nil simile scio.

PAG. 198. Grauionem] Vide leg. Salicas.

PAG. 202. Tremissis] *Tremissis* genus nummi. Etiam in Legib. Langobard. Tit. CI. §. LXII. Legib. Boioarior. Tit. III. §. I. & alibi.

PAG. 205. Berbices] Glossar. *πρόβατον ἄρρεν. Verbella, ouis verbix.* sic scriptú est apud Licinium Rufin. Tit. de Abigeatorib. Leg. Francicar. lib. I. cap. LXXV. & passim in istis legibus.

IN LIBRVM SEXTVM.

PAG. 219. Loci seruator] *Loci seruatores* sunt, qui mittuntur à præfectis prætorio, vel comitibus, vel præsidibus iuris dicendi causa, vt explicat D. Cuiacius Obseruat. lib. III. cap. XIIII.

PAG. 225. Protospatharius] *Spatharij* erant corporum custodes. Cedrenus: *ὅπ σπαθάριος, ὁ σωματοφύλαξ ἐστὶν.* Inde *Prostospatharius.* Curopalata: *Ο πρωτοσπαθάριος λέγεται, ὅτι ἐπὶ τῆς πρώτης τοῦ σπαθαρίου τάξεως ἐτάττετο: καὶ ἡ ἀξία ὑπηρεσίαν ἔχει.*

PAG. 226. In albis constitutus] Causa huius

Digitized by Google

huius ritus explicatur Distinctione IIII. Tit. Quare cand. vest. trad. Christ. *Post baptismum traditur Christianis vestis candida, quæ significat innocentiam & puritatem Christianam, quam post ablatas veteres maculas studio sanctæ conuersationis immaculatam seruare debet ad repræsentandam ante tribunal Christi. Cuncti vero renati albis induuntur vestibus ad ministerium resurgentis Ecclesiæ. Item vtuntur baptizati albis vestibus, vt quorum primæ natiuitatis faciem vetusti erroris pannus fuscauerat, habitus secundæ regenerationis gloriæ præferat indumentum; regitur enim post sacram vnctionem caput eius mystico velamine, vt intelligat se diademate regni & sacerdotali dignitate potiri.* Huc pertinent l. 5. Cod. Theodos. de Spectacul. illa verba: *Quinquagesimæ diebus, quamdiu cælestis lumen lauacri imitantia nouam sancti baptismatis lucem vestimenta testantur.*

PAG. 227. Maior domus] Glossæ Isidori: *Architriclinius maior domus*; dicitur etiam *Prouisor regis aulæ*, vel *Præfectus palatij*. Cedrenus eum πρόοικον vocat; cuius locum, quia vnice huc facit, totũ adscribam. In Leone Iconomacho pag. 373. Ἰσαρίῳ δέ, ὅτι ἔθος ἐστὶ τῇ ῥίζῃ φέρειν καὶ γένος ἄρχειν, καὶ μηδὲν διοικεῖν πλὴν ὅτι ἀλόγως ἐσθίειν καὶ πίνειν. Κατὰ δὲ τὸν Μάϊον μιμῶν πρόχαθέζεσθαι ὅπου πάντες τοῦ ἔθνους, καὶ πρόσχωρεῖν αὐτοῖς, καὶ ἀντιπροσκυνεῖσθαι ὑπὸ αὐτῶν, διαφορεῖσθαί τε καὶ σωμάτιον, καὶ ἀντιδιδόναι αὐτοῖς, ἔχειν δὲ πρόοικον χρώμενον αὐτῷ, καὶ τὰ ἔθνη εἰς τὸ διοικεῖν πάντα τὰ πράγματα. Annales Francorum à P. Pithoeo I. C. editi: *Reges quidẽ dicebantur, sed potestas regis tota apud Maiorem domus habebatur, excepto quod charta & priuilegia Regis nomine scribebantur,*

bebantur, & in Martis campum, qui Rex dicebatur, plauſtro bobus trahentibus vectus, atque in loco eminenti ſedens, ſemel in anno à populis viſus, publica dona ſolemniter ſibi oblata accipiebat, ſtante coram Maiore domus, & quæ deinceps eo anno agenda eſſent populis annuntiante. ſicque rege domum redeunte, cetera regni negotia Maior domus adminiſtrabat.

PAG. 230. Eius caput barbamq. radens] Mos erat priſcus captiuos & bello victos radere, quod & Sidonius Apollinaris tangit lib. VIII. Epiſt. IX.

Sic tonſo occipiti ſenex Sicamber,
Poſtquam victus es elicis retrorſum,
Cæſariem ad veterem nouos capillos.

& alibi in eodem ſcriptore. Sic capio verſum Ouidij:

Iam tibi captiuos mittet Germania crines,
Culta triumphatæ munere gentis eris.

Morem autem hunc multis ante ſæculis etiam apud alias gentes vſitatum fuiſſe puto, coniecturam ducens ex Deuteronom. cap. XXI. vbi de puella captiua ait: *Quæradet cæſariem, & circumcidet vngues, & deponet veſtem in qua capta eſt*, &c. Sed & ſupplicij genus erat caput tondi. vnde ſæpiſſime illa verba leguntur *decaluari verberarique*. Cedrenus in Iuſtino pag. 320. Τύψας αὐτὸν καὶ τὴν κεφαλὴν κείρας, καὶ γυμνὸν ὄνῳ ἐπικαθίσας, διὰ μέσης τῆς πόλεως ἐθριάμβευσε. Vbi etiam vides aſino eum impoſitum. vſitatum enim hoc antiquis fuit, ſupplicio iam iam afficiendos, aſinis aut aliis animalibus impoſitos, in ſpectaculum per plateas ducere. Agathias de Gabazæ interfectoribus,

lib. IIII.

lib. IIII. Καὶ οἱ μὲ ὅπλ τοῖς ὀρεῦσιν ἥμενοι, χὴ ἀνὰ τὰς ἀσωφόρυς ἀδεισιχθέντες, μέγιστον δέαμα τοῖς Κόλχοις ἦν, χὴ πλείστης ἄξιον ἀλλαβείας. Sic Niceras Choniates Andronicum camelo impositum narrat: lib. III. μεθ' ἡμέρας δέ τινας χὴ τ' ἕτερον τῆς ὀφθαλμῶν ἐξορύπτεται, χὴ καθεδεὶς ὅπλ καμήλε ψυχικώσης, ἅλε τ' ἀγορᾶς διαμβένυ. Sed hæc sunt alterius loci.

Cum arietibus & diuersis belli machinis] Variæ harum machinarum appellationes. Erant enim quas λέσας vocabant. earum sic meminit Cedrenus pag. 644. αὐτὸς ἦ σκλιὰς ἐκ λίθων ἔχων πεπηγμένας, βοείαις βύρσαις ἄνωθεν δίκεπασμένας, χὴ τροχὸς ἐχούσας ὑπὸ τὰς τῆς βασταζόντων κιόνων βάσεις (λέσας τὰς τοιαύτας καλουμαζύσι μηχανάς) λαὸν πλήρας δικέλλας φέροντα χὴ σκεπάνας, χὴ ἄλλα γεωργικὰ ὄργανα, ὥστε κατὰ μικρὸν ὑπωθεῖν τὰς λέσας, χὴ τοῖς τείχεσι προσαρμόσαι, &c. Erant etiam quæ dicebantur *clisæ*. Auctor vitæ Karoli Magni à P. Pithœo I. C. editus. *Præparauerunt clisas ad debellandum præ virtute castrum.* Alia quoque genera Turpinus enumerat cap. IX. *Septimo mense aptatis iuxta murum petrariis & mangatellis & troiis. Mangatellis* significari putabat vir doctus eas machinas quas Galli *Mantellos* seu *Mantelletos* vocant, id est vineas. de reliquis iudicet lector.

PAG. 232. Rector loci quem Schuldhais nominant] Habetur sæpè hæc vox in legib. Langobard. Tit. CXV. §. 1. *Si quis Schultheis aut actorem regis occiderit.* Legib. Langobard. Liutprandi Regis Tit. XX. §. 1. & alibi. seruatur etiam nunc in plurimis Germaniæ locis.

Ab arga

Ab arga nomen] Legum Langobardor. Tit. cxx. §. 1. *De eo qui alij Arga dixerit. Si quis alium arga per furorem clamauerit, & negare non poterit, & dixerit quod per furorem dixisset, tunc iuratus dicat, quod eum arga non cognouerit.* Nec dum exoleuit hæc apud Germanos vox, quam ego è Græco deductam puto: nam illi ἀργὸν pigrum & socordem, dicunt.

PAG. 258. Prohastio suo] Scriptum est more isti seculo vsitato; sic *hostium* dicebant quod nos *ostium*, & *harenam* ἀντὶ τῦ *arenam* *Prohastium* ergo est προάστιον, id est πρὸ τῆς πόλεως, Latine *suburbanum*. nec aliter hic locus intelligendus.

EXPLICIVNT ANNOTATIONES *In Historiam Langobardorum:*

VARIAN-

VARIANTES LECTIONES IN PAVLVM WARNEFRIDVM.

Ad quas Lector, si opus fuerit, recurrere potest.

IN LIBRVM PRIMVM.

PAG. 5. *vers.* 16. *magis coaptata*] al. deest τὸ *magis.*

v. 18. *Morbis abundat*] al. *eo morbis est abundãtior.*

Pag. 6. *v.* 3. *eo quod tantos*] al. *eo quod tantas mortalium turmas germinat, quantas alere, &c.*

v. 9. *miseræ Italiæ*] al. *per miseram Italiam.*

v. 11. *Rugi, Heroli*] al. *Hunni, Eruli, Turingi.*

v. 18. *originem ducens*] al. *Originem ducens è Scandauia Baltei seu Baltici maris insulæ, nouarũ sedium quærendarum gratia, ob multitudinem profecta est (licet aliæ causæ egressionis eorum assueuerentur) Cuius, &c.*

ver. 26. *propter planiciem m. t. ambientibus* | Hæc in Ascensiana editione desunt.

marginum] al. *marium.*

Pag. 7. *v.* 3. *quæ ex illis*] al. *quænam ex illis patriam essent relicturæ, vt nouas sedes exquirerent, sortè disquirunt.*

v. 8. *arua sectari*] al. *arua sectari, & terras petere.*

v. 9. *Aione*] al. *Agione.* & sic infra quoque.

v. 16. *consiliis prouida.*] al. *cum filiis prouida.*

quantũ inter suos] al. *quantum inter barbaros.*

v. 24. *Circum versus*] Sic editio Augustana. MS. *circum versus*, al. *circum versis*, al. *in extremis autem veteris Germaniæ finibus.*

Pag. 8. *v.* 17. *Scritobini*] al. *Scrictofinni.*

v. 19. *nec aliis vt pote*] al. *Nec aliter fieri potest, quã vt crudis agrestium animantium c. v. &c.*

v. 26. *nõ satis assimile cerno*] aliis deest τὸ *non.*

Pag.9. v.2. ſicut iam fati] al. *qua, vt ferebatur Scriĉtofinni vtuntur.*

v.4. per aliquot dies] Hæc verba, vſq. ad illa *quamuis diei*, in Aſcenſiana editione deſunt.

v.10. ſole longius] *tò longius* aliis deeſt.

Totonis villa] al. *Turonis villa.*

v.21. intantum vt ſolſtitio] al. *intantum vt circa ſolſtitium æſtiuale reſpicienti ſolem de medio cali, in Ægypto & Syene, & eorũ vicinia, nulla, &c.*

Pag.10. v.3. Nec ſatis] al. *nec multum.*

v.11. ſiue vertigo] aliis deſunt.

v.15. Implacata] al. *implicata.*

v.17. vaſtos] al. *vaſte.*

v.20. vertigine] al. *voragine.*

Pag.11. v.3. Sequanica] al. *Sequanica Aquitanicaque littora.*

v.6. à littore repertus] al. *ad littora deprenſus.*

v.14. garrulitas auditur] al. *tò auditur* deeſt.

v.20. aquarum fluentium] al. *tò fluentium* deeſt.

v.27. ora illius] al. *ora illius voraginis denudata relicta erant.*

Pag.12. v.2. vix ob metum] al. *propenſo metu palpitanſque reſideret.*

v.8. apprehendit] al. *accedens apprahendit.*

v.12. Quod licet minus] al. *quod licet Oceano diſsimile, tamen Venetia Iſtriaque littora perudat.*

v.16. inuaſura littora] al. *inuaſo littore.*

v.20. de Scandinauia] alij addunt, *Seu Scandauia inſula.*

Pag.13. v.3. tributorii eandem] al. *quam tributorum penſione fœdare.*

v.13. ad Wodan] al. *ad Goddanum.* & ſic infra quoque.

v.15. quos primum] al. *priores.*

v.20. componerent] al. *dimitterent.*

Pag.14. v.12. Godan dixerunt] al. *Guodan dixerunt.*

v.14. qui non circa] al. *quod non tantum circa.*

v.22. famis penuriam] al. *famem commeatuſq; penuriam.*

Pag.15. v.6. decernerent] al. *quærerent.*

v.15. viſiſque] aliis deeſt.

Pag.16. v.7. ſeruitutis nexum] al. *nexum.*

v.22. in Golanda] al. *applicuere ſeſe in Rugulandiam.*

v.24. An-

v. 24. *Anthabet*] al. *Antaibos, & Bantaibos pari modo, & Burgundaibos dicuntur per annos.*

Pag. 17. *v.* 3. *Ibor & Ayone*] al. *Ibore.* al. *Ebore & Agione.*

v. 4. *Scandinauiæ*] al. *à Scatinauia seu (vt dixi) Scandauia adduxerunt.*

v. 9. *ducens originem*] al. *ducens & prosapiam & originem Gungingorum.*

Pag. 18. *v.* 4. *Cum studio*] al. *custodiæ.*

v. 17. *Amazona eandem*] al. *Amazon eundem.*

v. 21. *Constat sane*] al. *constat autem huius assertionis seriem, minus esse veritate suffultam.*

Pag. 19. *in intimis*] al. *in vltimis.*

v. 12. *essent quieti*] al. *essent longa sub quiete minime solliciti, securitas, &c.*

v. 15. *Bulgares*] al. *Bulgari.* & sic semper.

v. 17. *& in tantum*] al. *tam diu, tamque atrociter per eorum castra grassantes.*

v. 27. *non aliud nisi Agelmundi*] al. *conseruatoris sui Agelmundi.* al. *alumni s. A.*

Pag. 20. *v.* 7. *ad oculos*] al. *mentis oculos dedecus acceptum, vt eorum, &c.*

v. 26. *ad expetendos belli*] al. *expetendos obeundosque.*

Pag. 21. *v.* 5. *Lethu*] al. *Leth.*

v. 6. *Hildeboe*] al. *Gildeochum filium suum.*

v. 7. *numero regni*] al. *regnum numero fuit, regni successorem reliquit.*

v 8. *Gudeboc*] al. *Gedoechis.*

v. 12. *Odoachar*] al. *Odoacrem.*

v. 13. *regnabat*] al. *regnarat.*

v. 17. *à Norici finibus*] al. *quam Onerici finis, id est Danuby separat.*

v. 18. *Noricorum*] al. *Onericorum.*

v. 19 *abstinentiæ sanctitate*] al. *omni scientia & prærogatiua sanctitatis præditus.*

v. 22. *corpus Neapolis*] MS. *corpusculum Neapolim.*

P. 22. *v.* 1. *Adunatis ergo.*] al. *Igitur Odoacer gentibus suæ ditionis congregatus, vtpote Turgilingis, seu Turingis, Erulis, Rugorumque parte, quam iam dudum possidebat, nec non & Italiæ populis. venit in Rugulandam, pugnansque cum Rugis.*

v. 7. *Vastataque omni prouincia*] al. *Vi itaque Italiam repetens.*

v. 11. *Rugiland.*] al. *Rugulandum.*

patria] al. *regio.*

v. 16. *Gudehoc*] al. *Gedeochus.*

v. 17. *filius ſuus*] al. *eius.*

v. 18. *Tato*] al. *Tado*, & ſic infra quoque.

v. 19. *Rugiland*] al. *Rugulanda.*

Feld] al. *Filden.*

Pag. 23. *legatione perfuncta*] al. *perfunctum.*

v. 8. *puella*] al. *puellam quæ eum, &c.*

vini poculum] aliis deeſt *vini.*

v. 24. *præcipiens atrociſſima*] al. *præcipiens pueris ſuis rem atrociſſimam.*

v. 27. *factumque eſt*] al. *factumque ita eſt: nam mox crudelis, &c.*

Pag. 24. *v.* 1. *iniqua mandata*] al. *illique mandata peragunt.*

v. 8. *Quid plura?*] hæc aliis deſunt.

v. 12. *Erant ſiquidem*] al. *Erăt enim tunc Eruli belandi peritia multorumque ſtrage notiſſimi.*

v. 15. *contemnerent*] al. *ſe contemnere indicarent.*

v. 20. *ei ſuorum*] al. *ſibi ſuorum.*

ver. 23. *Herulorum flecti*] al. *aut Erulorum flecti acies, & Langobardos eos opprimere ſe videre diceret.*

Pag. 25. *Qui licet*] al. *Tunc enim licet ſero in vocem prorumpens.*

v. 3. *Herolin*] al. *Erulia.*

flecteris ira] al. *plecteris ira.*

ver. 12. *Tanta ſuper eos*] al. *tanta amentia cælitus immiſſa perciti ſunt.*

ver. 16. *ingentem quam*] al. *ingentem prædam, quam in caſtris Rodulfi reppererant inter ſe dividunt.*

v. 19. *Bandum*] al. *Bannum.*

ſuper ſe regem] aliis τὸ *ſuper ſe* deeſt.

ver. 24. *aucto de diverſis*] al. *à tot diverſiſque gentibus quas ſuperaverant.*

v. 26. *protelare*] al. *prolatare.*

Pag. 26. *ver.* 3. *poſt hæc.*] al. *poſt hunc belli triumphum.*

v. 5. *Wacho filius*] al. *Wacho Zachilonis fratris eius filium, ut eum ab hac luce privaret.*

v. 8. *Gepidos*] al. *Gepidas*, & ſic infra quoque variat.

v. 13. *non rei exiſtimat veritatem*] al. *& non eſſe verum exiſtimat.*

v. 15. *Rex Rothari*] al. *Rothario.*

ver. 17.

ver. 17. *historiola inseriimus*] aliis *tò inserusmus* deest.

ver. 19. *Raniсundam*] al. *Raniсundam nomine, filiam, &c.*

*v.*20. *Austrigosam*] al. *Hostricosam.*

ver. 23. *Theodeberto*] al. *Theudeberto.* & sic semque in hoc nomine variat.

v. 24. *Giswald*] al. *Supaldo.*

*v.*25. *Quam ipse odio habens*] al. hæc verba vsque ad illa *Tertiam vero*, desunt.

*Pag.*27. *v.*1. *Salingam*] al. *Saligam.*

*ver.*4. *Lithingi*] al. *Adelingi.*

*v.*9. *Waltarиergo*] al. *Waltaritus.* & sic semper.

*v.*11. *Audoin*] al. *Audoinus.*

v. 16. *conceptam iam dudum*] al. *concepta iam dudum rixa, tandem in apertum exarserunt bellum, quod ab vtriſque partibus pro facultatibus adparabatur.*

ver. 21. *Alboin filius Audoin*] al. *Alboini filius Audoinus.*

*v.*23. *Alboin*] al. *Alboinus.* & sic semper.

*v.*25. *magna ex parte.*] al. *magna ſuæ partis bella constiterant.*

*Pag.*28. *ver.*2. *Langobardi victoria*] aliis *tò Langobardi* deest.

*v.*5 *in prælio victoriam*] alij *virtutem.*

*ver.*7. *comes*] al. *communis.*

*v.*15. *Turiſendum.*] al. *Turiſindum.*

*v.*16. *dudum gesserat*] al. *paulo ante gesserat.*

*v.*22. *apparatus varij*] al. *apparatas epulas ſumerent.*

*Pag.*29. *v.*5. *quia ſuris inferius*] al. *quia in ſuris.*

v. 7. *Similes esse*] al. *esse perſimiles, addiditque dicens, faciles ſunt equa quas refertis, ſed ſimulatis.*

Fatulæ] al. *Fatiles.*

*v.*13. *vilis iumenti*] al. *pili iumenti.*

ver. 18. *manus iniiciunt*] al. *adiiciunt.* MS. *mittunt.*

*v.*23. *hostem perimit*] al. *hoſpitem.*

*v.*25. *conuinium*] al. *consilium.*

*v.*27. *eumque cum pace*] al. *eumque ad patris regnum incolumem redire permiſit.*

Pag. 30. *v.*1. *patrem Alboin*] al. *Alboinus tam*

Digitized by Google

claris armis insignitus, mox eiusdem continua effectus est.

v.4. quæ sibi] al. *quæ illi. regia cotigissent*] al. *regia mensaque contigissent.*

v.13. Belisarium] MS. *Belisarium.* al. *Bilisarium.*

v.19. Withicis] al. *Witithiso.*

v.21. Regem Attilam] MS. *Antalam,* alij *Attalam,* al. *Anitalan.*

v.22. Exconsulem] al. *proconsulem.*

Pag.31. v.2. nimia erat] al. *non minima.*

v.8. iudicum leges] al. *iudicum iurisconsultorumque leges.*

v.9. duo millia] al. *quæ penè ad duo millia librorum erant extensæ.*

v.16. codicem Nouellarum] al. *Nouellam.*

Pag.32. v.10. profunda rimatus] al. *profunda scrutinia.*

v.16. & pius] al. *pater primum.*

Sublacus] al. *sublaco.*

v.18. in castro Cassini] al. *in Cassino.*

quod Harum] al. *Aurum,* al. *Clarum* vel *Bacrum.*

Pag.32. Ordiar vnde tuos] Omnes hi versus vsque ad 27. caput Ascensianæ editioni desunt.

Pag.33. v.15. Fers tu tribus] al. *perfers tribus.*

Pag.35. v.8. Pellitur atra fames] Aliis hi duo versus desunt.

v.13. vocis ad imperiũ] al. *Vocis ad imperium temnunt dare frena loquelis. E bustis fugiunt vocis ad imperium.*

v.23. Tu miserande] al. *Tu miserande cutem varia cum pelle colubræ* MS. *variant cui fella colubri.*

v.28. certe fluunt] al. *cerno fluunt.*

v.30. metuis vnde medela] al. *perimis vnde medela.*

Pag.36. v.6. viuentem natum] al. *viuendi.*

Pag.40. v.7. Langobardorum rex] al. *Lang. rex nonus, qui ex Radelinda coniuge Alboinum, de quo iam pluscula scripsimus, post multa præclare gesta fato concessit. Post cuius funus iustaque peracta Alboinus sæpe nominatus rex decimus ad regendam Langobardorum cunctorum, &c.*

v.16. Alpsiundam] al. *Albisindam.*

v.20. Langobardis fœdere] al. *Langobardis à patre icto fœdere.*

v.26. è diuerso properarent] al. *præparārentur.*

Pag.41.

Pag. 41. v. 3. *Prostratus animo & vtrisque*] al. *p. a. tristisque & in ang.*
v. 18. *Clotsunda*] al. *Chlodsuinda:*
v. 24. *superesse bello*] al. *bello superstites esse poterant.*
v. 26. *Duro imperio subiecti*] hæc aliis desunt.
Pag. 42. *Baioariorum*] al. *Baiuariorum.*

IN LIBRVM SECVNDVM.

PAG. 47. v. 11. *Langobardos federatos.*] al. *Langobardos sibi federatos.*
v. 12. *Alboin*] al. *Alboinum.*
v. 14. *electã è suis manum*] al. *electam ei bellatorum manum.*
v. 15. *Gothos*] al. *Gethas.*
v. 26. *Buccellino*] al. *Buccelino.* & sic semper.
Pag. 48. v. 7. *Taunetum*] al. *Tauneta.*
v. 9. *Widin*] al. *Widino.*
v. 12. *exiliatur*] al. *in exilium abiit.*
v. 15. *Leutharium*] al. *Leuthardus.*
v. 22. *Sindualdi*] al. *Sindualdum.* al. *Iduald.*
Brebtorum] al. *Bretonorum*, al. *Brionum*, al. *Bentorum*, al. *Britonorum.*
v. 24. *simul Odoacar*] hoc aliis deest.
Pag. 49. v. 9. *reparandis*] al. *recuperandis.*
Pag. 50. v. 2. *peculia*] al. *pecuaria.* al. *pecora.*
v. 6. *in summo silentio*] al. *in summa vastitate & silentio.*
v. 12. *Dum funeri obsequiũ*] al. *Dum conferre obsequium defunctis præmeditabatur, ipse sine obsequio futurum cadauer remanebat.*
v. 15. *Nulla vox in rure*] al. *Nulla vox audiebatur nisi gementium in morte; nullus pastorum, &c.*
Pag. 51. v. 2. *Alamannorum*] al. *Alemannorum vel Baioariorum.*
v. 7. *Cuius ad omnia*] MS. *Qui ad omnia studia.*
v. 10. *Agonthiensem*] al. *Magontinensem.*
v. 15. *Hunnis quoque*] al. *His quoque.*
v. 20. *inuidiam pertulit*] al. *contraxit.*
Pag. 52. v. 3. *Tunc Augustus*] al. *Iustinus Augustus.*
v. 11. *Gynaceo*] MS. *Gyneceto.*
v. 14. *deponere*] al. *deponere ac detexere.*

v.15. Neapolitanam ciuitatem] al. *Neapolim Campaniæ ciuitatem ſecedit; vnde legatos.*

Pag.53. v.1. coruſcantes] al. *tali coruſcatione protendentes.*

v.4. ab amicis] MS. *inimicis.*

v.5. ſpatioſam Italiam] al. *ſpatioſam regionem.*

v.11. Suauos] al. *Sueuos* & ſic ſemper.

v.18. repeterent] al. *reciperent.*

Pag.54. v.25. in Eurum] MS. *in Corum.*

v.26. Adriatici maris] al. *Adriani maris.*

Pag.55. v.5. planiſſimum.] al. *plexiſſimum.*

ver.11. Giſulfus] al. *Sigulfus.*

v.14. Faras] al. *Pharas, hoc eſt, g. t. ad habitandum. Itaque annuente rege, quas optauit.*

v.27. Aripertus] al. *Heribertus.*

Pag.56. v.3. Hilpericus] al. *Chilpericus.*

v. eod. Sueſſiones.] al. *Senonas.*

v.5. Sigisbertus] al. *Sigibertus.*

v.10. Aquileia] al. *Aquilegia.* & ſic infra.

v.12. Hoc anno] Hæc verba, vſque ad illa, *Sequenti vero*, aliis deſunt.

v.19. Albim] MS. *Alpen.* al. *Alben.*

Pag.57. v.3. Campaniæ] MS. *de Samnio.*

v.2. non poſt multum temporis] al. *paulo poſt.*

ver.10. fluuium Alpem] al. *fluuium Planem* al. *Blauem.*

v.11. Taruiſiana] al. *Taruiſane.* & ſic infra.

v.25. ſeu etiam metrica] al. *Geometrica.*

Pag.58. v.1. oculos doleret] al. *eorundem dolore laboraret.*

v.7. mox ſibi iſti] al. *poſtquam fratres iſti.*

v.13. Italiam inuaderent] al. *Italiam inuaderent, ipſius ſanctiſſimas reliquias in Gallia ſitas viſitare decreuerit: quod iter ſuũ per flumina, montes, valles, oppida, pagos, ipſe in carminibus ſuis dilucide deſcribit. Qui poſtquã.*

v.16. fluentilia Menti] al. *fluenta Tiliamenta.* & *Rennam* al. *Reuniam.*

v.17. Aguntiũ] al. *Agantum.*

v.20. Lech] al. *Lecha.*

v.21. Turonum] al. *Turonos.*

Pag.59. v.7. ab Apro] ita MS. al. *à presbytero.*

v.9. Ingenio clarus] Hi verſus in Aſcenſiana editione deſunt.

ver.26.

v.26. exceptis Patauio, &c.] MS. & Augustana editio, *Exceptis Patauium & Montem Silicis & Mantuam.*

Pag.60. v. 3. Adduam] al. *ad Duam.*

v.8. Eneti enim] al. *Henetum enim, licet apud Latinos aspiratio in v. vertatur, Graci laudabilem dicunt.*

v.21. Secunda prouincia Liguria] al, *Secunda igitur post Venetiam est Liguria.*

ver. 24. Ticinus] al. *Ticinum.*

v.27. Alemannorum patriam] al. *prouinciam.*

Pag.62. v.7. Cottia] al. *Coccia*, & sic semper.

v.8. Cottio] al. *Coccio.*

v.9. in Eurum] MS. *in Corum.*

v.11. in hac aquis] al. *copulatur in aquis.*

v.13, Saone.] al. *Sauona.*

v. 22. Spoletumque] MS. *Spoletiũ.* al. *Spoletinum.*

Pag.62. v.1. ad Siler] al. *Silerum.*

ver.3. Silernus] al. *Silernum.*

v.8. Brutia] MS. *Briccia.*

v.12. Pestus & Lamus] al. *Pestum & Lamum.*

ver. 19. pergentes] al. *extensa.*

v.21. Ferronianus] al. *Ferromanum.*

v. 22. Montepellium] MS. *Mons Bellium*, al. *Mons Bellis.*

v.24. Appennina] al. *Apanina.*

à Punicis] al. *Panis.*

Pag 63. Victorini] MS. *Victoris.* al. *Sed tales dictores reuincunt historia.*

v 8. Imolas] al. *Imola.*

v. 10. sed horum sententia] al. *Sed eorum sententia, quia mendax sit in multis probatur.*

v. 19. Pentapolis dicta] MS. & alij, *Qua Greco vocabulo Pentapolim appellantur.*

ver.21. ab vrbe Roma veniunt] al. *ad vrbem Romam ducunta*

ver.24. Picenus] al. *Picenum.*

v.26. Piscarium] al. *Piscariam.*

v.27. Firmus Asculus] al. *Firmũ, Asculum, Piana, qua iam vetustate consumta est, & Adria.*

Pag 64. v.12. olim ab Etruscorum populo] aliis hæc verba desunt.

v.14, Carsilis] al. *Carsulos* vel *Carsiolus.*

Furconam] al. *Furcanum* vel *Furconium.*

v.25. Theate] al. *Theata.*

v.26. Hiſernia] al. *Eſernia* (*quæ eſt antiquitate conſumpta.*)

Pag.65. v.1. Beneuentus] al. *Beneuentum.*

v.2. accepere olim ab haſtis] al. *accepere olim à Samniocolle, quẽ primum inſederunt.*

v.11. Sepontum] al. *Siponтum. Caruiſium.*

v.23. à Sarde] al. *Sardo.*

Pag.66. v.15. properantes] al. *graſſantes.*

v.17. Galatiam] al. *Galactiam.*

Pag.67. v.24. Tertio Nonas] al. *ad Nonas Septemb.*

Pag.68. v.17. Peſtilentia] al. *peſtis inguinaria.*

Pag.69. v.10. à ſtratore] MS. & alij: *hinc inde haſtarum verberibus &c.*

v.20. nulli laſionem inferens] hæc verba aliis deſunt.

v.23. Theudericus] al. *Theodericus.* & ſic ſemper.

v.24. poſt tantas animum miſerias] Aſcenſiana editio: *poſt tantam miſeriam de ſpe iam fidens, capit animum ad meliora futura leuare.* Auguſtana editio *ἐντὶ* & *releuare* habet *reuelare.*

Pag.70. v.13. Ratchis principem.] al. *Ratichis.*

v.19. Helmichis] al. *Helmige*

v.22. Peredeo] al. *Peredeum.*

Pag.71. v.15. Helmichis Peredeo] al. *iuxta conſilium initũ, Peredeum & Helmigem interfectores.*

v.24. de inermibus] MS. *de inceſtis.* al. *de inertibus.*

v.26. famoſiſſimus] al. *fortunatiſſimus.*

Pag.72. v.5. Giſelbertus] MS. *Giſlepert.*

v.8. indoctos homines] al. *indoctos homines purgando Alboinum id iuſſiſſe iactabat.*

v.17. quæ eos] al. *ſe & Helmigem.*

v.21. Albſuindam.] al. *Albiſindam*, & ſic infrà.

Pag.73. v.3. egredienti, ei] al. *egredienti mortis poculum, quod ſalutare aſſeruit propinauit.*

v.27. ad quem Auguſtus] al. *ad quem Tiberius Auguſtus.*

Pag.74. v.4. ambos vtraque manu] al. *ambos cultris illis è manica tractis graviter ita ſauciauit, vt ſtatim in terram corruentes exſpirarent.*

v.14. Cleph.] al. *Clobem ſeu Clephem.*

v.19. Maſſana] al. *Meſſona vel Anſare.*

Zaban] al. *Zabanus Ticinum: Alboinus Mediolanum.*

Wail-

Waillari] al. *Wallarus.*

v.27. Euin Tridentum. al. *Comus Trentum seu Tridentum.*

Pag. 75. v.3. ob cupiditatem] al. *cupiditatem ducum.*

v.4. per hostes.] al. *hostites* vel *partes.*

v.10. exceptis his regionibus] al. *in iis regionibus.* In MS. autem totum hoc caput ita legebatur: *Itaque mortuo Cleph, per decem annos absque rege fuere Langobardi : tantummodo duces præerant.*

IN LIBRVM TERTIVM.

PAG. 81. *v.27. Vocatoque interprete*]al. *vocatumque in partem, interrogant.*

Pag. 82. v.4. amputaret. mox eius] al. *amputaret, dextram erigit, sed eius dextra mox.*

v.11. Sanatus] MS. *renatus.*

v.23. Patricius prouincia] al. *Pat. prouinciæ Alemannicæ.*

Pag.83.v.8. Mustiascalmes] al. *Mustiam Scalmes,* vel *Musciam Scalmes.*

v.10. Burgundionibus]al. *Francis.*

v.21. Stablonem.] al. *Stalbonem.*

Pag.84. v.25. tempus messium] al. *tempus messium erat colligendarum, metentes ac triturantes frumenta comedebant.*

Pag.85.v.6. Rhodanum]al. deest.

v.9. regulas æris] al. *bracteas & laminas æreas, pro aureis : erant enim ita nescio quo fuco colorata.*

v.20. Suauis] al. *Sueuis.* & sic semper.

Pag.86.v.1. nolentibus illis] al. *n. Saxonibus.*

v.12. incisuros] al. *rasuros.*

v.18. Zaban] al. *Laban.* & sic semper. Gregor. Turonensis eũ *Raban* vocat.

v.20. Machouilla] al. *Machonem villam.*

Pag. 87. Aquinensibus] al. *Aquensibus.*

v.17. ibi eis Mummulus]al. *Mummulum cum exercitu occurrentẽ habuerunt, commissoque prælio ab eodem victi sunt.*

v. 20. Secusium] al. *Segusium.*

v.22. ad quem puer] al. *ad quem puer à Mummulo missus litteras perulit,*

Mum-

Mummulum aduentare ſignificantes.

Pag. 88. *v.* 6. *Anagnis*] al. *ad Magnos*: & ſic infra quoque.

v. 8. *Lagare Ragillo*] al. *Largare Rugilo*. Sed & ita in MS. legitur: *Quam ob cauſam Comes Langobardorum id ..... volens Ragilo nomine Anagnis veniens depredatus eſt eam.*

v. 14. *Euin*] al. *Eoinus*. & ſic infra.

v. 25. *Brunhilde*] al. *Brunichilde.*

v. 27. *Garibaldi*] al. *Gondobaldi.*

Pag. 90. *v.* 5. *in ſæculo*] al. *in cælo.*

v. 6. *vndecim annis*] al. *duodecim.*

v. 7. *amentiam quam, &c.*] al. *amentia quam incurrerat, tandem vitam finiuit.*

v. 13. *famis penuria*] al. *violentia.*

v. 14. *Ægypto dirigens*] al. *dirigens Tyberius.*

v. 18. *Iuſtino*] al. *Iuſtino Imperatore.*

v. 23. *ſubminiſtrauit*] al. *ſuppeditauit miro quodam iudicio.*

Pag 91. *v.* 17. *ſeni*] al. *puerulo, qui per iuramentum ab eo obſtrictus erat commendauit.*

v. 18. *ſupradictus ſenex*] al. *ſupradictus puer iam ſenex effectus.*

v. 26. *præcedentem vero ſenem hi ſequuntur adponiti*] hæc aliis deſunt.

Pag. 92. *habuerat*] al. *Tyberio fecerat.*

P. 93. *v.* 4. *victus quotidiani*] al. *victum quotidianũ & amictum relinquens.*

v. 14. *directus, Perſas*] al. *in Perſidem miſſus Perſas p.d.*

v. 20. *Hilpericus*] al. *Chilpericus.*

v. 21. *aureos*] al. *nummos.*

verſ. 26. *quadrigam*] al. *equum.*

Pag. 94. *v.* 5. *Faroald*] al. *Pharoaldus.*

v. 13. *Probino*] aliis deeſt.

v. 22. *ei eam tradidit*] al. *eidem nuptum dedit.*

verſ. 26. *Patriam*] aliis deeſt.

Pag 95. *v.* 7. *laudibus*] al. *laudibus & planſibus.*

ver. 8. *Græcorum*] al. *in Græcorum imperio confirmatus.*

v. 22. *adhærerent*] al. *aderant.*

Pag. 96. *v.* 7. *ſolidos*] al. *ſolidorum.*

v. 17. *detrimentum*] al. *expulſionem.*

v. 24. *Droctulf*] al. *Drectrulfus.*

Pag. 97.

Pag.97. ver.1. hoc est, Alemannorum] hæc aliis desunt.

ver. 2. erat forma idoneus ducatus honorem meruerat. Sed cum] hæc aliis desunt.

v.3. occasionem] al. *occasionem secum quærebat.*

v.4. reperit] al. *tandem reperit.*

v.23. tantum sed corpore] alias *Droctulfus corpore solo.*

v.25. in vrbe] al. *orbe.*

v.26. Cum Bardis] al. *Ex validis fuit ipse quidem, nam gente Suana.*

Ortus adhuc iuuenis captus ab hoste fuit.

Pag.98. v.1. mente benignus] al. *corda benigna.*

ver. 3. Hic & amans] al. *Arma sequens semper Romana.*

v.8. post signa iuuare] al. *præsigna.*

v.11. classem fraude Faroldus] al. *classem classibus, arma*

Armis opponit, mœnia nostra diu.

v.13. Puppibus] al. *Langobhic Bardorum vires contriuit opesque Ipsorum, titulis clarus ad astra datis. Martyris auxilio.*

v.20. bustu habere iuuat]al. *fausta futura putans.*

v.21. petit ista Ioannem]al. *moriens hæc dona petiuit, Quis exaratis latus ad astra abiit.*

Pag. 99. v.12. Leandri] al. *Heleandri.*

v.19. qui in limite] al. *Qui limitem Hispaniæ aduersus Gothos protegebant.*

Pag. 100. v.15. lauina] al. *lacuna.*

v.26. sextodecimo Kal.] al. *inundatio Kal. Nouemb.*

Pag.103. v.4. nec non etiam Antonio iam sene Ecclesiæ defensore] hæc al. desunt.

v.13. à Damonione non iniuste correptus] al. *Smaragdus autem Patricius iuste correctus successorem, &c.*

v.24. Hornntius Vincentinus]al. *Horontius Herentius.*

ver.26. Laurentius de Lunensis] al. *Velunensis, Maxentius Iulienſis, & Adrianus Polensis.*

Pag.104. Euin] al. *Eoinus.*

v 10. Amacina] al. *Amatina.* al. *Cumacina.*

v.15. optauerat] al. *obtulerat.*

Pag.105. v.2. repromisit] al. *eorum regi promisit, legationemque ad Imperatorem, &c.*

v.14. In ea pugna Langobardi]al. *ita vt Langobardi vince-*

vincerẽt omnes. Galli autem vehementer afflicti, etſi multi capti, plurimi tamen per fugam elapſi.

Pag. 170. v. 14. *candido crine*] al. *flaua cæſarie.*

v. 16. *patriam reuerſuri*] al. *cum ſuis in Italiam reuerſus eſt. N.f.f. abſcedens.*

Pag. 108. v. 1. *feritam*] al. *ictum ſeu feritam.*

v. 19. *aruſpicem puerum*] al. *aruſpicina peritum.*

Pag. 109. v. 11. *ſed fata nequeunt immutari*] al. hæc verba deſunt.

v. 11. *a Conſtantinopoli remeaſſet*] al. *Conſtantinopoli legatione perfunctus cum eidem regi, &c.*

v. 19. *Andualdus*] al. *Aldoaldus & Holo.* & ſic ſemper.

v. 21. *Bilitionis*] MS. *Libitionis.*

Pag. 110. *tredecim ducibus*] MS. *tredecim millibus.*

v. 17. *poſt ſacramenta data*] al. *Poſt ſacramenta autem data, gentes, quæ ſe eis crediderant peremptæ ſunt, nullam ab eis dolum exiſtimantes.*

v. 20. *Maletum*] al. *Maletunum, Sermoſanum.*

v. 21. *Cimbra*] al. *Cumbra. Britianũ*, vel *Brixianũ.*

v. 22. *Volenes*] al. *Belones, al. Baloneſene, Maſe.*

v. 26. *de Sauione*] al. *de Saluone & Agirello de Tridento.*

Pag. 111. v. 1. *ſolidi ſexcenti*] al. *ſolidus vnus vſque ad ſolidos ſexcentos.*

v. 12. *infirmatus æris intemperantia*] al. *exercitus, vt dixi, labefactus æris intemperie.*

v. 14. *famis penuriam*] al. *famis violentiam.*

v. 16. *coëmendum*] MS. *comedendum.*

v. 22. *Spoletiũ*] al. *Spoletum.*

Pag. 112. v. 6. *Langobardorum*] al. deeſt.

v. 14. *ſed ad Childebertum*] al. *ac ad.*

v. 16. *nutum*] al. *votum.*

Pag. 113. v. 27. *Cauallono*] al. *Cabillonenſi.*

Pag. 115. v. 1. *Quem ſtatim*] al. *Cui regina ſtatim ad ſe vt mandarat venienti obuiam ad Laumellum oppidum properauit, & accepto poculo vinum propinari fecit.*

v. 9. *manum oſculari*] al. *ſibi manum, ſed os oſculari.*

v. 11. *regni dignitate*] al. *regni dignitate adeunda decretum ſuum aperuit.*

v. 15. *Sed tamen*] al. *Sed tunc paucis tantũ congregatis in vnũ Langobardis, poſtea menſe Maio, &c.*

IN

Digitized by Google

IN LIBRVM QVARTVM.

PAG. 122. *v.* 8. *cauſa eorum*] al. *ad redimendos eos qui Tridento captiui, &c.*

v. 12. *Brunihildis*] al. *Brunechildis.*

v. 14. *Euin*] *Eoinus* vel *Ennius.*

v. 21. *penuria famis*] al. *penuria annona & fames valida.*

v. 24. *paludeſque*] al. *fruticeſque.*

Pag. 123. *v.* 3. *Minulfum*] al. *Menulfum.*

v. 4. *Sancti Iuliani*] al. *Sancti Iulij.*

v. 6. *Gaidulfus*] al. *Gandulfus vero Bergomenſis dux in ciuitate ſua Bergomo.*

v. 8. *cum Po*] al. *cum rege.*

v. 9. *Gaidulfus*] al. deeſt.

v. 11. *homines Gaidulfi*] al. *auxiliares Gaidulfi.*

v. 15. *obtentus*] al. *captus.*

v. 16. *Vlfari contra*] al. *Vlfarius dux Tarviſinus contra Agonem ſeu Agilulfum.*

v. 24. *Auaribus*] al. *Abbaribus.* & ſic infra.

v. 26. *Hilperici*] al. *Chilperici.*

Pag. 124. *v.* 4. *Et interim fluuij*] al. *Et intra Rheni fluuij aquas riuulus cruoris emanauit.* al. *Et interni fluuij riuulus aquas cruoris emiſit.* al. *Et Materna fluuij, &c.*

v. 8. *Romana vrbis*] al. *Romana vrbis Epiſcopus.*

v. 16. *actibus*] al. *artibus.*

Pag. 125. *v.* 14. *Horta, Tudertum*] MS. *Horteſtuder.* al. *Hortam Faider.*

v. 15. *Peruſia*] al. *Peruſium.*

v. 19. *Mauriſionẽ*] al. *Mauritionem.*

v. 26. *rebus compoſitis*] al. *extincto Mauritione.*

Pag. 127. *v.* 7. *gratiam*] al. *gratiam & conciliationem.*

v. 24. *debuit*] al. *habuit.*

Pag. 128. *v.* 6. *exemplis*] al. *epiſtolis.*

v. 9. *ingratitudo*] al. *ſeditio.*

v. 24. *Euin quoq;*] al. *Eoino quoque ſeu Ennio.*

v. 25. *Gaidoaldus*] al. *Gandoaldus.*

Pag. 130. *v.* 2. *Gaidulfum*] al. *Gandulfum quoque Bergomenſem.*

v. 4. *Warnecautium*] al. *Wernecauſum.*

v. 17. *Clothario*] MS. *Lothario.* & ſic infra quoq.

v. 22. *Faroaldo*] al. *Farualdo.*

Digitized by Google

Pag. 131. *v.* 13. *solitum haberent*] al. *præsidium haberent, ac eum propterea in suum auxilium vocarent.*

Pag. 132. *v.* 1. *unus ex ipsis*] al. *Alter eorum Theudelapius nomine victoria potitus ducatum suscepit.*

v. 21. *Arigus*] al. *Arichis.* al. *Arigiso.*

Pag. 133. *v.* 9. *minime nos*] Ms. *neminem vos.*

v. 14. *Briccorum*] al. *Brixiorum.* al. *Brictonum.*

Pag. 134. *ver.* 19. *Modicia*] al. *Modæciæ.* & ita alibi quoque.

v. 20. *construxerat*] Quæ sequuntur solummodo in Ascensiana editione habentur..... *construxit pro se & pro viro suo, & pro filiis ac filiabus, & cunctis Langobardis Italiensibus, vt ipse S. Ioannes pro nobis interpellator sit ad dominum deum nostrũ Iesum Christum pro nobis, nos omnes vnanimiter pollicemur illi omni anno in die natiuitatis suæ, hoc est,* VIII. *Kalend. Iulij, de nostris facultatibus transmissuros honorifice ad oraculum eius vt per illius interpellationem habeamus iuuamen domini nostri Iesu Christi, tam in bello, quam in aliis locis omnibus, quocunque ituri sumus. Ab illo ergo die in omnibus actibus eorum cœperunt inuocare S. Ioannem, vt illis præberet auxilium, in virtute domini nostri Iesu Christi, & illi omnes permanebant illæsi: victoresque extiterunt super cunctos aduersarios suos. Locum autẽ ille supra Mediolanum duodecim millibus est, quem regina dedicandũ curauit, multisque ornamentis auri & argenti mirifice decorauit, prædiisque ditauit, familiasq; & possessiones multas eidem loco addixit in honorem S. Ioannis Baptistæ. Dicamus assertionem scriptura, Theodelindæ Reginæ, Offert gloriosissima Theodelinda regina vna cum filio suo Adalwaldo rege, S. Ioanni patrono suo de dono dei, & de dotibus, chartulam suæ donationis quam in suorum præsentia scribere fecit. Si quis quolibet tempore hanc testem voluntatis suæ corruperit, in iudicij extremi die cum Iuda traditore damnetur. Ordinatio vero eius talis fuit. De rebus S. Ioannis*

Digitized by Google

annis nullo modo ſe debet aliquis intromittere, niſi tantum ſacerdotes qui ibi deſeruiunt die ac nocte, tamquam famuli ac famulæ, qui ibi ſubiecti ſunt communiter debeant viuere. Quoniam vero in MS. & Auguſtana editione deerant, ideo in textum recipere nolui.

Pag. 135. *v.* 4. *& de Langobardorum geſtis depingi fecit. In qua pictura*] al. hæc deſunt.

v. 16. *pene aperti*] al. *pedis aperti.*

v. 18. *hoſis uti*] al. *conſutis uti. Super equos equitantes tributos byrreos mittebant.*

Pag. 136. *v.* 5. *Auaribus*] al. *Auaribus Hunnis.*

v. 17. *Adaloaldus*] al. *Adoloald.* al. *Adalualdus*, & ſic infra.

v. 26. *à Foca*] al. *Conſtantino & Auocante, qui fuit ſtrator.*

Pag. 137. *v.* 6. *Gaidoaldus*] al. *Gandoaldus.*

v. 10. *in S. Ioanne*] al. *in Eccleſia S. Ioannis.*

v. 14. *ſeptimo Idus Aprilis*] hæc aliis deſunt.

v. 26. *veniam*] MS. *viam.*

Pag. 158. *v.* 2. *Vulturina*] al. *Vulturnia.*

v. 3. *Brexillñ*] al. *Brixellum.*

v. 7. *menſe nono*] al. *menſes nouem.*

v. 22. *partim vaſtata ſunt à muribus*] hæc al. deſunt.

Pag. 139. *v.* 5. *filios*] al. *filium.*

ver. 19. *ſed die*] al. *ſed die quod me cauſam neſciente à Bonifacio notario, &c.*

v. 25. *hominum*] al. deeſt.

Pag. 240. *v.* 8. *regis Francorum, & deſponſata eſt eidem regio puero filiæ regis Theudeberti*] hæc aliis deſunt.

v. 20. *pacem*] al. *inducias.*

Pag. 141. *v.* 6. *Romanis*] al. *Romanus.*

v. 10. *Epiphanies*] al. *Epiphanias.*

ver. 26. *Stabilicianum*] al. *Stablicianum.*

Pag. 142. *v.* 12. *alio*] al. *eodem.*

v. 20. *Perſæ*] al. *Perſe.*

v. 24. *inter ornamenta*] al. *veterum ornamenta locorum & communium, etiam vexillum ſanctum Dominicæ crucis aſportarunt.*

Pag. 143. *v.* 18. *Caco*] al. *Cato.* & ſic infra.

v. 21. *Appæ*] al. *Pappæ.*

v. 25. *Cormones*] al. *Conihona.*

Nemaſo] al. *Nemas*, al. *Memaſo, Oſopio.*

ver. 26. *Reunia*] al. *Reumari.*

Glemona] MS. *Glemonia.*

Ibligine] al. *in Bilige*, al. *Mibligine.*

Pag. 144. v. 2. *Auaribus*] al. *Auaribus seu Bauaribus.*

v 7. *id est, Cacanus*] al. *item dictus Cacanus.*

Pag. 145. v. 4. *& paruulos sorte captiuitatis diuidunt, Taso vero*] al. hæc desunt.

v. 5. *filij Gisulfi*] al. *ceteri que Gisulfi & Romilde filij.*

v. 24. *suus comprehensor*] al. *tamen eum comprehensum.*

v. 27. *cumque eum*] al. *cumque hostis a. c. r. a e. e. freno eum reducendo, de eam, &c.*

Pag. 146. v. 7. *seque trahentem Auare*] al. *inque hostis praeuntis caput, quantulo annisu valuit, percussit.*

Pag. 147. v. 11. *Auarum*] al. *Auarorum* & ita semper.

v. 12. *vtile exemplum*] MS. *vtilem formam.*

v. 26. *Leuphis*] al. *Leuchis vel Leupchis.*

Pag. 148. v. 12. *Lupicis*] al. *Lupechis.*] al. *Leupehis.*

Pag. 149. v. 24. *competentes &*] al. *sicque competentem ei victum praebuit, donec vires recuperauit.*

Pag. 150. v. 24. *Cacco*] al. *Cato.* & sic infra.

v. 26. *Zellia*] al. *Aglia.*

Pag. 151. v. 5. *Nam promittens*] al. *Nam cum promitteret Tasoni barbam vt moris est incidere, eumque filium fateretur.*

ver. 7. *iuuenibus*] al. *minneribus, ad eundem Opitergium cum suis esset ingressus, statim dictus patricius, &c.*

ver. 15. *hac illacque dispersi*] al. *per singulas ciuitatis plateas in se irruentes trucidantes; tum magnam, &c.*

v. 27. *patrui sui Grasulfi*] al. deest *Grasulfi.*

Pag. 152. v. 3. *Arichim*] MS. *Ratchis.*

v. 7. *in Agunto*] al. *in Magunti.*

ver. 26. *inter eos*] al. *inter Francos.*

Gundualdus.] al. *Gundoaldus.*

Pag. 153. v. 9. *Adaloaldo*] al. *Adalualdo.* & sic semper.

ver. 18. *Scotorum*] al. *Gothorum.*

v. 19. *Luxouius*] al. *Luxouium* vel *Lexouium.*

ver. 26. *Langobardis*] al. *principibus Langobardicis.*

Digitized by Google

*Pag.*154. *v.*6. *Arodus*] al. *Harodus.*

*ver.*19. *apud basilicam*] al. hæc verba vsque ad illa, *alius Episcopus præsideret*, in aliis desunt.

*v.*23. *ciuitate fuit*] al. *ciuitate præsedit, fuit, &c.*

*Pag.*155. *ver.*9. *Ticinum*] MS. *Cannum.*

*ver.*22. *quinquaginta*] MS. *quinque.*

*Pag.*156. *v.*2. *Seponto*] al. *Siponto*, al. *Sipontina.*

*ver.*6. *de eisdem foueis*] al. *in vnam foueam cecidit, vbi à Slauis interemptus periit. Supernieniens autem Radoaldus, cum vno de eisdem Slauis propria illorum lingua locutus est. Cumque eos propter hoc facinus fauiores ad bellum vidisset, mox super eas.*

*v.*18. *Tuscia Lunensa*] al. *ab Luna vrbe Tuscia.*

*ver.*23. *Sculsenna*] al. *Sculseria.*

*v.*24. *à parte Rom.*] al. *Romanorum reliquis aperte terga dantibus.*

*Pag.*157. *v.*4. *qui ducatum quinque rexerat annis*] Hæc verba al. desunt.

*v.*8. *cuius nomen Itta fuit*] al. hæc desunt.

*ver.*11. *Græcis*] al. *Sarracenis.*

*v.*17. *annos sedecim*] al. xv.

*Pag.*158. *v.*25. *pro castitate*] al. *pro contestatione castitatis sua domina.*

*Pag.*159. *v.*21. *mensib. sex*] al. *mensib. septem. Hinc etiam Constantinus.*

*v.*26. *Persarum coniux*] al. *Persarum regina Cæsarea nomine.*

*Pag.*160. *v.*7. *Augustum*] al. *Imperatorem.*

*ver.*21. *vestro & domino*] al. *vestro nuper marito meo.*

*v.*22 *ego iam credidi*] al. *iam in Christum credo.*

*Pag.*161. *v.*1. *satis digne*] al. *multum.*

*v.*10. *Theudelapo*] al. *Theodelappo.*

*ver.*14. *Aripertus*] al. *Ariberius.*

*v.*17. *Bertarido*] al. *Berthari*, al. *Partharito & Gundeberto.* & sic semper.

*Pag.*162. *v.*12. *quas obuiam habuit*] al. *per quos iter habuit.*

*v.*15. *Spoletum*] MS. *Spoletium.*

*v.*18. *Æmiliam*] al. *Æmiliam viam.*

*Pag.*163. *eius causa*] al. *in eius auxilium.*

*ver.*4. *Nam aduenies Grimoaldus intra palatium hospitium accepit*] al. hæc desunt.

ver.9. asserens quia Grimoald.] al. *asserens se suspicari quod eum Grimoaldus.*

v.18. gestaret. Nec] al. *gestaret, idque ad eadem sui factum causatus, illico euaginato gladio, &c.*

ver.22. Raginbertum] al. *Raginpertum*, al. *Rambertum.*

v.26. quod germanus eius esset extinctus] al. hæc desunt.

Pag.164. v.1. Auarum]al. *Auarum seu Hunnorum.*

ver.5. certamine] al. *conamine.*

v.15. columéllam] MS. & al. *Columnellam.*

v.18. cum iuxta Garibaldum] al. *cum Garibaldus propius accessisset, amoto amictu, nisu ingenti eiusdem in ceruicem ensem incussit. Super quem, &c.*

IN LIBRVM QVINTVM.

PAG. 170. *v.7. Confirmato*] al. *Confirmatus dehinc Grimoaldus in regno.*

v.10. Godebertum]al. *Gundebertum.*

Pag.171. v.4. Hunulfum] al. *Vnulfum* al. *Annulfo.*

v.7. eius fide aduentare] al. *ad eius fidem confugere.*

v.16. vinoque sepultus] al. *vino somnoque sepultus.*

v.18. ferculum] MS. *poculum.*

Pag.173. v.14. vestiarius] al. *Partharithus cum suo vestiario remansit.*

v.20. lecticarios] MS. & al. *lectaricios.*

Pag.174. v.18. amici manebant]al. *amici manebãt, & qui adhuc Grimoaldo rebelles extabant.*

Pag.175. ver.14. hesterno sero] al. *hesterna cana. Quem cum non inuenissent, ad requisita eum natura residere suspicati sunt*]al. hæc desunt.

Pag.176. v.1. factum fuisset] al. *factum fuisset, remque omnem intellexisset, mox ad eum, &c.*

Pag.178. v.24. Constantinum]al. *Constantius*, & sic infra quoque.

Pag.179. v.3. abiit] al. *consulturus adiit.*

ver.7. vt pro hoc ipso dominum supplicaret.] In Ascensiana editione ita hęc leguntur: *Vt pro hoc ipso dominum deum consuleret fideliter agebat, prompto corde preces ad dominum fundens ac dicens:*

Domine

Domine Ieſu Chriſte rex regum & lumen verum, qui miſiſti ſpiritum Sanctum in ſpecie ignis in Apoſtolos tuos, transmitte ſpiritum Sanctum conſolationis tuæ in os meum, vt poſſim cõſilium rectum dare hominibus iſtis, qui venerunt in tuo nomine ad me. Eadem hora viſa ſunt ei tres perſonæ ſpirituales, quarum vna archangeli Michaëlis, ſecundæ Ioannis Baptiſtæ, tertia apoſtoli Petri. Tunc vnus ex illis dixit ad ſolitarium: Dic imperatori Cõſtantio quod ad talem rem, quam habet in corde ſuo diſpoſitam, domini voluntas adhuc non eſt. Gens Langobardorũ qui in Italia habitãt ſuperari nunc ab aliquo nõ poteſt, quia regina quædam, quæ ex alia prouincia venit, baſilicam in honore dei & Sancti Ioannis Baptiſtæ conſtruxit in Longobardorum finibus, & ornauit eam facultatibus honorificis, fecitque vt famuli & famulæ & reliqua ibidem deo ſeruientibus ſubiecta ſint, & ſacerdotes in ipſo oratorio Deo fideliter ſeruiant, & propter hoc ipſe Sanctus Ioannes pro Langobardorũ gente continue intercedit. Ipſa vero gens ſuppliciter ac deuote de ſuis facultatibus in honorem Dei & Sancti Ioannis Baptiſtæ omni anno in die natiuitatis dicti Baptiſtæ domini munera offert, ad conſeruandum ipſum oratorium. Locus in Modœcia dicitur. Verumtamen tibi dicturi ſumus in deo. Veniet tempus & dies quando ipſum ſupra memoratum oratorium omnes habitatores terræ huius habebũt deſpectui, & omnes eius facultates inde expellent, & famulos ac famulas qui ibi ſubacti ſunt propter facultates eorũ ſæpè affligent, & ſacerdotes, qui nunc ibi deo ſeruiunt, die ac nocte inquieti erũt nimis, & auferentur quæ eorum ſunt. Propter quod ducetur vita eorum in amaritudine. Quando hæc inchoabuntur & vos cernetis fieri, certe tunc ipſa gens peribit cum omnibus quæ ad illos pertinent, & ſtabunt in improperium omnibus gentibus quæ in circuitu illorum ſunt. Et dixit ad eos ſolitarius: Obſecro clementiam veſtram, ſi conuerſi

fuerint ad ſuperiorẽ promiſſionem & conuerſationem ſuam, nonne inuenient miſericordiam? Reſponderuntque: Scis quid veritas dixit, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Eadem autem hora à conſpectu eius euanuerunt. Facto autem mane ita eidem Conſtantio Auguſto, vt ſupra ſcriptum eſt, per ordinem omnia diligenter reuelauit. Tunc imperator libenter accepit verba eius. Quod nos ita actum, &c.

Pag. 180. *ver.* 3. *Luceriam quoque*] al. *Luceriam quoque opulentam ciuitatem & Apuliam oppugnatam fortius, &c.*

v. 5. *Arentiam*] al. *Acherontiam.* al. *Agerentiam.*

v. 9. *Romoaldus:*] al. *Romualdus.* al. *Rumualdus.*

v. 23. *è contra Romoaldus*] al. *Et quamuis Romualdus cum Langobardis ſuis eorum exercitũ æquo marte inuadere non auderet, frequenter tamen, &c.*

Pag. 181. *v.* 22. *velle ſe Romoaldum videre dixit.* *Qui Romoaldus cum citius aduenisſet:* Hæc al. delũt.

Pag. 182. *v.* 1. *Sangrum fluuium*] al. *iuxta ſacrum fluuium.*

v. 15. *Mutrola*] al. *Micola* al. *Mitula.*

v. 15. *Caloris*] al. *Calbris.*

v. 22. *ab Auguſto*] al. *ab eo.*

v. 23. *Romoaldo*] al. *Grimoaldo.*

v. 25. *Forinus*] al. *Foranus* al. *Formis.*

Pag 183. *v.* 2. *non eſt opus*] al. *non eſt opus, inquit, pater optime te proficiſci.*

ver. 5. *Factumque eſt*] al. *Annuente itaq; rege, cum parte exercitus in Saburcum egreditur.*

v. 12. *Amalongus*] al. *Amelongus.*

Pag. 184. *v.* 10. *Pallium auro textum*] al. *Pallium auro textili; ſed manens Roma per dies duodecim.*

v. 22. *ciuitatem Regium*] al. *regiam.* MS. *c. ciuium.*

Pag. 185. *v.* 15. *Sardiniæ.*] al. *Sardinia Syracuſas venientes eum vita priuarunt.*

Pag. 186. *v.* 11. *ſublatam diximus*] al. *ſublatam ab imperatore diximus.*

v. 24. *eorum prouinciis*] MS. *Græcorum primitiis.*

v. 26. *repedare diſponens*] al. *repedauit. poſtquam diſpoſuerat de Traſemundo, qui dudum Capuæ Comes fuerat, &c.*

Pag.187. v.4. *parnerat*] al. *ſtrenuam operam nauauerat.*

Pag.188. v.8. *Fluuius*] al. *Flouius.*

Pag.189. v.4. *Forumiulij ſe minimè*] MS. *Forumiulianis neminem ſe relicturos, quos armis propriis cõquiſiſſent.* al. *ſe Forumiulij minimè relicturos, vt quod armis propriis conquiſiſſent.*

v.8. *exercitum coadunari*] al. *exercitum quem potuit cõgregare capit: &c.*

v.18. *aliis modis preterire*] al. *aliis & aliis habitibus armiſque inſtructum per tranſire conſpicerent, diuerſos eſſe putantes, immenſam Langobardorum.*

Pag.190. v.4. *Warnefridus*] MS. *Arnefridus.*

v.10. *Nemas*] al. *Neumaſium.*

v.16. *Wectari*] MS. *Inuectari*, & ſic infra quoque.

v. eod. *Vincentina*] al. *Vincentia.*

v.18. *Ticinum*] al. *Ticinum ad regem profectum.*

Pag.191. v.1. *viginti quinque*] al. XXVI.

v.5. *Natiſionis*] al. *Natiſonis.*

